IHS

7
S-c
2

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
19 A
2


61.4.29

61
D
29

61
D
29

Petr. Sutor. de vita Cartus.
L
IV
39
L
278
Y 802

Digitized by Google



DE VITA CARTVSIANA

LIBRI DVO

Collegij Ann. Auctore Soc. Jesu

PETRO SVTORE

S. Theolog. Doctore, ac Pariſienſis Cartuſiæ Priore olim celeberrimo.

Acceſsit iam primò

ARNOLDVS BOSTIVS DE *illuſtribus aliquot eiuſdem ordinis viris.*

Catalog. Inscript.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
ſumptibus
BERNARDI GVALTHERI
Anno
M. DC. IX.

B:S.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA

SERENISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI ac Domino D. GVILIELMO, *Seniori vtriusq́; Bauariæ Duci, Fœlicitatem.*

QVAMQVAM non immeritò, Sereniſſime, Illuſtriſſimeq́; PRINCEPS, ſumma laus ac memoria ſempiterna eſt eorum, qui publico rei literariæ bono ad hoc incumbunt, vt vel ſua, vel aliorum doctrina ac pietate præſtantium virorum monumẽta ad poſteros tranſmittunt, plurimorum tamen ſententia iuſtior laus, ſanctiorq́; memoria debetur illis, qui ſuis aliorumque celebrium atque excellentium eruditione Virorum lucubrationibus promulgandis, egregia pietatis ſemina mortalium animis inſerunt, quò minori cum difficultate ad diuini numinis obſequium omnes rerum ſuarum actiones queant dirigere, arctiorique vinculo DEO TRINO & VNO copulari.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PORRO, quia religioſæ vitæ ſtatum multis conſtat rationibus mundanorum hominum conuerſationem antecellere, Superiſque gratiorem exiſtere, neq; ambiguum eſt, quin inter tam multiplices religioſorum hominum familias, quibus ſponſa CHRISTI, quaſi regina in veſtitu deaurato, amicta varietate præfulget, comprimis ſuſpiciendi ſint illi, qui reiecto quorumcunque ſecularium hominum commercio colloquioque, diuinarum ſeſe rerum commentationi penitius tradidêre, hinc nequaquam mirum cenſeri debet ſi S. C. T. propinquiori eorum conſortio, imò & domeſtica conuerſatione quàm maximè delectetur: præcipuè verò CARTVSIANORVM, qui fori publicæque lucis inſolentes, intra anguſtæ cellulæ conſeptum iugiter deliteſcentes, inibi meditantur in lege Domini die ac nocte, quò puriorem creatori ſpiritum offerant, hominumque ſaluti aſſiduò precum ſuarum ſubſidio conſulant.

DE quorum ſanctiſſimo vitæ inſtituto, ac perſeueranti pietatis progreſſu auorum noſtrorum memoria Poeta quidam inſignis hoſce cecinit olim verſiculos:

Ferti-

Fertilis exuperat tantos CARTVSIA *montes,*
Et iuga quæ ſummis ſunt decantata Poëtis,
Submiſſas quanntū corylos præcelſa cupreſſus.
Nam CARTVSIACVS *ſacer hic non fluctuat Ordo.*
Sed manet immotus, veluti Marpeſia cautes,
Contra Scyllæas rabies, omneis q; procellas
Vndiuagi maris, et vafros cacodæmonis aſtus.

CVM talibus ergo quia volupe eſt S. C. T. per integras nonnunquam hebdomadas, ne dicam menſes, ſolitariè degere, eoſdemque ita & ſuſpicere & diligere, vt iiſdem iam nunc recens à fundamento monaſterium erigere dicatur; ea propter cùm duos hoſce PETRI SVTORIS, doctiſſimi nimirum Pariſienſis Theologi, iuxta ac literarum monumentis celeberrimi, DE VITA CARTVSIANA libros, prælo recuderem meo, facere non potui, quin eoſdem Sereniſſimæ Celſitudini SVAE, obſeruantiæ ergo, dedicatum irem. Cuius equidem rei nullam fatear aliam rationem extitiſſe, præter vnam tam celebrem virtutum TVARVM laudem, in tam illuſtri & excelſo loco poſitam: vt quæ ſumma eius eſt apud omnes opinio, vel potius admiratio: mihi quoque S. C. T. colendæ, & omnibus officio-

rum meorum generibus obſeruandæ, ſummum ſtudium & perpetuam voluntatem excitârit.

NEQVE verò dubium mihi eſt, quin ſicuti religioſa præfatorum CARTVSIANORVM Patrum conuerſatio, ſinceritas ac deuotio, Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ gratiſſima eſt, ita quoque quidquid de eorum inſtituto ac vitæ ratione ab iiſdem literis conſignatur, eidem non niſi acceptiſſimum queat venire. Maximè quando ea eſt TVA in bonos omnes Sereniſſime Princeps humanitas, beneuolentia, ac charitas, vt vel exiguam etiam pietatis promouendæ opellam, ex ſincero animo profectam, boni ſemper ſoleas conſulere. Quod quidem rari eſt exempli, hoc potiſſimum æuo, in Viro nimirum Principe: qui cùm poſſit in ſummo dignitatis gradu, ac rerum omnium affluentia magnificè ſplendideque viuere, mauult tamen religioſæ vitæ frugalitatem, ſummamque animi demiſſionem conſectari, ac plebeio quaſi more in religioſorum hominum clauſtris commorari, inibique ignotus deliteſcere, quàm quæ ad mundi faſtum ornatumque faciunt amplecti. In quo quidem benè beatèque viuendi genere, vt Deus Opt. Max.

Sere-

Sereniſſimam Celſitudinem SVAM in annos plurimos ſaluam incolumemque conſeruatam velit, etiam atque etiam o-ro optoque. Ex Officina noſtra typographica, Anno virginei partus nono ſupra milleſimum ſexcenteſimum, ipſo ſanctiſſimo Paraſceues die, quando nimirum DEVS ipſe ingemiſcente natura in diro crucis ſtipite, ſupplicia ſceleribus noſtris debita, libens volenſque excepit.

Sereniſſ. C. T.

Humilimus clientulus

BERNARDVS GVALTHERIVS *ciuis ac bibliopola Colonienſis.*

REVERENDO PATRI GVILIELMO BIBAVCIO, MAIORIS DOMVS CARTVSIAE Priori digniſſimo, cæteriſque religioſiſſimis Patribus Ordinis Cartuſiani Profeſſoribus, Fr. PETRVS SVTOR eiuſdem Ordinis profeſſus, humilem in Domino ſalutem.

C*Vm annis proximè lapſis, Patres optimi, nonnihil de* VITA CARTVSIANA *litteris mandare, & varia oblocutorum tela, quæ in eam paſſim torqueri ſolent, pro viribus refellere conſtituiſſem: tantis difficultatum ambagibus primùm irretitus ſum, vt vix tandem ab illis euadere trieis per facultatem mihi licuerit. Enimuerò mihi inprimis videbar littus (quod dicitur) araturus, ſi tanto tamq́; graui negotio funditùs incumbere tentarem. Deinde conÿciebam, hanc ipſam arduam prouinciam exiguis defectisq́; viribus ſuperiorem eſſe. Nam & mala (qua plerunque afficiebar) valetudo magnis quidem laboribus obeundis inepta, & variæ quoque occupationes, quas partim diuini officÿ proli-*

prolixitas, partim aliena cura afferre inſueuerunt, vires opportunitatemq́; denegantes, rei ipſius exitum me vix vnquam inuenire poſſe, ſuo quodam modo præſagiebant. Denique verebar, à Cartuſiani propoſiti officio nimium abſcedere, vtpotè quod humanam fugere laudem, & aliena potiùs, quàm ſua, prædicare habeat. Habeat & Chriſti, ſanctorumq́; Patrum inſtar, oblocutiones, calumnias, perſecutionesq́; omnes potiùs æquo animo ferre, quàm moleſtè contendere. At verò tandem nec laborem ipſum prorſus infœcundum, nec ſarcinam quoque viribus diuina ope ſubnixis prorſus imparem, nec demum negotium ipſum ab officio minus abhorrere animaduertens, cœpi ardentius tractare, quod meticuloſus ipſe diu detrectaueram. Quod etiam vt efficerem, multa me ſanè vehementiùs concitârunt. Inprimis exempla Maiorum, qui partim ſuum, partim alienum viuendi genus multis laudibus extulerunt, & contra improbatores diligentiſſimè tutati ſunt. In quibus primus ſe offert ſacer Hieronymus, qui plura falſarum opinionum portenta, quàm Hercules monſtra, graui rationis clauo perimens, multis in locis Monaſticen Monachus ipſe mirum in modum commendare, eamq́; mirificè contra varios Oblocutores vindicare ſtuduit. Augusti-

Sancti Patres ſuũ viuendi gen' & laudaſſe, & defendiſſe.

guſtinus quoq; Catholicus egregiusq́; Doctor, cùm multis in voluminibus, tùm verò in illo diuino, laborioſoq́; libro de Ciuitate Dei, cæcos errores inſanasque Paganorum blaſphemias, quæ Chriſtianam Religionem oppugnabant, viriliter diluere, & ſinceram fidem, fidelis ipſe, fideliter ſtabilire curauit. Ipſe quoque mellifluus Chryſoſtomus, Monachorum fautor præcipuus, cultiſsimos confecit libros in vituperatores monaſticæ vitæ. Et vt recentiores afferam, Thomas Aquinas, Bonauentura, alijq́; præſtantiſsimi viri ſuum viuendi genus tùm fouere, tùm contra impugnatores defendere totis viribus moliti ſunt. Celeberrimus quoque Doctor Ioannes Gerſon, habitu quidem ſecularis, ſed mente religioſus, tanto monaſticum ſtudium (præſertim Cartuſianum) amore eſt proſecutus, vt pro tuendo eo, neruos omnes intenderit, quemadmodum egregia illius opera teſtantur locupletiſsimè. Denique alios illuſtres viros penè innumeros inuenire eſt, qui partim ſua, partim aliena negotia ſtabilire, fouere, tueriq́;, ſumma diligentia laborauerunt.

Nihil itaque ab honeſto prorſus inſolens facere me putaui, qui tantorum non temerè ſectatus veſtigia, tùm noſtra tueri, tùm aduerſas acies funditùs delere curauerim. Curaue-

rauerim, inquam, Cartuſianus ipſe Cartuſianum negotium (quod à noſtris penè neglectum, & ab exteris nunquam ſatis laudatum eſt) dignis præconijs efferre, & ab omni prorſus iniuria pro virili tandem vindicare. Cui etiam negotio vt incumberem, multæ, & illæ quidem (ni fallor) iuſtæ cauſæ meipſum impulerunt, vt ſcilicet linguacibus peſſulum obdatur, vt doceantur rei Cartuſienſis ignari, vt beneuoli noſtri in amicitia contineantur, vt Cartuſiani ſimpliciores telis aptis inſtructi, faciliùs ſtatum ſuum tueantur, vt demùm negotium ipſum luculentius effectum, gratius, præſtantiusq́; reddatur. Non igitur vel arrogantiæ, vel temeritatis inſimulari debeo, qui tam iuſtis cauſis perſuaſus, opus ipſum laboris plenum, aggrediendum putaui.

At fortè quiſpiam promptulus ad loquendum obijciet, nihil in eo ferè culti ſermonis inueniri. Verùm nos ruſticani, morum quàm verborum, potiùs cultum quærendum cenſemus. Alius forſan in eo ſublimia acutaq́; ſenſa deſiderabit. At ſimplicitate gaudere ſolent Cartuſiani. Alius demum nihil in eo ſibi gratum, nihilq́; pondere dignum inclamabit. Fateor id quidem nullo negotio vſu venire poſſe. At verò ille protinus abire poteſt, non enim loquimur ei. Sed quid ver-

verbis opus? Si propter ronchos, ſi propter ciconias à tergo pinſere ſolitas, ſi propter auriculas albas, quas mobilis manus effingere aſſueuit, ſi demum propter clanculas oblocutiones â ſcriptis reponendis temperetur, nullus vnquam ad ſcribendum planè ſe accingere audebit. Quis, obſecro, tam præclari operis quicquam edidit vnquam, quod reprehenſioni minimè obnoxium fuit? Quis autor, quaſo, tam abſoluta eruditione fuit, qui vel ingratos obtrectatores, vel tumidos improbatores ſibi non habuit aduerſantes? Enimuerò nihil adeò limatum, nihil tanta diligentia excultum, nihil demum ad amuſsim ita libratum hactenus euadere potuit, quod tetricus cenſor nimis vncis naribus indulgens. carpere non inſueuerit. Nullus, inquam, tam argutus Philoſophus, tam cultus Orator, tam clarus Poëta, tam nobilis denique author vſque inuentus eſt, quem vel liuoris inſania minimè perculerit, vel certè non momorderit cæca temerariaq; carpendi auiditas. Equidem ſi Homerus ipſe Muſis comitatus proferatur, mox fatebitur, inuidi Zoili ſe tela vel tandem ſenſiſſe. Si Ariſtoteles, Philoſophorum facilè princeps afferatur, ſtatim Philoſophaſtrorum occurreret turba, quæ tantum Philoſophum arrogantiæ taxandum putet, quòd nulli parcens, omnium

errata caſtigârit. Si Terentius egregius Comicus prodeat in medium, protinus in ſcribundis prologis, operam ſe abuſum, palàm aſſeuerabit, vtpotè qui maledicis reſpondere coactus, rei argumentum non valuerit explicare. Si caput eloquentiæ Latinæ Tullius, ſi Romana grandiſonaq́; tuba Virgilius inpræſentiarum citentur, ingenuè profitebuntur, ſe liuoris iaculis nonnunquam petitos fuiſſe. Si Martialis Epigrammaticus admodùm lepidus in eam rem vocetur, illicò reſpondens apto carmine dicet:

Carpere Cauſidicus fertur mea carmina: qui ſit
 Neſcio. Si ſciero: væ tibi, Cauſidice.

Denique nulli quantumuis inſignes adduci poterunt, qui prorſus ab hoc, vel illo telo immunes aliquando fuerint. Quòd ſi quis putet, Ethnicos authores duntaxat huiuſmodi iaculis fuiſſe pulſatos, contempletur ille diligentius noſtros, ſcilicet Catholicos, & illos quidem admirabiles viros, & tandem ſe tota aberraſſe via, luculenter animaduerteret. Siquidem & ipſi heroici viri (quos tùm ardens virtus, tùm mira vitæ ſanctimonia, tùm demum egregia diuinaq́; literatura debuerant reddere ſecuriores) nonnunquam inuidiæ iaculis percuſſi quoque leguntur. Etenim Hieronymum ipſum tum vita, tùm

rum doctrina perpolitum, vſque adeò inſectata eſt liuidorum improbitas, vt propemodùm in ſingulis Operum Diuinorum Prologis, eorum veſaniæ reſpondere compulſus ſit. Auguſtinus quoque licet miti, ſublimiquè ingenio præditus, turgidæ reprehenſionis notam euadere non potuit. quippe quem nonnulli blaterones plurima Origenis dicta ſuis libris inſeruiſſe, eaq́; ſibi vendicaſſe, audenter ementiti ſunt. Magnus itidem Gregorius inter cæteros æmulum habuit ſucceſſorem Sabinianum, qui rebus à Gregorio ipſo præclarè geſtis ita aduerſatus eſt, tantaq́; in eum exarſit inuidia, vt paululùm abfuerit, quin diuini tanti Doctoris libri Vulcano abſumerentur. Quid plura? Neminem in ſumma comperire eſt, quantacunque fuerit, vel eruditione, vel ſanctitate, qui liuidis telis impetitus, vel critico nimium ſupercilio quandoque obnoxius non fuerit. Itaque prorſus mirandum non erit, ſi quiſpiam Zoilus inſurgat, qui ſcripta noſtra mordeat, laceret, deturpet. Potiùs verò illud ſtupendum, ſi penitus à nullo vel elato cenſore palàm carpantur, aut certè genuino dente rodantur. Verùm huiuſmodi iacula prorſus inepta nihil curantes, ſat noſtris votis reſponſum iri profitemur, optimi Patres, ſi vos ipſi (quorum æqua cenſura eſt) laborem noſtrum

ſtrum

ſtrum veſtra contemplatione ſuſceptum probaueritis, gratumq; habueritis. Si, inquam, noſtris cœptis fauentes, ad alia poſtmodùm obeunda nos audentiores reddideritis. Si denique noſtri memores, pientiſſimum Dominum Ieſum flagitaueritis, vt profluxis laboribus perennem, ſolidamq; requiem tandem impertiri dignetur. Quod vt effitiatis, deuotiſſimi Patres, etiam atq; etiam oro.

*

APPRO-

APPROBATIO
Cenſoris.

Hos duos De Vita Cartvsiana Petri Svtoris libros, denuò imprimi poſſe iudico.

Thomas Gozeus.

DE

DE VITA CARTVSIANA, LIBER PRIMVS.

D. PETRI SVTORIS DOCTORIS Theologi, profeſſione Cartuſiani, in Dialogum de vita Cartuſiana, Præfatio.

Interlocutores,

OBLOCVTOR. PETRVS.

CAPVT I.

OBLOCVTOR.

MALA mihi videtur eſſe vità Cartuſiana: PETRVS. Mala mihi videtur à leui cenſore ſententia data. OBLOCVTOR. Cartuſiana vita planè eſt tùm reprobanda, tùm fugienda. PETRVS. Ita deluſi homines, ita mali cenſores, ita liuidi oblocutores putant. OBLO. Ergòne deluſum, improbũ, liuidumq́ue ita me protinùs cenſes? At ego tuam cenſuram nihilifaciens, ad ipſam vitam funditùs euertendam omnes neruos intendere decreui: Decreui, inquam; nec iniuria, quòd vita huiuſmodi ſit planè, vt dixi, reprobanda; fugiendaq́ue. Reprobanda quidem quod non ſit inſtituta diuinitus: fugienda verò, quòd vilis ſit, ac periculoſa, nulliuſq; frugis. Et vt, reiectis ambagibus, rẽ ipſam protinus aggrediar, ab exordio vitæ ipſius exordium quoque improbationis ſumere iuuat. Illa enim

1. De hoc libro. 1.

2. De hoc libro. 2.

vita prorſus taxanda, reprobandaque videtur, quæ vel nullam, vel certè obſcuram incertamque habet originem. At ita eſſe de Cartuſiana vita ſatis conſtat, quandoquidem à quo, quando, & quomodo ſumpſerit exordium, nullus clarus author adhuc meminiſſe viſus. Petrvs. Si vitam ipſam, quam taxare cœpiſti, non ita grauibus contumelijs, vt tu garris, afficiendam, ſed multis potiùs laudibus efferendam eſſe palam monſtrare tentauero, forſitan prima fronte caſſo labori incumbere putabor. Cartuſianam etenim vitam omni laude probationeque digniſſimam, nullus vnquam, niſi vel liuidus, vel ignarus neſciuit. Verùm cùm multi de inuidorum grege aliter ſentiant, & vitam ipſam vellicare non ceſſent, rem ſatis aptam vtilemque facere videbor, ſi vel tuis, mi Oblocutor, iaculis ſtimulatus, durum certamen aggrediar. Si enim detrectarem, quaſi victor improbus magis ac magis inſultares. Aggrediar igitur, ſuperis iuuantibus, arduum opus, quó tui ſimiles, hoc eſt, liuidi vanique oblocutores compeſcantur, doceantur ignari, leues ora contineant, & demum ſimpliciores à Cartuſiani propoſiti non dimoueantur amore. At quoniam vitam ipſam generatim conuellere duabus improbationibus cœpiſti, quarum prima vitæ ipſius inſtitutionem improbat, altera verò contendit, eam vt vilem, periculoſam, nulliuſque momenti fugiendam eſſe: duobus propterea libris tibi reſpondere, remque ipſam plenius diſcutere certum eſt. Verum vt prima fronte pius Lector totius operis intentionem aſſequi poſſit, ordo dicendorum in primis ſummatim proponendus videtur. In primo itaque libro, qui de Cartuſiani propoſiti inſti-

Partitio operis. Primus liber quæ complectitur.

inſtitutione agit, & quinque tractatus complectitur, quinque præcipua, ordine diſcutientur: ſcilicet, quænam origo, quis peculiaris author, quæ plantatio ac vitæ qualitas, quæ nuncupatio, & denique qualis inſtauratio fuerit ipſius Cartuſianæ vitæ. Deinde altero libro, qui & quinque tractatus habet, de quinque alteris diſſeretur: videlicet, inprimis de figuralibus communibusque vitæ ipſius laudibus. Deinde de commoditatibus, poſtmodum de prærogatiuis ſeu excellentijs. Adhęc de ſpiritalibus exercitijs. Poſtremò de cæteris Cartuſianis occupationibus. Quibus expletis finem hic Dialogus accipiet. Hoc eſt ſummarium eorum, quæ in hoc opere diſcutienda ſunt, hic, inquam, ordo modusque agendi. Sed iam epitomate propoſito, rem ipsã aggredi operæpretium eſt. *Secundus liber de quibus agit.*

CAPVT II.

De multipharia Cartuſianæ vitæ origine.

PRimùm igitur Cartuſianæ vitę originẽ tangere cupientes: dicamus, quod non ineptè dici poſſe putamus, vitam ipſam triplici quodã modo incœpiſſe, ſcilicet figura, exemplo, & demùm reipſa, ſimulque peculiaris nominis ſusceptione. In primis in vetuſta eam figura exordiũ ſumpſiſſe, poſſumus cõficere Apoſtoli authoritate, ita dicentis: *Omnia in figura contingebant illis,* ſcilicet Patribus antiquis. Quo verbo ſanè interpretato, ſatis conſtare poteſt, antiquũ illum populum vmbram fuiſſe poſterioris. Vmbram (inquam) non ſolum quò ad regiã ſacerdotalemq; dignitatẽ, ſed etiam (vt cætera taceantur) quoad religionis votiuæ perfectionem. In illo ſiquidẽ populo fuêre prophetæ, filijque prophetarum, *1. Cor. 10.*

quos teſte Hierony. in veteri Teſtamento, monachos legimus. Fuêre Rechabitæ. Fuêre Nazaræi etiam perpetui. Fuêre quoque Eſſæi, de quibus meminit, Ioſephus, qui Chriſtianorum religioſorum figuram geſſêre. Prædictis adieciſſem Phariſæos, qui à nonnullis religioſi Iudæorum traduntur, ſed quia Hieronymus eos Iudæorum clericos fuiſſe affirmat, eam ob rem non putaui eos cum Monachis connumerandos. Igitur eos in præſentiarum miſſos facientes, dicamus (vt cępimus) Cartuſianã vitam in antiquo populo fuiſſe præfiguratam. Sicut enim ſacerdotium vetus, noui: ita & Religio vetuſta, nouæ figura fuiſſe non ineptè putatur. At verò cùm vitam Cartuſianam tunc figuratam dicimus, omnino ſimpliciter aut generaliter credimus accipiẽdũ. fuit enim præ cæteris (quod citra iniuriam dictũ ſit) peculiarius & incepta, & figurata. Quod ne gratis loqui videamur, triplici modo ſuadere certum eſt: ſcilicet vitæ parilitate, patroni delectione, ſufficiẽti authoritate. Primò igitur à vitæ parilitate oſtenditur, vitam Cartuſianam ſpecialius fuiſſe præfiguratam. Ipſa ſiquidem maiorem & conſonantiam & parilitatem habet cum vita illorum antiquorum religioſorum, quam cætera vitæ religioſæ genera. Igitur peculiarius & figurata & incæpta tunc fuiſſe credenda eſt. Probatur aſſumptum ex comparatione vitæ ad vitam. Etenim ſi rectæ collationis menſura fuerit obſeruata, inuenietur nullum vitæ genus illi priori magis propinquum eſſe. Quod ſi rectæ comparationis ignarus non fueris, ipſam tibi luculenter oſtendimus, tùm ex loci inhabitatione, tùm ex victus aſperitate, tùm demum ex indumentorum ſimilitudine. Illi ſiquidem vetu-

Prophetæ. Filij prophetarũ. Rechabitæ. Nazaræi. Eſſæi. Phariſæi.

Comparatio vitæ Cart. cum antiquorũ religioſorum vita.

vetuſti religioſi in agris, & ſolitudine habitabant, & Cartuſiani in deſertis, heremiſque ſe continent. Illi morebantur in tabernaculis & tentorijs, hi verò in cellulis, tabernaculorum inſtar ædificatis. Illi magnam victus aſperitatem obſeruabant, hi ſupra cæteros religionis alumnos, arctiſſimum viuendi modum amplexantur. Illis denique zona pellicea, multaque indumentorum & ſimplicitas & vilitas aderat, his quoque adeſt vilis zona, ſimiliſque penè indumentorum & auſteritas & humilitas. Quis igitur recte poterit ambigere, illos priores ſolitarios fuiſſe peculiares, ſigulareſque Duces Cartuſianorum? Quòd ſi forſitan tibi dubia videntur, quæ de vtraque vita tetigimus; antiquorum Patrum vitam, authoritas Cartuſianorum, experientia te poterit edocere. Vis apertum autoritatis teſtimonium de vita illorum
vetuſtorum? Audi Hierony. qui & ipſorum *Hieronymus.*
priorum vitã tenuit, & poſterioribus exemplo fuit, ita dicentem. Habet vnumquodq; propoſitum Principes ſuos. Et ſequitur, Nos autem habemus propoſiti noſtri principes, Paulum, Antonium, Iulianum, Hilarionem, Macarium. Et vt ad Scripturarum authoritatem redeã, noſter princeps Helias, noſter princeps Heliſæus, noſtri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudine, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis. De his ſunt & illi filij Rechab, qui vinum & ſiceram non bibebant, & morabantur in tentorijs, qui Dei voce per Hieremiam laudantur, & promittitur eis, quòd *non deficiet de ſtirpe eorum vir ſtans coram Domino.* Hactenus ex Hieronymo. Sed quid ego tibi riuum oſtendo, cùm ex ipſo diuinarum literarum fon-

Principes vitæ Heremiticæ
Helias.
Heliſæus.
Hier. 35.

te haurire queas, vnde ſitim tuæ dubitationis extinguere poſſis? Euolue ſacras literas diligentiùs, & quæ dicta ſunt de vita priſcorum Patrũ inuenies. De vita autem poſteriorum, ſcilicet Cartuſianorum, ſi forſitan hæſites, veni, viſita, & ſi quid mentitus fuerim, grauiter increpa. Sed iam alterã probationem afferamus. Secundò igitur probari poteſt figuralis Cartuſianorũ inceptio à Patroni dilectione. Ipſi enim ſanctiſſimum illum heremi cultorem Ioannem Baptiſtam, ſibi in peculiarem & Principem, & Patronum delegerũt: quod nunquam feciſſent viri admodum timorati, niſi ſuam vitam animaduertiſſent ab ipſo Ioanne figuratam, actamque fuiſſe. Ipſum autem Baptiſtam ad antiquam ętatem partim ſpectare, ſatis exploratum eſt. Fuit enim quaſi quidam limes duorum velut agrorũ legalis, Euangelicique populi. Confirmatur hæc ratio, quoniam præcipuos ſolitariæ vitæ obſeruatores tam veteris quam nouæ legis, velut peculiares duces reputârunt, coluerúntque ſemper Cartuſiani, per hoc ſatis innuentes, ſuam ab illis vitam deriuatã eſſe. Cur autem ipſum Ioannem in ducem, & non potiùs aliquem ex ſuis Cartuſiani delegerint, poſtea dicetur pleniſſimè. Tertiò probatur, Cartuſianam vitam præcæteris olim fuiſſe & figuratã, & inchoatam; authoritate D. Bernardi, de Cartuſiana vita ita dicentis: Res eſt antiquæ religionis, perfectio fundatę in Chriſto pietatis, antiqua hęreditas Eccleſiæ Dei, à tempore prophetarum præmonſtrata, iamque nouæ gratiæ ſole exorto in Ioanne Baptiſta inſtaurata, & innouata, ab ipſo Domino familiariſſimè celebrata, ab ipſis diſcipulis, ipſo præſente, concupita. Ex quibus tanti Doctoris

Ioan. Baptiſta Cartuſianorũ Patronus.

D. Bern.

ctoris verbis apertè monſtratur, hanc vitam à tempore prophetarum præmonſtratam fuiſſe. At verò ſi de ſpecialiori quodam modo non intellexiſſet, nihil dixiſſet noui, cùm tempore illo generaliter omnes figuratæ ſint nouę legis religiones. Igitur cùm ſpecialiter intendat vitam Cartuſianam efferre, haud dubium, quin ſpeciale aliquid ei tribuere moliatur. Denique, ad corroborandam huius virtutem autoritatis, multùm conducit illa Hierony. ſententia ſuperiùs adducta, qua plenè teſtatur, antiquiſſimos illos Patres ſui propoſiti duces, principeſque fuiſſe. Itaque cum ipſi Cartuſiani ſuum viuendi modũ magna ex parte ab ipſo Hieronymo ſumpſerit, eumq; ab eius epiſtolis decerpſerint: conſequẽs eſt, & Hieronymum, & priſcos illos Patres fuiſſe peculiares duces Cartuſianorum. Quid plura? Decebat, vt Cartuſiana vita ob maiorem ſui & altitudinem, & perfectionem præ cæteris peculiariùs figuraretur. Ita enim vſuuenit, vt maiora Chriſtianæ religionis myſteria & pleniùs, & ſpecialiùs ſint per antiquorum ſignorum vmbram præfigurata. Cæterùm declarata Cartuſianæ vitæ primaria, figuralique origine, ad alteram (ſcilicet exemplarem) quæ in noua lege facta eſt, tranſeamus. Qua in re poſſemus altiùs repetentes dicere, eam in principio naſcentis Eccleſiæ, Apoſtolico ſcilicet tempore, factam fuiſſe. Tunc enim omnis vita monaſtica, quòad euangelicam veritatem, nouã probationem, maiorẽque perfectionem, ſumpſit exordium. Itaque vitam Cartuſianam cũ alijs tunc generaliter incœpiſſe, dubium non eſt. Sed quoniam ſpecialiorẽ eius originem in noua lege factam afferre decreuimus, eam ob rem longiùs proſequi certum

Duces Cartuſianorũ qui.

non eſt ea ipſa, quę cunctis religionibus votiuis ſunt communia. Ergo peculiarem eius originem magis curantes, dicamus eam ab illis ſanctiſſimis Anachoretis incœpiſſe, qui circa prima Eccleſię tempora, in AEgypti, Schytiæ, alijſque deſertis ſolitariæ vitæ incubuerunt: maximè verò ab eis, qui vitam ſolitariam clauſtrali ſimilem egerunt, quorum ſcilicet propoſitum fuit, ſimul in eadem ſolitudine victitare, eidem patri ſubeſſe, omnia habere communia, in cellulis tota hebdomada ſe continere, Dominicis diebus ad cõmunem Eccleſiam conuenire, omnibuſque de more peractis ad ſua ſepta reuerti, & denique ſilentio, ſolitudini, contemplationi, & vitę aſperitati miram operam nauare. Hunc itaque ſtatum cæteris, qui tunc erant, & ſecuritate, & honeſtate præſtantiorem, literis quidem vtcunque memoratum, ſed ab humano conſortio relegatum. Cartuſiani ſuſcitârunt, delegerunt, & tanquam exemplar ſolitariè viuendi deſumpſerunt, quod & quibuſdam tum additis, tum mutatis ita temperauerunt, vt in vita Cartuſiana: Anachoreticus rigor præcipuum ſibi munus vendicaret, & tamen viribus humanis (quæ modò fragiliores eſſe dicuntur) portabilis foret. Hæc eſt ſecunda peculiaris, quæ & exemplaris dicitur, vitæ Cartuſianæ inceptio, de qua poſtmodùm ſuo loco dicturi ſumus. Quamobrem illam tertiam (quam nouiſſimam, ſpecialiſſimamque vocauimus) Cartuſianæ vitæ inchoationem, opus eſt vel leuiter tangamus, quę ſeculo ad occaſum vergente mirabiliter effecta eſt. Et quidem ſi de tempore agitur, facta fuiſſe traditur Anno Domini ſupra milleſimum octogeſimo quarto. Si de authore, per Brunonem virum

Peculiaris vitæ Car. origo.

Cartuſ. ordo quo tẽpore incœpit, quo

ſum & ſanctum, & theologum. Si de loco, in aſ- *authore, quo loco & modo.*
pero monte, qui Cartuſia dicitur. Si denique de
modo, mirabile ſanè, plurimumque prodigio-
ſum ſumpſit exordium. Verùm, mi Oblocutor,
huius poſtremæ, ſpecialiſsimæque originis (à
qua ipſa vita dicta eſt Cartuſiana) pleniſsima de-
claratio in aptiorem locum differenda videtur.
Interim, ſi quid habes, obloquere.

CAPVT III.

Mouentur, ſoluunturq́; nonnullæ obiectiones.

OBLOCVTOR.

MVlta inter loquendum ridicula, indi-
geſtaque dixiſſe viſus es. Primum qui- 1.
dem, de figura ſpeciali tuæ vitæ Cartuſianæ.
Etenim cùm ipſa ſit longè diſſentiens ab anti-
quiſsimorum Patrum vita, mirum eſt quo pa-
cto eam ita figuratam dixeris. Secundum verò, 2.
quia aliæ religiones etiam tunc figuratæ fue-
runt. Cur ergo ſpecialiter, imò arroganter hoc
tuæ religioni tribuere non vereris? Tertium 3.
quoque quoniam in antiquis codicibus nullam
de Cartuſianis mentionem accepi. Sed & Ber-
nardus ante verba illa per te ſuperiùs allata de
Cartuſiana vita, ſic ait: Hæc nouitas, non eſt no-
uella vanitas. Quibus in verbis, à te callido ſi-
lentio prætermiſsis, tuam vitam ipſe Bernardus
nouitatem vocat. Quartum inſuper, quia ridi- 4.
culum eſt dicere, eandem vitam tot modis in-
cœpiſſe. Sed & nimia varietate omnia videris
confundere, multoque tædio afficere audito-
rem. Quintum denique, quoniam mihi cum tuis 5.
Cartuſianis prorſus videris alienis pennis vola-
re. Cur (quæſo) tui Ioannem Baptiſtam, & non
potiùs ex ſuis aliquem, puta Brunonem, in Pa-

tronum delegerunt? Pet. Poſſes fortaſſis inermem hominem iſtis tuis iaculis plurimùm terrere. Sed ea caſſa eſſe nulliusque acuminis oſtendamus.

Primum enim inane eſt, quoniam inter figuram & figuratum non opus eſt omnimodam ſemper conſonantiam inueniri. Licèt ergò ſit aliqua diſparilitas vitæ ad vitam, maior tamen propinquitas eſt Cartuſianæ vitæ ad illam veterem, quàm alterius vitæ religioſæ. Illi enim vetuſtiſſimi ſilétio, ſolitudini, contemplationi, & vitæ aſperitati (ſicut diximus) præcipuè incumbebant, quod & Cartuſianos peculiarius obſeruare, certiſſimum eſt. Secundum quoque telum irritum eſt, & iam ſatis confractū eſt, quoniam propter maiorē vitæ parilitatem (quæ ſatis oſtenſa eſt) dictum eſt, Cartuſianam vitā ſpecialius figuram fuiſſe. Tertium etiam iaculum prorſus eſt inutile, quia non ſemper nomina ſūt rebus ſuis coætanea. Res enim (ſi neſcis) ſuas natura nuncupationes præceſſêre. Igitur Cartuſiana vita figuraliter olim agebatur, nomen ipſum adhuc ignorabatur. Res ipſa fuerat exemplariter incœpta, ſed quia nondum completa euaſerat, ideò iure optimo tantum ei nomen inditum nō erat. Visne in ardua materia exemplum ſatis opportunum? Status quidem Dominorum Cardinalium (pro quorundā opinione Magiſtrorum) ab ipſis Apoſtolis ortum habuit, quippe qui Petro Chriſti vicario in arduis Eccleſiæ negotijs aſſiſtentes, & Cardinales fuerunt, & Cardinalium typum geſſerunt. Sed nunquid Cardinales appellabantur? Minimè. Dignitas quidem illa cœlitus data fuerat, ſed nomen impoſitum non erat. Pannoſa veſtis aderat, rubeus

Cardinales vnde ortum habuerunt.

pileus

pileus caput non adornabat. Martyres denique à Cardinalibus ſepeliebantur, ſepultorum nomina, literis mandabantur, tanta nominis, honoriſque faſtigia principio neſciebantur. Vides ergò, vt nomina non ſint ſemper ſuis rebus coætanea. Sed de his ſatis. Quia autem Bernardus vitam Cartuſianam vocat nouitatem, accipiendum eſt de poſtrema incœptione, quæ tempore ſuo vetus non erat. De alijs autem incœptionum generibus ſi contendas eum intellexiſſe, tuum erit à diſſidentia eius dicta vindicare.

Quartum verò telum ſimiliter ineptum eſt, quandoquidem varijs incipiendi modis poteſt eadem res initiari. Quod & de Cartuſiana vita monſtratum eſt, quæ primo ſigularem, deinde exemplarem, & poſtremò realem, completumque inchoationis modum dicta eſt habuiſſe: qua in re nulla videtur facta fuiſſe confuſio, ſed debitus ordo ſeruatus. Etenim ſi generalem modum cum peculiaribus numeraueris, quatuor certè habebis. Si verò peculiares duntaxat fueris complexus, tres ſolum inuenies, ſpecialem videlicet, ſpecialiorem, & ſpecialiſſimum, de quibus agere præcipua nobis cura fuit. Quintum denique iaculum, inſtar aliorum, vanum eſt, & inane. Siquidem ipſi Cartuſiani dictum Brunonem ſuum ſemper patronnm arbitrati ſunt, quem & ſuæ vitæ peculiarem authorem, & in Sanctorũ numerum fuiſſe relatum, nunquam dubitauêre. Sed quoniam in Sanctorum catalogo per Apoſtolicam Sedem principio repoſitus non erat, eaque de re communes, publicæque preces ei tunc offerri ſine temeritate non valebant, id-

circò alium vnum ex præcipuis ſolitarijs eligendum ſatius putauerunt. Diuum ergo Ioannem Baptiſtam in peculiarem ſibi principem aſſumpſerunt. Nec iniuria, quippe qui ſuæ vitę & figuram geſſit, & veritatem tenuit. Ille enim primum extremam anachoreſim ſectatus, diſcipulos tandem habuiſſe legitur. Adde quod tutas communeſque preces, extra controuerſiam illi ſolitario porrigi poſſe credebant, quem non ambigebant multi apud Deum eſſe momenti. Denique perſuaſum habebant, eum ipſum pro veritate paſſum, poſſe eos in veritate vitæ tam aſperæ confirmare, & contra venenata peſtiferæ linguę iacula defenſare. Non eſt ergo, liuide, cur vitæ Cartuſianæ originem debeas improbare. Non enim tuorum ſæculorum acies hoc efficiunt, ſed nec illud primum tui liuoris argumentum in prioris Capitis fronte effuſum, hoc concludere poteſt. Nam & claram probatamque originem habuiſſe vitam Cartuſianam (de qua viri tùm ſancti, tum literati meminerunt, quemadmodum largiente Domino dicturi ſumus) nullus neſcit, niſi qui ſolum inuidere nouit. Sed iam ſi (tibi ita videtur) ad ipſam Cartuſianæ vitę pręcipuam nouiſſimamque inſtitutionem accedamus.

TRACTATVS SECVNDVS

agit de peculiari origine, & authore Cartuſianæ vitæ, cauſa quoque, & modo eam ſuſcipiendi, ac demum loco, in quo habuit exordium.

CAPVT I.

Oblo-

OBLOCVTOR.

PLacet illam, quam dicis præcipuam poſtremamque vitæ Cartuſianæ inſtitutionem, diſcutere, & quantùm vita ipſa mihi reprobanda, vel ab exordio huiuſcemodi videatur paucis aperire. In primis quidem huius vitæ primus author non eſt à principio relatus in numerum Sanctorum, quod vnum ſane argumentum ſufficit ad improbandam huius vitæ inſtitutionem. præſertim cùm nulla alia religio adduci poſſit, quæ ſuum primarium ducem, & Sanctum, & canonizatum non habuerit. Deinde omne aliud religioſæ vitæ genus aliquibus vel modis, vel ſignis memorabilibus, & cœptum, & multa nominis celebritate decoratum eſt. At verò nihil tale eſt in Cartuſiano propoſito reperire. quippe quod ſolius voluntatis temeritati nixum eſſe videatur. PET. Peculiarem, nouiſſimamque vitæ Cartuſianæ inſtitutionem (à qua propriè Cartuſienſis dicta eſt) nec taxandam, nec denigrandam, ſed mirabilem prorſus & diuinam eſſe, multiphariam oſtendi poteſt: ſcilicet ab authore, cauſa quoque, & modo quibus inſtituta eſt, & denique à loco, locique mira oſtenſione. De quibus ſeriatim dicturi, ab ipſo primùm authore ſumamus oportet exordium. Vir fuit nomine Bruno, natione Teuthonicus, ex Colonia Agrippina non obſcuris natalibus ortus. Fertur enim originē duxiſſe à nobilibus quibuſdam Romanis, qui migrantes Coloniam, & Coloni dicti ſunt, & nomen loco dederunt. Is ergo Bruno nobili ſanguine cretus, & adultam conſecutus ætatem, literarum ſtudijs incubuit, maximè verò (vt cætera taceantur) diuinæ ſapientiæ. Quam velut pre-

Author vitæ Cartuſ. quis & qualis.

literis certamina,& peritiſſimus & profundiſſimus Doctor euaſerit. At verò non curauit illuſtrando duntaxat ingenio deſudare(quod tyrones multi faciunt, quos inanes, aridoſque rectè dixeris) ſed potior eius cura fuit, affectum inflammare,deguſtareque ſuauiùs, quam dulce ſit & iucundum, Dominum in ſacra Scriptura loquentem audire. Quapropter non tantum inſigni literatura, ſed præclarè admodum vita fuiſſe creditur. Cura denique ingens ei fuit, ſibi creditum ſapientiæ talentum alijs impertiri, ne velut piger, maluſque ſeruus à Domino iudicaretur. Itaque præceptoris munus obiuit, quod non congerendæ pecuniæ, ſed diuini potiùs amoris contemplatione eum feciſſe putandum eſt.

At quoniam literatis, probis zeloſiſq; viris ſacerdotia debentur, eam ob rē Brunoni viro doctrinæ, virtutis, ſanctique zeli refertiſſimo, canonicatus Remenſis non iniuria collatus eſt. Quibus omnibus, ſcilicet literatura, probitate, zelo, beneficio præditus Bruno, communem vitam (quæ ſecularis paſſim nuncupatur) agebat. Verùm enim verò tantum hominem diuina clementia volens & ab innumeris ſeculi periculis eruere, & ad perfectionis anachoreticæ (quam per eum inſtaurare decreuerat) faſtigium euehere, illis eum modis ad ſe vocauit, quibus delectum genus hominum trahere conſueuit. Omnes quidem ſufficienter vocat, nõnullos tamen efficaciter.

Quot & quibus modis ſoleat Deus homines vocare.

Quos quidem & quatuor ſæpè modis ad cœleſtem patriam euocare dignantur, ſcilicet voce, ſignis, nuntijs, & literis, quibus vel vtũtur mortales, cum alquem ad ſe venire moliuntur.

Voce e-

Voce etenim nonnunquam Dominus vocat, cũ interna pulſatione mentem excitat. Signis vocat, cum extraria nobis exempla proponit, vel cum aduerſa quædam, aut proſpera confert. Nuntijs vocat, cum doctorum, rectæque monentium verba nobis ingeruntur. Literis vocat, cum ſacra Scriptura pijs à nobis ſtudijs euoluitur, vel Sanctorum volumina doctorum tractãtur. Quæ licet præceptores muti dicantur, ſuam tamen quandam vocem habent, qua legentium corda plerumque concitantur. His ergò artibus Brunonem Diuinæ bonitatis ſuauitas vocare dignata eſt. Et quidem ſi de ipſa interna vocatione agatur, haud dubium eſt, neminem ſuperna cœlorum culmina penitus adire poſſe, *niſi quem Pater cœleſtis vocauerit traxeritque*. Quapropter diuinam inſpirationem in huiuſcemodi negotio (quo regnũ parabatur cœleſte) Brunoni peculiariter vocandi genere (quod ſignis fieri diximus) Brunonem vocatum fuiſſe oſtendamus, duplicem illam vocationem, quæ nuntijs & literis, hoc eſt, Doctoribus loquentibus, & mutis ſcilicet libris, fieri ſolet, tanquam certam vel omittentes, vel certa parumper differentes. Oſtendamus, inquam, miram Brunonis vocationem, ſimulque immenſam diuinæ ſapientiæ altitudinem admiremur, & collaudemus: quæ volens grande aliquid mortalibus impertiri, ſolet mira quædam exordia præmittere, & ſtupendis inſolentibusque ſignis rei poſtea futuræ dignitatem prænuntiare. Sic Iudaicum populum præcedentibus ſignis à Pharaonis ſeruitute liberauit, liberatoque & adunato legapretioſam Margaritã tam multo laboris pretio ſtuduit comparare, vt tandem poſt multa cum

lite-

1. Voce. *2. Signis.* *3 Nuntiis.* *4. Literis* *Ioan. 6.* *Exod. 7. 8.* *Exod. 19. 20.*

lem tradidit modum viuendi. Sic populũ Chriſtianum à gẽtilitatis errore per miracula reuocauit, & Chriſtianæ fidei radices in agro Catholico plantauit. Sic denique multos per vitiorum abrupta præcipites ad vitam reduxit veritatis, & mirandis prorſus incitamentis, nouum in eis vitæ genus inſtituit. Igitur (vt cœptum negotium proſequamur) diuina prouidentia volens anachoreticam vitam iam dudum collapſam, per Brunonem reparare eumque in primis ab Aegypto, hoc eſt, tenebroſo ſæculo eripere, dignata eſt à ſtupendo prodigio tantum opus incœptare: quod hoc modo factum fuiſſe, memoriæ proditum eſt.

CAPVT II.

De cauſa ſeu motiuo deſtituendi ſeculi, ac ſuſcipiendæ per Brunonem vitæ heremiticæ.

Miraculũ Doctoris Pariſienſis damnati quãdo cõtigit, & quomodo.

ANno incarnationis Dominicæ ſupra milleſimum octogeſimo ſecundo, vel circiter (ſi fides ſit annalibus tribuenda) tempore Gregorij ſeptimi Romani Pontificis apud Pariſios huiuſcemodi contigit prodigium.

Inter Doctores, Doctor vnus erat ſcientia, famaque præcipuus, populo admodum gratus, & ſanctitatis demum opinione percelebris, quẽ breui morbo correptum, ſuprema fata rapuerunt. Cumque ad tanti viri funerale officium, tota Doctorum, Scholaſticorumque vniuerſitas aduenisset, & inter pſallendum ad illam lectionem: Reſponde mihi, deuentum fuiſſet (quemadmodum ſcriptores nonnulli meminerunt, cęteris hoc tacentibus) mox ſtupentibus cunctis defunctus (qui feretro conditus decumbebat) erecto capite reſedit in loculo. Qui & primùm (audien-

(audientibus omnibus) alta, & terribili voce in hunc modum exclamauit: Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum. Qua voce data, protinus reclinato in feretrum capite, iterum mortuus ipſe decubuit. Ad tam ſtupendum miraculum omnes, qui aderant, perterriti, cadauer obſeruandum in alterum diem conſtituerunt. Interim fama volat, quæ & vires acquirit eundo. Altera igitur luce erumpente, maior, quàm pridiè, fit & doctorũ, & indoctorum concurſus. Quibus & mirãtibus, & de tanta nouitate diſquirentibus, ecce rurſus eleuato capite, doloroſa, horribilique voce defunctus ita inſonuit: Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum. Ad eam vocem mirum in modum attoniti omnes, qui ad ſpectaculum conuenerant, quid facerent, ſatis compertum non habebant. Sciſcitabãtur mutuò, quid ſibi vellet tanta prodigioſæ vocis inſolentia. Ipſum tamen defunctũ tandem vſque in craſtinum nullatenus tumulandũ, vnanimiter decreuerunt, maximè nonnullis aſſerentibus, iudiciũ eſſe verbum ambiguũ, quod ſcilicet in bonam malamque partem accipi poſſet. Igitur craſtino adueniẽte (quoniam tam ſtupendæ raritatis fama totam ciuitatem peruolauerat) conueniunt ſenes cum iunioribus, ſimul in vnum diues & pauper. Quibus exitum rei pręſtolantibus, en tertiò defunctus & altiſſimo, & mœſtiſſimo clamore perſonuit, dicẽs: Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum. Quo ſonitu ſupra modum terribili accepto in cõmune perſuaſum eſt, eum ipſum, quem tanti putauerant, perpetua morte perijſſe, eaque de re Chriſtiana ſepultura eſſe indignum. Præfatos defuncti clamores eodẽ die factos, nonnulli tradiderant, ſed nos tritum modum ſectati ſumus. Tradiderant & per totam

diocœſim Pariſienſem, aliaſq; nonnullas, à tempore huius ſpectaculi, verba illa, Reſponde mihi, in officio defunctorum eam ob rem omiſſa fuiſſe. Sed ad cœptum redeamus. Accepta igitur tanti viri certa damnationis ſententia, qui aderant timore ſimul, & tremore perculſi, memorabãt quod Regius Propheta de Deo cãtauerat, dicens: *Terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.* Et iterum: *Iudicia Dei abyſſus multa.* Illud quoque reuoluebant Apoſtoli, quod admirãs ita exclamauerat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ et ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?* Sed inſtitutum proſequamur.

Pſal. 65. *Pſal. 35.* *Rom. 11.*

In illo cœtu mirantium pariter, & timentiũ, erant multi ſolennes viri, quorum nonnulli ad melioris vitæ frugem ſe conuerterunt. Inter quos venerabilis Bruno præcipuus vnus aderat cũ ſex alijs ſibi peculiaribus, ſcilicet Lauduino, duobus Stephanis Burgẽſi & Dyẽſi, Sancti Ruffi ſecus Valentiã Canonicis, Hugone (quẽ poſtmodũ Capellanũ cognominauerũt, eò quod ſol⁹ inter eos Sacerdotis fungeretur officio) & duobus deniq; laicis Andrea & Garino. Qui omnes ad tam mirabile ſpectaculũ tremefacti fuerant, multoq; pauore cõcitati. Quos ad ſe vocatos magiſter noſter Bruno, his aut ſimilibus verbis eſt allocutus. Animaduertiſtiſne, chariſſimi, miſerrimum tanti viri exitiũ, tã mirabile prorſus exemplum, tã ſtupendum inauditũq; prodigium? Heu ſodales amantiſſimi, ſi vir tantæ opinionis tam miſerè perijt, quid quæſo de nobis homunculis futurum putamus? Si ad huiuſmodi ſpectaculum, ita animo conſternati ſumus, quid precor facturi ſumus, cũ pallida mors ingruerit, cũ truculentus hoſtis noſtro calcaneo inſidians aderit,

Brunonis ſocij quot & qui.

Brunonis ad ſocios ſuos exhortatio.

cum

cùm iudex primam ſententiam laturus aduenerit? Si deniq; ad vnius mortui vocem tanto pauore correpti ſumus, quid oro faciemus ad illam terribilem nouiſſimamq; tubam, ita nos excitantem: *Surgite mortui, venite ad iudicium?* Quid, inquam, facturi ſumus, cū ipſe venerit dies Domini magnus? *Dies, inquam, iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies tubæ & clangoris.* Eheu dilectiſſimi fratres, quò tunc conuertemur? ad quē ibimus? cuius patrociniū flagitabimus, cū nullus ſit ibi futurus vel orationi, vel defenſioni locus? Ergò dum tempus adeſt, etiam atq; etiam cogitemus, non negligamus, nobis conſulamus, nō pereamus, longius aſcendamus, non maneamus. Mundus iſte immūdus, nequā, tenebroſus, inſtabilis, inquiet⁹, laborioſus, periculoſus, fallax, pernicioſus, vitijs quidē alimentū miniſtrat, ſed virtutibus magnū parat detrimentū. In mūdo quis mundus poterit victitare? In turba, quis ſine turba eſſe valebit? In ſæculo denq; licebit ſine ſæcularitate verſari? Cur ergo ſeculum amemus, & nō fugiam⁹? Fugiamus igitur, fugiamus, ne & nos cū illo miſerè diſpereamus. Miſsū faciam⁹ tartarei Pharaonis dominiū, Aegypti iugū à ceruicibus excutiam⁹, de medio Babylonis egrediamur Pētapolim iam igne ſulphureq; ſuccenſā deſeramus, & deniq; (ſi ſapimus) non negligētes ad melioris vitæ frugem greſſus noſtros conuertamus. Sic affatus Bruno, ſingulorū animos ad deſtituēdum ſeculū penitus inflāmauit. Sed cùm multa regularis vitæ genera eſſe non ignorarent, ignorabant tamen, quod ab eis potiùs eligendū ſectādumq; foret: quendam ſanctum heremitam pro conſilio petendo adierunt. Quibus ille (cognito

Soph. 1.

Mundus qualis ſit.

Exhortatio ad fugā ſeculi.

eorum propoſito (heremiticam vitã capeſſere, quo tremendum diuinę ſeueritatis iudicium tutiùs euadere poſſet,ſuaſit,illud Pſalmiſtę depromens: *Elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Qua

Pſal. 54

reſponſione cordatus Bruno plurimum ſtimulatus,ſimulq; mente verſans, quid in ſanctis voluminibus de heremiticæ vitæ ſecuritate,fruge, perfectione antea legerat,protinus vitã heremiticã vtiliter arripiendã cenſuit,& ſuis cõmilitonibus (quantũ opinari fas eſt)ita perſuaſit dicẽs: Audiſtis chariſſimi,quodnam regularis vitæ genus à nobis ſit obeundum, quam ob rem moras ſoluamus periculoſas, cõfeſtim deſerta petamus aptiſſima pœnitentiæ loca. Solitudinem vitijs aduerſã, ſed virtutibus amicam adeamus. In deſerto noſtras ſaluemus animulas. Denique pro dato nobis conſilio, in abditum heremi receſsũ nos recipiamus,vt noſtram illic ſalutem& tutius curare, & horrenda nimium ſupplicia euadere queamus. Sic Paulus, ſic Antonius,ſic Hilarion, ſic Macarius, ſic Hieron. ſic Arſenius,ſic deniq; illa innumera ſanctiſſimorum anachoretarum agmina fecêre. Non pœniteat tantos habere duces,non pigeat tales Principes æmulari. Cumq; finem ſanctę exhortationis feciſſet,ſex illi,quos fuerat allocutus, ad huiuſmodi ſalutifera verba magis ac magis concitati, mox vnanimiter aſſenſerunt mundialem vitam prorſus miſſam facere, & vanis tandem popellis, inſaniſque voluptatibus, delicijs, honoribuſque perpetuò ſalutatis, ad heremi ſe deſerta conferre modo ipſe Bruno Dux Princepſque tanti negotij foret. Itaq; Bruno cnm ſex illis commemoratis,prorſus cenſuit ſolitariam vitam eſſe arripiendam, quærendum tamen in primis aptum negotio locum,

Exhortatio ad vitam heremiticam.

cum, ne per vias incertas vagarentur, & velut inſani irent quo neſcirent. Sed iam ſatis de autore, cauſaq; ſeu motiuo, quod cum ad Cartuſianam vitam deligendam impulit, dictum puto. Iam ad alia (niſi quid te moueat) properandum videtur. OBLO. Hactenus me velut attentum diſcipulũ habuiſti: iam verò ſenties hoſtem acerrimũ. PET. *Parturient mõtes, naſcetur ridiculus mus.* *Hora. art. poet.*

CAPVT III.

Obiectiones quædam capeſſendæ ſolitudinis cauſam definitionemq; improbantes, quæ & diſſoluuntur.

OPLOCVTOR.

MVlta poſſem in tuum Brunonem, Cartuſiani propoſiti autorem, in medium afferre, ſed præſagit animus, aptiorem locum poſthac affuturũ. Quapropter ſat erit modo, ipſius propoſiti incentiuum ſeu cauſam, delectionemque diſcutere. Et quidem circa ipſum motiuum (quod prodigioſæ rei exemplo factũ dixiſti) te & inſufficienter, & dubiè narraſſe, nullo negotio oſtendi poteſt. Inſufficienter quidem, quia nec de nomine illius tam famoſi (miſerè tamẽ perditi) doctoris, nec de loco, vbi defunctus ipſe illos clamores inauditos dederit, quicquã meminiſti. Sed & de tempore, quo facta ſunt huiuſmodi omnia, ita dubiè proſecutus es, vt tuam feceris ſuſpectam narrationem. Porrò cõceptum à Brunone propoſitum, delectionemque heremiticæ vitæ, tam facilè eſt impugnare, vt nihil magis. Etenim huiuſmodi Brunonis auſus videtur arguendus leuitatis, imprudentię, temeritatis. Leuitatis ſcilicet, quoniam innumeri pene viri ſpectaculo aderãt, qui propterea nihil tale propoſuerunt. Quare leuis hominis ſignum

(margin: 1. 2. 3.)

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gnum fuit, ꝙ viri etiã graues non fecerunt, attẽtare. Imprudentiæ quoq;, quod neſcio quẽ heremitã pro cõſultatione cum ſuis adierit. Si Bruno tantus Doctor erat: nunquid, oro, pulchrũ fuit, alium vel idiotã conſulere, cõſulentemq; protinus audire? Temeritatis deniq;, quod illa vita ab eo delecta, nec certa nec ꝓbata erat. Pet. Ea eſt liuidorũ conditio, vt sẽper ea rodãt, quæ ab alijs vel bene geſta, vel rectè narrata sũt. Sed ne tui liuoris venena quẽpiam à veritate dimoueãt, nõnihil antidoti adhibendũ eſt. Primum ergo tuæ veſaniæ argumentũ diluentes, fatemur ingenuè, nullũ Doctori illius nomen per nos adductum eſſe, quod nullũ ſit literarũ monimẽtis (quod viderimus) proditũ. Itaq; non fingere nouũ, ſed incognitũ tacere voluimus. Sed forte q̃rat aliquis, cur eius nomen perpetuæ memoriæ creditũ non eſt? Nempe quod proprij nominis cõmemoratio nihil defuncto profuiſſet, & ſuæ forſan conſanguinitati obfuiſſet. Si.n. reſcitũ miſeri cuiuſpiã ſuſpendiũ, toti generi dedecus afferre putatur, multò magis perpetuæ dãnationis narratio hoc ipsũ efficeret. Hæc eſt vna cauſarũ, quibus ſolent interdũ nomina reticeri, ne ſc. nominis patefa-
Luc. 16. ctio totã dedecore progeniẽ afficiat. Sic.n. dicũt diuitis epulonis nomẽ à Domino fuiſſe ſuppreſſum, quòd ſc. nonnulli eius cõſanguinei adhuc ſuperſtites eſſent, quorũ famam nominis expreſſione lædere non voluit: quo nimirũ exẽplo docetur, totã progeniẽ non eſſe ob vnius vitiũ denigrandã. Altera quoq; cauſa parcitur nominib' quòd ea nomina ſortiti, turpiter eis abuſi ſint,
Pſal. 48. quos Pſalm. carpit, cùm inquit: *Vocauerũt nomina ſua in terris ſuis*. Iuſto enim iudicio vſu venit, vt nominis fama priuentur, qui nomine perperã vſi

fue-

ſuerint, quos & ita Dominus ipſe deteſtatur, vt eos nullo nominis honore dignetur, eo per Pſalmiſt. dicente: *Nec memor ero nominũ eorũ per labia mea* Deniq; ſolent nomina ſilentio præteriri, cũ nihil frugis in eorũ expreſſione reperire eſt. At contrà, reproborũ nomina interdũ adducuntur (non ꝙ digni ſint nomine) ſed quia vel myſterij vel vtilitatis aliquid inde hauriri poteſt. Sępè.n. ipſorum nominum interpretatio, aliquid innuit latẽtis ſecreti, quod potiſſimũ ſacris in literis eſt inuenire: quæ nomina tacuit, vbi nihil vtilitatis, meminit aũt, vbi quicquam ex cõmemoratione frugis accipi poterat. Quod rurſus argumentaris me nihil de loco meminiſſe, volui (ſi neſcis) ea quæ veſtigare curioſũ eſt, penitus reticere. Quid enim quæſo curandũ eſt, an ipſum prodigiũ fuerit oſtẽſum in domo, vel in templo? Hæc enim, & ſimilia curioſa, ſunt in tanta vitę breuitate negligẽda, quippè quæ magnã afferunt & tempori, & ſaluti iacturam. Hinc Auguſt. ſuper Geneſim quærens de figura cœli, ait: Scriptores diuinos illud caluiſſe, optima tamen ratione tacuiſſe, quòd ſcilicet huiuſmodi non proſint ad beatam vitã. Non enim voluit Spiritus S. ea docere, quæ nullius ſaluti eſsẽt profutura. Quia in re grauiter inſimulandi ſunt, qui curioſis in rebus totũ tempus occupãt, & ea quæ ſaluti conducere poſſent, omninò veſtigare negligũt. Sed ad inſtitutũ reuertentes, dicamus, nos dubiã de tẽpore hiſtoriã texuiſſe, ne ſcil. nobis vel falſitatis, vel temeritatis calũnia fieret. Cùm enim illius hiſtoriæ narratores mutuò de tempore diſſidentes accepiſsẽ, certum fuit ea, quæ prorſus non erant à dubietate aliena, dubiè tractare, ne ſcilicet illorũ temeritatem imitarer, qui non vererentur dubia pro

Pſal. 15.

 certis,

certis, hominum auribus inculcare. Denique quod Brunonis propoſitum arguis leuitatis imprudentiæ, temeritatis, debueras putidæ linguæ peſſulū obdere, ne & tu impiæ temeritatis cauteriū ferres. Vt tamē Brunonis propoſitū à leuitate vindicemus, dicimus in primis non ſolum Brunonem, ſed & alios multos ſolennes viros, ſpectaculo cōcitatos, ad melioris vitæ frugem ſe conuertiſſe, ſeculo abrenunciaſſe, & diuerſas in religiones ſe recipientes, celebre nomen exemplumque ad poſteros tranſmiſiſſe. Quapropter nulla penitus leuitate taxari debet. Deinde dicimus, etiāſi ſolus ipſe hoc attentaſſet, eum non propterea culpandū, quippe qui hoc auſus fuiſſet, quod antea innumeros penè Sāctos & feciſſe & monuiſſe legimus. Sed fortè quæras, cur è tā multis ſpectaculo præsētibus, pauci illi ſæcularē vanitatem miſsā fecerunt? Reſponsū, & ſimilitudine, & fabula quadā accipe. Videre enim eſt porcellū in agro legumina furtim edētē cùm ad canes clamitatur, ſubitò trepidare, arrigere aures, ab eſu ſe cōtinere. Sed vbi clamari ceſſatum eſt, protinus ad edenda piſa reuerti. Sic eorum multi (quod vſu venire ſolet) terribili ſigno moniti, vt reſipiſcerent, primùm formidauêre: at vbi à ſpectaculo abceſſêre, mox ad ſua vitia porcino more redierunt. Poſt ſimilitudinē accipe fabellam. Leo rex beſtiarum aliquando publico mādauit edicto, oēs ad ſe beſtias venire debere. At cū permultæ Leonis cauernam ingreſſæ, fuiſſent ab eo depaſtæ, callida vulpecula beſtiarum veſtigia prudēter cōtemplans, animaduertensq; beluas multas Leonis caueā adijſſe, redijſſe nullā: ergone (inquit) ita itur, & non reditur? Siſtēdus eſt greſſus, pes referendus, fugienda cruēti

Fabula.

Leonis

Leonis rapina. Sic pleriſque, beſtiarum inſtar, ad tartari Leonis antra (à quibus non eſt redire quenquam) ſe & inconſultè & præcipitanter agentibus, pauci illi prudentiam vulpis imitati, profunda mente negotium volutarunt, pedem retulerunt, & *arctam illam viam, quæ ducit ad vitam*, cenſuerunt arripiendam. Quo & fieri debere, non ſolum præfato, ſed etiam alio ſigno ſatis diuinitiùs oſtenſum eſt. Aues etenim domeſticæ, tunc temporis ſyluaticæ ſunt effectæ. Quo ſigno ſatis innuebatur, ſpiritales aues eſſe deſerta ſyuaſque petituras. Cur ergo culpandus erit Bruno, qui cœlitus admonitus, aſſumpſit pennas ſicut columbæ, vt volaret, & requieſceret, diceretque cùm propheta: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine?* Sed iam imprudentiæ notam, qua Brunonem imprudens inurere tentaſti, diluamus, tuam arrogantiam & mirātes & ridentes. Nonne, quæſo Brunoni licuit facere, quod Auguſtinus fecit? Hic enim (ſi neſcis) animaduertens, in via Dei alios quidem ſic, alios verò ſic ire, quēdam & re & nomine Simplicianū adiuit, vt viam per quam ingrederetur, oſtenderet. O turgida, væſanaque multorum ſuberbia qui bonorum virorum (quos vel idiotas, vel ſciolos dicunt (conſilia fugiunt, aut certè nihilipēdunt, & in arduis periculoſiſq; rebus (de quibus propter circunſtantiarum varietatem ſępe nihil literarum monimētis proditum eſt) aut ſibi cōſulunt, aut quoſdam alios vitæ laxioris (ne dicā diſſolutæ) potiùs dicunt elegendos, qui tamen nec rerum experientiam, neç vitæ ſanctimoniā nec ſpirituum diſcretionem habent. Hos igitur miſſos faciens, Bruno prudenter egit, ſancti viri cōſilium flagitans. Sanctos etenim viros, in dan-

Matth. 7.

Pſal. 54. 2.

Auguſtin. quo, qua in re cōſiliū quæſiuit.

Sãctos viros in quibus errare non contingit.

dis conſilijs de rebus ad ſalutem neceſſarijs, non contingit aberrare, niſi forſan culpa conſilium petentis interuenerit. Enimuerò, ſi negotium viderint ſuas vires exuperare, vel ſuam capacitatem humiliter excuſant, vel pro conſilio diuinitùs habendo, eum, à quo recta ſunt conſilia, feruentiùs orandum cenſent. Bruno igitur conſultiſſimè egit, ſancti heremitæ conſilium humiliter flagitando. Sunt (fateor) qui de huiuſmodi conſultatione cum ſancto heremita per Brunonem habita nihil meminerunt: Brunonem ipsũ introducẽtes cum ſuis colloquentem, & tanquã certum atque indubium de propoſito heremitico atque itinere Gratianopolitano arripiendis, ſtatim poſt ſpectaculum Pariſijs oſtenſum, cum eis definientem. Quod ſi verum eſt, cur obſecro ſtatim poſt huiuſmodi deliberationem de propoſito itinere, & loco ſimul habitã, Bruno cum ſuis ad iter ipſum ſe non accinxit? cur per annũ & ſuprà (ꝙ dicetur poſtea) diſtulit, ſi terræ plaga ei cognita erat, quam adire deberet? Aut igitur tantæ dilationis cauſas reddant, Brunonemque à negligentia vendicent, aut trita nobiſcum veſtigia ſectentur. Siquidem auribus hominũ hactenus inculcatum eſt, Brunonem pro conſultatione facienda ſanctum quendam heremitam adijſſe. Sed & ſtatim poſt ipſum ſpectaculum eos non fuiſſe certos de loco quem adire deberent, teſtatur apertè Guigo in vita S. Hugonis Gratianopolitani, hoc modo de Brunone & ſocijs eius dicens. Quærebant autem locum heremiticæ vitæ congruum, necdum receperãt. At verò quis dubitârit, potiùs Guigoni (qui temporibus illis vicinior fuit) credẽdum eſſe, quam huiuſmodi nouellæ fictioni? Ipſe igitur inuentionis auctor viderit.

derit. Sed iam opus eſt, nouiſſimam obiectionē de Brunonis propoſito confictā, diſſoluere. Qua in re primùm reſpōdemus, eodem modo temeritatis arguendos Baſilium, Hieron. Auguſt. Benedictum, & reliquos Patres diuerſarum inſtitutionū primariòs inuentores. Quod planè cum ſit & temerarium, & impium: proculdubiò ſacrilegum erit, pro re tam iuſta Brunonem arguere temeritatis. Reſpondemus & aliter, vitam à Brunone conceptam, longo antè tempore fuiſſe inchoatam, partim figura veteri, partim exēplo ſeu typo à ſanctis anachoretis olim exhibito. Quapropter cùm non penitus nouum propoſitū obire, ſed antiquum inſtaurare, melius quidem & honeſtius cogitârit, non eſt ita arguendus. Reſpondemus denique, Brunonem iuſtis de cauſis hanc vitæ ſpeciem potiùs delegiſſe, ob maiorem ſcilicet vitę ſecuritatem, arctitudinem, ſupernęque prouidentiæ diſpoſitionem. Bruno cupiens diuinæ ſeueritatis cenſuram euadere, ſecuriùs vitam periculis remotiorem elegit. Bruno pro reponenda cœlis anima, exiguum pœnitentiæ pondus aſſumere non cōtentus, propoſitum cæteris aſperius ſuſcipiendum magis putauit. Itaq; videt, non liuidulus, ſed æquus cenſor, quàm rectè notaueris Brunonem temeritatis Sed quomodo precor ita calumniādus eſſet, qui non ſolùm ad terrificum prodigium, ſed etiam ad Dauidicæ fidis harmoniam excitatus, ſedula mente verſabat, quemadmodum *homo vanitati ſimilis factus eſt*: nec vanitati tantùm ſimilis, ſed *vniuerſa* quoque *vanitas omnis homo viuens*? Verſabatur, inquam, quo pacto *homo ſicut fœnum dies eius, & tanquam flos agri, ſic efflorebit*, cuius & vita adeò fluxa eſt, *vt manè ſicut herba floreat, veſpere autē decidat*, *indu-*

Pſal. 143.
Pſal. 38.
Pſal. 103.
Pſal. 89.

Pſal.38. *induret, & areſcat.* Qui & ſæpenumerò *fruſtra con-*
Pſal.103. *turbatur, theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea.*
Pſal.51. Recordabatur etiam, vanum eſſe *vocare nomina*
Pſal.75. *ſua in terris ſuis, & confidere in multitudine diuitia-*
Pſal.11. *rum ſuarum, ſuumq; ſomnum dormire, & nihil tandē*
Pſal.118. *ſuis in manibus inuenire.* Meditabatur etiam, *bonum*
eſſe confidere in Domino *quàm confidere in homine,* &
Ibidem. denique eos eſſe *maledictos, qui à diuinis mandatis*
declinarent. Quibus, cæteriſque id genus concitatus Bruno, conſtituit *ab omni via mala prohibere*
pedes ſuos, auertereq; oculos ſuos, ne viderent vanita-
Pſal.36. *tem.* Conſtituit, inquam, *viam veritatis* eligere, le-
Pſal.44. gem Domini ſcrutari, & denique *declinare à ma-*
lo, & facere bonum. Quod vt efficeret cōmodiùs,
Pſal.101. voluit inclinare *aurem ſuam, & obliuiſci populum*
ſuum, & domum patris ſui. Voluit, inquam, ſimilis
Pſal.83. effici *pelicano ſolitudinis*, & ſicut *paſſer* fieri *ſolita-*
Eſa.38. *rius in tecto.* Voluit quærere *vt turtur nidum ſibi, v-*
bi poneret pullos ſuos, vt *ſicut pullus hirundinis ſic cla-*
Pſal.83. *maret, meditaretur vt columba.* Voluit *abiectus eſſe*
in domo Domini *ſui, magis quam habitare in taberna-*
Ibid.6. *culis peccatorum.* Voluit *lauare per ſingulas noctes*
lectum ſuum, & lachrymis ſuis ſtratum ſuum rigare.
Ibid 118. *Exitus* quoque *aquarum deducere, & cibari pane la-*
Ibid 79. *chrymarum, potumq; dari ſibi in lachrymis in menſu-*
Ibid 76. *ra, vt ſic ſcoperet ſpiritum ſuum.* Quid plura? Voluit
Ibid.108. *genua ſua infirmari à ieiunio, & carnem ſuam immu-*
Ibid.68. *tari propter oleum, ponereq; veſtimentum ſuum cilici-*
Ibid.42. *um, & propter Deum tota die mortificari.* Voluit denique ad huiuſmodi citharæ propheticæ ſonitū excitatus, mirandum ſaltum facere, ſcilicet de ſæculo ad deſertum, de valle ad montem, de ſolicitudine ad ſolitudinem, de tenebris ad lucem, de vanitate ad veritatem. Sed de his iam ſatis.
Quòd autem in ſuperioris capituli fronte, exor-

diū Cartuſianæ vitæ partim ab authore, partim à cauſa taxare cœpiſti, de primo iam dictum eſt, Brunonem ſanctiſſimum virum fuiſſe. De Canonizatione autem ipſius agetur poſtmodum cumulatiſſimè. De cauſa ſeu motiuo ſatis dictum eſſe puto. Itaque ad alia tranſeundum, agendumque videtur, quomodo vita hæc ſuſcepta, inchoataque fuerit.

CAPVT IV.

De cauſa petendæ regionis Gratianopolitanæ, modoq; diſceſſus Brunonis à ſeculo.

OBLOCVTOR.

IAM fortè putas te Charybdim euaſiſſe, ſed mox de te illud vulgabitur: Incidit in Scyllā, cupiens vitare Charybdim. Quod vt verè dicatur, nullo labore effici poteſt. Cùm enim in ſuperioribus dixeris (quod mente teneo) prodigium fuiſſe Pariſijs oſtenſum circa annum Dominicæ incarnationis 1082. vitam autem Cartuſianam à Brunone cœptam fuiſſe anno Domini 1084. faciliter confici poteſt ab ipſo ſuſcipiendi modo, totum negotium eſſe meritò reprobandum. Quid enim, precor, toto illo temporis interſtitio cum ſuis Bruno cogitauit? quid fecit? Cur tantiſper diſtulit? Nonne ille algidus teſtudineuſque ſuſcipiendi modus, vitæ huius ſatis improbat exordium? PETRVS. Facilè erit cum Carybdi, etiam Scyllam euadere. Quod vt rectè conficiatur, cœptæ narrationis curſum paſſis velis proſequamur, primùm agentes, de cauſa arripiendi itineris Gratianopolitani, deinde de modo Brunoniani diſceſſus. Inprimis ad ipſum iter Brunonem concitaſſe putantur, fama Hugonis Epiſcopi, fama quoque loci heremiticæ vitæ aptiſſi- *Bruno cur Gratianopolim petijt.*

ptiſſimi,& demùm diuinæ voluntatis ordinatio. Enimuerò poſt hæremiticæ vitæ propoſitum, delectionémque vnanimiter concluſam, multa ſolicitudine quærebantur à Brunone loca ſolitariæ vitæ congrua, ſed prima fronte non inueniebantur. Tandem (volente Deo) compertum eſt in Epiſcopatu Gratianopolitano, Hugonem virum ſanctum eſſe (de quo multum ſperare licebat, quippè qui fuiſſet in re literaria, vt fertur, Brunonis ſocius) eùmque Præſulis ibi ſarcinā gerere. Horridos quoque montes, aſperrimaq; loca eſſe, ſolitario propoſito aptiſſima. Quibus de cauſis, ſimulque diuino numine (quod in ea terræ plaga Cartuſianam vitam plantare decreuerat) impulſus Bruno, ſe ad iter cum puſillo grege accinxit. Sed cū quo grege? Nō hircorum non caprarum, ſed grege virorum, grege literarum, grege virtutum, grege denique bonorum commilitonum. Sed iam declaratis cauſis, quæ ad iter Gratianopolitanum Brunonem concitarunt, agendum eſt quomodo iter ipſum cum ſuis ipſe fecerit. Enimuerò Bruno venit ad heremum multo pauore concitatus. Viderat enim terribile ſignum Pariſijs oſtenſum. Et dubio procul mirabile prorſus exemplū viderat, Doctorem ſcilicet literis, fama, ſanctitatiſq; opinione percelebrem, paulò antè defunctum (dum exequiæ pararentur) in primis ſe accuſatum, deinde iudicatum, & poſtremo damnatum iuſto Dei iudicio reſpondiſſe. Itaq; totus tremulus, totuſque attonitus Bruno, mira Dei iudicia, eſſe reuoluebat. Et bene mira Dei iudicia, prorſuſq; incomprehenſibilia eſſe, in illo exemplo monſtratum eſt. Siquidem duo Doctores erant, ſcilicet Bruno, & miſer ille homo, ambo literis eminen-

Bruno quomodo venit ad heremum.

Mira Dei iudicia de

minentes, ambo ſacrarum literarũ profeſſores, ambo famæ celebritate, ſanctitatiſque opinione percelebres. Sed quid? Vnus miſerè ſed iuſtè perijt: alter miſericorditer fęliciterq; habuit. Vnus deiectus eſt in tartareũ cœnum: alter eleuatus ſupra ſydereum cœlum. Itaque tum verificata eſt præſaga Domini ſententia, quæ apud Matth. ita legitur: *Duo erunt in agro: vnus aſſumetur, & alius relinquetur*. Erant quippe illi duo in agro militantis Eccleſiæ, hoc eſt, in officio docendi, regẽdiq; populi, quẽ velut terram ſuę linguę vomere ſulcabant, vt aptior eſſet ad ſemen diuinæ gratię ſuſcipiendũ. Ambo, inquã, erãt *molentes in mola*, hoc eſt, in labore actiuæ vitæ. Sed quid? Vnus aſſumptus eſt, alter relictus. Qua in re diligenter illi ipſi voluere debẽt, qui in lecto, hoc eſt, in otio & ſuauitate vitæ quieſcunt, ne hoc ipſum eis cótingat, vereficeturq;, quod ibi ſequitur: *vnus aſſumetur, & alius relinquetur*. Fœlix planè, qui aſſumetur: infœlix prorſus qui relinquetur. Sed reliqua proſequamur. Bruno venit ad heremum cum mentis humilitate corporiſq; labore. Nõ enim phaleratum equum, ſed nec iumentũ quidẽ ſecũ duxit (tenellis enim pedibus ingreſſus eſt) Sed cur ita, niſi vt laboris exemplum ſuæ poſteritati relinqueret, niſi vt mundiales põpas prorſus fugiendas eſſe doceret, niſi vt iumentinam partem, hoc eſt, ſenſualitatis petulãtiã (quę more iumẽti ſolas quærit corporeas voluptates) deſerendã homini ad heremũ properanti oſtẽderet? Bruno venit ad deſertũ, cum nuditate labẽtium rerum. Nihil enim præter paucas ſarcinulas ſibi neceſſarias ſecum portauit, quas quidem ſuper humerali bacillo geſtãs, omnia (quod vulgo dicitur) propter periculum ignis ſecum ferebat.

duob' Doctoribus.

Matt. 24.

bat. Itaque nudus abſceſſit, vt Chriſtum nudum nudus ſequeretur. Sciebat enim, Leonem timere hominẽ nudum, perſequi veſtitum, hoc eſt, tartareum Leonem formidare hominem opibus Dei contemplatione nudatum, ſed aggredi lacerare, vocare eum, qui ſit diuitijs mundialibus opertus. Igitur nudus abſcedebat, qui cum nudo hoſte luctari volebat. Nudus diſcedebat, ne quicquam haberet, quo ad terram trahi poſſet. Nudus demum abibat, quod heremum nudos amare ſciebat. Paucas autem ſarcinulas Bruno tulit, vt neceſſaria quidem ſperare poſſe, ſed paucis nos cõtentos eſſe debere, inſinuaret. Deniq; omnia propter periculum ignis tulit, vt oſtenderet, ignem concupiſcentiæ timendum eſſe, ne poſtmodum vrat ignis gehẽnæ. Sed in cœpto pergamus. Bruno venit ad montem, non ſolus, ſed comitatus: vt ſignificaret, extremã ſolitudinem eſſe periculoſiſſimam, nec prima fronte paſſim arripiendam. Bruno veniens ad deſertum nõ admiſit ſecum puerum, vel ſeruũ. Nouerat .n. Heliã deſerta petentẽ, ſuum puerũ dimiſiſſe. Nouerat, inquam, puerilem ſenſum, ſeruilemq; timorem ab homine deſerta petente, deſeri debere. Bruno venit ad ſolitudinem cum virili conſortio (ſex enim ſocijs comitatus venit) vt inſtar moyſi, poſſet comitatus acceptũ Deo ſacrificium in deſertis offerre, vt etiam indicaret, ad ſolitariam vitam debitè agendam, virilitate opus eſſe. Non enim deſides ad id negotij ſatis apti eſſe videntur. Nec ſunt hæc tepidis caſtra tuenda viris. Deniq; Bruno ſanctum iter arripiens, multis (quantum credere fas eſt) agitabatur tentationum procellis, quibus callidiſſimus hoſtis nitebatur ab itinere eum reuocare

Leo vt timet nudũ, perſequitur veſtitum.

3. Reg. 19.

Exod. 10.

Siquidē cùm in procinctu diſceſſionis eſſet, tartareus Pharao multo ſophiſmatum agmine ſtipatus, diſceſſumque huiuſmodi ab Aegipto grauiter ferens, mox perſequi, totiſq; eum viribus, ab incœpto dimouere, & blanditijs, terroribus, alijsq; machinis eũ hoc pacto inuadere cœpit. O Bruno (inquit Bruno) quid cogitas? Quid moliris? Quid facere tentas? Cur vitam cõmunem, planam ciuilemq; vis deſerere? Cur ipſum quoque ſæculum, in quo diuitias, honores, gradũ, ſacerdotium, popularem gratiam, & multam deniq; famam adeptus es, penitus miſſum facere paras? Cur ſuauiſſimos amicos, cur ipſos quoq; conſãguineos (qui te multo labore tum alere, tũ præceptoribus imbuendum tradere curauerũt) graui mœrore conficere non vereris? Quid in te mali ſæculum admiſit vnquam? quid nocuit? in quo offendit? Si te ſolicitat cura ſalutis, nonne poteris in ſæculo tuam ſatis tutè curare ſalutem? Nonne tuas pauperibus facultates impertiri? nõne ignaros docere? nonne conſulere? nonne cõcionari? nonne demum alia pietatis opera poteris efficere? Sed quid, precor, vitam arctã, inhumanam, periculoſamq; ſubire, & ſarcinam illam aſperam fragilibus humeris imponere deſideras? Tuum enim corpuſculum ætate, ſtudijs, laboribus iam confectum eſt. Quo igitur pacto tenella, delicataq; caro nuditatem, frigora, ſitim, famem, laborem, & cętera vitæ illius incommoda ferre poterit? Sed quid te is perditum incõſultè? Inſanirene tibi iam videris, qui literas in ſolitudinem tecum ducere ſatagis? Quid enim illic ſũt effecturæ? Ipſas quoq; virtutes (quæ multis exemplo eſſe poſſent ad bene beateque viuẽdum) in ſolitudinẽ trahere, quid moliris? Quid

talentum tibi creditum cum multo fœnore ad Dominum referre diligenter non curas? O quāta dementia tot laboribus, vigilijs, ſudoribus, impenſis, tum literas, tum virtutes comparaſſe, & eas in deſerto ſine fruge turpiter, inaniterque tumulare? Ergò, mi Bruno, dum tempus adeſt, etiam atque etiam cogita, tibi conſule, ſiſte greſſum, cœptam deſere temeritatem. Quod ſi dulcia monita contempſeris, terroribus ſaltem moneri debes. Enimuerò (ſi non reſipiſcas) te cū tuo grege per ſequetur acerrimè, non AEgiptius ille, ſed tartareus Pharao, multo quidem validior, callidior, doliſq; machinis inſtructior. Quē perſequentem non itineris prolixitas, nō aquarum tumor, non montium aſperitas, ab incurſione poterunt dimouere. Ille enim (ſi neſcis) omnem tibi ſæculi pompam ante oculos viuo colore depinget. Opes, gloriā, honores, famam, dignitates, & denique quicquid eſt in mundo pulchrum, glorioſum, pretioſum, intus iugiter oſtendet atque verſabit. Ille quoque vel tibi eſurienti largiſſimas afferet dapes, & Aegipti pepones, ollaſq; carniū te ſuſpirare faciet. Ille tibi cubanti nudas oſtendere puellas, acrioris veneris ſtimulos incitare, nocturnis fœdatum humoribus illudere, & demū horrendis, impuriſq; immiſſionibus te contaminare certabit. Ille ſæpius tibi dormire conanti, callida impedimenta parabit, & modo varijs fantaſmatib⁹, modo crebris terroribus tuum cerebellum reddet exinanitum. Ille dormientē inſomnijs tetriſque imaginibus excitabit, excitatumq; mirum in modū trepidantem efficiet, ille tibi ſcrupulos ingeret tenebroſos, nunc antiquos aſſerens Patres in deſerto perijſſe, nūc altiſſimas Libani cedros fuiſſe con-

concuſſas, nunc tantorum laborum fructum vna gloriola tandem eſſe diſpereundum. Ille tibi ſtruet mille dolos, tendiculas mille, milleque machinas. Quid plura? Si tibi regularis vita placet, ô Bruno, cur (ait verſutus hoſtis) probatam aliquam non arripis, quæ ſit tuis viribus apta, ſecuraque, & nõ modo tibi, ſed alijs quoque prodeſſe queat? Cur ergo vitam ſuſcipere tentas ſæculis inauditam, incognitam hominibus. Patribus non probatam, inertem, languidã, ferinam, crudelem, multis expoſitam periculis, tentationibus grauiſſimis obnoxiam, amicis ingratam, iniurioſam parentibus, Reipublicę inutilẽ, aduerſam literis, virtutibus inimicam, & denique totis pedibus fugiendam? Verum bonus Chriſti alumnus Bruno huiuſmodi Syrenæos cãtus, hos Cerberi canis latratus, has rugiẽtis leonis minas nihilipendens, cœpto negotio cum ſuis incumbebat. Itaque poſt diutinam apti loci veſtigationem, poſt maturam ſuorum diſpoſitionem negotiorum, poſt multam denique longi itineris moleſtiam, ad Gratianopolitanam tandem ciuitatem acceſſit, ſanctum Præſulem rogaturus, vt in eius Diæceſi locum hæremiticæ vitæ accommodum tribuere dignaretur. Quibus animaduerſis, non debuiſti (mi Oblocutor) Brunonis abceſſum, velut teſtudineum incuſare, tametſi poſt ipſum prodigium Pariſijs factum, Bruno cum ſuis heremum protinus non adiuit (vnius enim anni ſpatium, & eò amplius inter prodigiũ & heremi ingreſſum, intermedium fuiſſe videtur) non propterea tamen negligentiæ culpãdus eſt, quandoquidem petendum in primis conſilium fuit, & quærendus locus deſideratæ vitæ opportunus: fuit quoque rebus omnibus prouidè con-

Cur Bruno nõ ſtatim adiuit heremum.

dè conſulendum, antequam extremum vale diceretur, quæ omnia paruo tempore fieri non potuêre. Denique Bruno ipſe in quadam epiſtola (quam ipſum ad Rodulphum Remenſem Præpoſitum ſcripſiſſe ferunt) teſtatur, ſe non potuiſſe voto, quod de relinquendo ſæculo cum ipſo Præpoſito fecerat, certis de cauſis ſtatim reſpōdere. Itaque nihil eſt, cur Brunonem ob huiuſmodi moram iuſtè capere poſſis. Hic quærere libet: Numquidnam ſolus ille ſerpens tartareus in Brunonem talia ſui liuoris venena tū diffundit? Nonne & virulentæ fraudis alumni (Oblocutores dico) ſuis Brunonem artibus impedire tentarunt? Tentârunt (meo iudicio) ſuis venenatis obolcutionibus à ſua eum ſententia dimouere. Cur (aiebant) ſeculum ipſum, cui plurimum conducere poteras; ita miſſum facere pergis? Nonne propoſitum illud potius extinguere, & in ſuo ſemine prolem (vt aiūt) noxiam occidere ſatius eſſet? Si omnes ſæculum fugerint, quis doctrinam populo ſuppeditabit? Si milites omnes fugā adornauerint, quis in acie quæſo manebit? Si omnes ſe clauſerint, quis grata libertate potietur? Puto hæc, aliaque grauiora in ipſum Brunonem vibrata fuiſſe. Itaque noſter Oblocutor (qui Brunonis alumnos ſemper eſt perſecutus) eo tempore minimè tacuiſſe videtur. Obloc. Tacuiſſe? Non profectò tacuit. Pet. Meminiſſe tamē debuit dicti Catoniani ſcilicet. Nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.

CAPVT V.

Argumentationes quædam Brunonis abſceſſum impugnantes, earumq; diſſolutiones.

Oblocvtor.

Non

NOn poſſum memoratum tui Brunonis abſceſſum vehementer non improbare. Etenim Bruno Doctor erat profundiſſimus. igi- 1.
tur debuit ſibi creditum ſapientiæ talentum in terra non abſcondere, ſed prædicando, docendo, conſulẽdo cæteris impertiri. Deinde Bruno 2.
vir erat ſanctimonia vitæ præclarus. Ergo cùm potuiſſet ſine ſuæ detrimento ſalutis ſeculũ habitare, perparam egit fugam adornando. Porrò
ipſe Bruno cùm Canonicus, tũ Præceptor ſcho- 3.
laſticus erat. Quamobrẽ videtur nec beneficiũ, nec præceptorium munus inoffensè deſerere potuiſſe. Inſuper Bruno vir maturus ita fugiẽs tur- 4.
piter, quid aliud fecit, quàm ignauiæ ſignũ oſtẽdere, et alios ſuo exemplo à certamine reuocare.
Deniq; Bruno ſe cum ſuis exponens innumeris 5.
tentationum periculis (de quibus anteà partim meminiſti) egiſſe videtur incõſultiſſimè. Sed & huiuſmodi diſceſſus (eorum præſertim Canonicorum, qui Brunonem comitati sũt) temeritate carpendus eſt, vtpotè qui fuerit attentatus cõtra iuris prohibitionem, authoritatẽ Doctorũ, rationis euidẽtiam. Enimuerò huiuſmodi Brunonis comites ita abeuntes, ſanctum ius temerauẽre. In primis Diuinum, quod iubet *vnumquemque in ea vocatione permanere, in qua vocatus eſt*. 1. Cor. 7.
Deinde humanum, quod de vno monaſterio ad aliud migrare non ſinit. Extra de regu. & tran. Ca. Ioannes. Adde probatorum Doctorum ſententiam eſſe, de regulari vita ad ſtrictiorem tranſiri non debere. Proinde Bernardus grauiter increpat ſuum quendam conſanguineum, qui ſe demiſſo. Cluniacum petierat. Deniq; talem diſceſſum ipſa ratio diſſuadebat. Etenim Canonici illi non poterant bona monaſterij vel alienare, vel

ſecum ferre. Igitur nec ſuas (vt ita dixerim) perſonas auferre valebant, cum maior ſit alienatio perſonæ, quam rei. xij.q.1.Præcipimus. Tum etiam, quia nullam à ſuo prælato (quod legatur) facultatem migrandi petierunt, vel conſecuti ſunt, quod tamen fieri debere Pontificio iure ſancitum eſt: De regul.tran.Ca. Licet. Tum deniq; quia facta etiam poteſtate, non potuerunt abire ſalubriter, quod ſcilicet probatam, ſecurãque vitam deſtituentes, incertam penitus arripiebant. PET. Iam multas nimium garrulitates effudiſti, quibus, ne vel ignaros, vel incautos à veritate dimoueas, reſponſione opus eſt. Ad primam itaq; reſpondemus, ridiculum eſſe quod argumentatus es, quaſi verò talentum multiplicare nemo poſſit, niſi vel ſæculari veſte indut9, vel inter ſæculares vanitates cum ingenti periculo verſatus fuerit. Deinde inficiamur Brunonem datum ſibi talentum in terra abſcondiſſe: quandoquidem (pro D. Gregorij ſententia Homil.9.) talentum in terra abſcondere eſt, acceptum ingenium terrenis rebus implicare, lucrum ſpiritale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam leuare. Quod Bruno minimè fecit. ſed ediuerſò penitus: vtpotè qui totam ingenij ſuppellectilẽ diuinis rebus commodauit, lucrum quæſiuit ſpiritale, gregemq; ſibi creditũ curauit, pro quo ſalubriter dirigendo, iuuando, ſolãdo, purgandoq; ſemper & fuit ſollicitus, & ſpretis terrenis, cœleſtibus cogitationibus animum dedit. Quando aũt, & à quibus ſepiẽtiæ talentũ ſit de neceſſitate erogãdum, dicetur poſtmodum aptiori loco. Ad 2. argumentationẽ, qua dicis, Brunonẽ in ſæculo manere debuiſſe: Reſpõdetur (ſi hoc verũ eſt) Ioãnẽ Bapt. debuiſſe in ſæcu-

Talentum abſcondere, quid.

ſeculo ſe continere, quippè qui ſine iactura ſalutis mundum incolere potuiſſet. Fuerat enim in vtero ſanctificatus. At ipſe nec diuinis oraculis, quibus fuerat pronuntiatus, nec vterina ſanctificatione, nec mirabili natiuitate, nec deniq; parentum ſanctitate ſecurus, frequentiam hominum fugiens tanquam periculoſam, deſerta ſolitudinis tanquam tuta, delegit. Quod enim ſecularis hominum frequentia ſit, etiam ſupra multorum opinionem, periculoſa, teſtantur ſacræ autoritates, quæ propter ingentem ſui copiam numerari nequeunt. Deinde Sanctorum exempla hoc idem aſtruunt, qui mundum deſeruerunt, deſertumq; cum verbo tum facto docuerunt. Poſtmodum quotidianæ experientiæ ſatis oſtendunt, nihil eſſe ſeculari conuerſatione periculoſius. Inſuper mala ipſa, quibus refertus eſt mundus (& quidem pluribus, quam pardus maculis) ſatis probant, mundum ipſum tanquam periculoſum, non iniuria eſſe fugiendum. *Omne enim quod eſt in mundo* (ait Scriptura 1. Ioan. 2.) *cōcupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, quibus omnia vitiorum genera cōprehenduntur. Denique ea eſt mundi conditio, vt malos quidē peiores, bonos vero, vel iniquos vel certe deteriores efficiat. Quibus animaduerſis, pudeat æquus cenſor, quam rectè Brunonem mundum (*qui totus in maligno poſitus eſt*) fugientem taxaueris, cum etiam viri pene innumeri, qui iuſti videbantur, tandem in ſeculo periclitati ſunt, & ſuo fœlici detrimēto fauſtum nobis exemplum fugiendi reliquerint. Ad tertiā garrulitatem, qua profecutus es, Brunonem nō debuiſſe ſacerdotiū deſtituere, reſpondetur, hoc illi licuiſſe, quod ſcilicet beneficium illud ſim-

Io. Bapt. ſeculum fugit.
Luc. 1.
Matth. 3.
Frequentiam hominū periculoſam eſſe.
1. Ioan. 2.
Mūdi conditio quæ.
1. Ioan. 5.

plex eſſet. Quia in re plenius animaduertendum eſt, tria eſſe beneficiorum Eccleſiaſticorum genera. Prima ſunt maiora, quæ & Epiſcopalia dicuntur. Alia ſunt media, quæ & curata paſſim vocantur. Alia deniq; minora ſunt, quæ ſimplicia nominari ſolent, quibus ſcilicet nulla cura animarum annexa eſt. De primis quidem Pontificio iure cautum eſt, ea ipſa deſeri non poſſe ſine Papali facultate. Extra de regu. & tran. Licet. De alteris autem, ſcilicet curatis, non ita ſtatutū eſt. An verò pro religionis ingreſſu deſeri poſſint, non omnibus perſpicuum eſt, nõnullis hoc alijs illud aſſerentibus. Sed nos quod rectius videtur pro tollendis ambagibus breuiter afferamus, dicentes, eorum, qui beneficia curata habent, varios gradus inueniri. Quidam enim in beneficio nihil penitus tituli ſũt cõſecuti: quod quidem contingere poteſt, vel ex parte collatoris, vel ſuſcipiẽtis, vel modi. Ex parte collatoris, quia non erat eius, beneficium illud conferre. Ex parte ſuſcipientis, quia non eſt ſortis clericalis, vel ſufficiẽtis ætatis aut literaturę, vel deniq; canonicis pænis titulum impedientibus, irretitus eſt. Ex parte modi, quia ſymoniacis, aut alijs huiuſmodi artibus, beneficium eſt conſecutus. Quibus modis beneficia illa habentes (ſi clauſtralem vitam pro diluenda tantæ temeritatis culpa ſubirent) quis audeat taxare, cum etiam alias miſſa facere ea teneantur? Alij autem comperiuntur, qui titulum verum adepti ſunt, ſed cætera non habent, quæ ad illum arduum Perfectionis ſtatum exiguntur, vt puta vitam non ſatis probam, literaturam minus ſufficientem. In quorum numero ſunt illi, qui vitijs (ſaltem latentibus) contaminati, ſubiectis quidem pro-

Tria beneficiorũ eccleſiaſticorum genera.

ſunt

ſunt, ſed ſibi miſerè officiunt. Et horum quidem magna meſsis eſt, quos & beneficia deſerere poſſe dubium eſſe non debet. Alij autem (quorum rara auis eſt) & titulum, & alia omnia, quæ ad bene ſalubriterque regendum exiguntur, habent: ſed tamen neceſſarij non ſunt, vtpotè cùm alij vtiles operarij offenduntur, qui parati ſunt villicationis opus ſuſcipere, & doctrinæ, vitæque pabulum dominicis ouibus impertiri. Et hi quidem, ſi nullo religionis deſiderio afficiantur, nullam prorſus faciunt quæſtionem. Si verò peculiari lege ducantur, magnoque religionis ardeant incendio, poſſunt dimiſſis officijs ſeculum dimittere, fugere pericula, & clauſtralem beneque obſeruatam penitus vitam ſuſcipere. Vbi enim nullum fit Eccleſiæ detrimentum, poteſt clericus ſuum officium (gratia vitæ ſecurioris) deſerere, maximè cùm in Eccleſia ſint ſemper ſatis, & ſufficientes, & vtiles, Deo ſuæ Eccleſiæ ita conſulente. Si enim pro ſancti Spiritus afflatu ſemper Eccleſijs prouideretur, non propterea noui producendi eſſent homines, ſed qui iam ſunt in rebus humanis, ad id negotij diuinitus aſſumerentur, qui vel iam ſufficientes putantur vel miro quodam modo redderentur aptiores. Sed dicas: Ille qui ſarcinam mittit, animarum ſtatum deſerit altiorem. Dicerent tibi, qui religionis culmen ſtatui curatorum præferunt, ibi non eſſe deſcenſum. Si verò (quod paſſim dici ſolet) curatorum ſtatus ſit anteferendus: quòad perfectionem, non autem quoad ſecuritatem accipiendum eſt. Itaque ſuſcipiens ille vitã regularem bene ſeruatam, ſtatũ elegit ſibi magis proportionatũ magiſq; ſecurũ

Clericus quãdo poſſit beneficiũ ſuum deſerere.

Quamobrem cùm ſit arduum, difficilè, periculoſumq; nimis Stephani locum tenere, in angelico ſtare miniſterio, & grauiſſimâ prælationis ſarcinam gerere, carpendus ille non eſt, qui non tantum lubrica ſtatus altioris pericula, ſed & innumeras mundi illecebras (quibus vel rigidiſſimi molliuntur animi) perpetuò ſalutare cõſtituit. Alij deniq; vel inueniri, vel excogitari poſsũt, qui ſunt & vtiles, & neceſſarij. Quod contingere poteſt (ſi tamen poteſt) ob multam idoneorum clericorum penuriam, vt puta, ſidera lues multò furore graſſata, magnam aptorum Clericorum copiam abſumeret. De his neceſſarijs (ſi qui forſan offendantur) ſatis iuſtè putatur, ſuam ſarcinã (huiuſmodi neceſſitate durãte) ſalubriter deſerere nõ poſſe. Ea enim ſublata, in numerum eorum, qui neceſſarij non ſunt, reponẽdi vidẽtur. Verum enimuerò qui ſe vel neceſſarios, vel vtiles arbitrãtur, multa ſalubriter habẽt aduertere. In primis quidem, ne ſibijpſi metiãtur iniquitas, quæ & ſæpius cauſam pro non cauſa faciens, paralogiſare ſolet. Deinde magnę eſſe temeritatis, ſe neceſſarium vel vtilẽ autumare aut etiam carnalibus, mundaniſq; amicis ita palpantibus aſſẽtire. Inſuper multi eſſe periculi quoſdam adire conſultores, qui cum ſint obtenebrati, non poſſunt alijs viam veritatis indicare. Denique multos in ſtudijs publicis probos, literatoſque viros eſſe, nihil habentes beneficiorum, quibus, ſi crederentur, illa ceſſaret vel neceſſitas, vel vtilitas. Sed ad noſtrum Brunonem redeamus, dicentes ei licuiſſe beneficium, quod ſimplex erat, gratia religionis, illis quoque deſerere: licuiſſe quoque præceptorium munus deſtituere, quod ſicut pium eſt ſentire, non neceſſitate obli-

obligationis, ſed diuini amoris feruore, exercebat Multa enim fiunt ſalubriter in ſeculo, quæ religionis ſubeundæ cauſa deſeri poſſunt. Ad quartam garrulitatem, qua Brunonem ſeculum fugientem notaſti: quippè qui cęteris literatis exemplum dederit ſcholam fugiendi: O vtinam multa huiuſmodi ſcandala orirentur, vtinam multa huius generis tribuerentur exempla. Si enim multi vel deſerti, vel parœcialis agelli receſſum quærerent, non videres arietes ouium ſuos greges lupis expoſitos ita negligere. Non videres (inquam) ſāctuarij lapides ita paſsim in plateis diſperſos. Non videres denique (vt apertis verbis agamus (literatos viros, creditas ſibi animulas deſtituentes, in vrbibus ſe continere, ibique vanos aucupari honores, ſalutationes ambire, ſplendidis veſtibus ornatos Cathedrarum expetere culmina, primos recubitus amare, bacchanalia viuere, ingentem aceruare beneficiorum copiam, & denique ſuis perditis moribus lubricum popellum corrumpere. Sed de his ſatis. Hoc tandem ſufficiat dixiſſe, ſcādalum illud (ſi quod fortè ſubortum eſt) fuiſſe Phariſeorum non puſillorum. Ad vltimam garrulitatem, qua Brunonem imprudentiæ taxaſti, reſpondetur: graue equidē certamē eū inijſſe, verū ſub optimo fortiſsimoq; duce militaſſe, à cuius comparatione, omnia tentationum iacula, ludus & vmbra ſunt. Reſpondetur quoque illos tartarei hoſtis inſultus ſæpenumerò fantaſticos eſſe, qui paruipendendo, ridendoq; melius ſuperari cōſueuerunt. Aggredi autem ea, quæ ridendo vinci queunt non magni putatur eſſe periculi. Reſpondetur denique Brunonem non ſe periculis obruētibus ſeu confundentibus obtuliſſe.

Tentationes quaſdam ridēdo melius ſuperari.

De

De circumſtantibus autem periculis, ſi quis nimium fuerit ſolicitus, neſcio an grande aliquid poterit vnquam ſecuriùs attentare.

CAPVT VI.

Reſpondetur obiectioni nouiſsimæ, quæ de Brunonis comitibus confecta fuerat.

IAM verò ad Brunonis Comites accedamus, oſtendentes inprimis, eos abſcedentes nihil contra iuris prohibitionem feciſſe. Ad ius autem diuinum (quod citaſti) reſpondetur, his, qui laxiorem vitam profeſſi ſunt, non propterea ſtrictiorem eſſe interdictam. Illud enim dictum Apoſtoli non ſic abſurdè capiendũ eſt, vt putetur, omnes eos, qui aliquã viuendi conditionẽ ſortiti ſint, ſemper debere in ea neceſſariò permanere. Alioqui nullus de ſeculari cõuerſatione ad regularem trãſire poſſet, quod abſurdiſsimũ eſt ſentire. Igitur ſanè intelligendũ eſt, eos ſcilicet, qui ab infidelitate, aut alio peruerſo viuendi genere vocantur ad viam ſalutis, nõ eſſe cogendos priſtinam vitę conſuetudinem deſerere, quæ fidei boniſq; moribus nõ aduerſatur. Noluit enim Apoſtolus illam vitę qualitatẽ auferre, quę ſeruata non impedit ſalutem: non tamen impoſuit vniuerſaliter permanẽdi neceſsitatem. Itaque ſi ſtatus à quo quis vocatur, ſit pernicioſus, dubio procul deſerendus eſt. Sic enim Apoſt. Matthæus Thelonæum protinus miſſum fecit. Si verò ſtatus non ſit Chriſtianę vocationi diſſentiens, non eſt neceſſariò deſtituendus. Sic princeps Apoſtolorum Petrus, poſt Apoſtolicã vocationem redijt ad priſtinam piſcationis conſuetudinem. Sed quæras: Eſto, non ſit ſemper in ſtatu licito manendi neceſſitas: nunquid poſt vitæ con-

Dictum Apoſtoli vnuſquiſque in ea vocatione, &c. qui intelligendum.

Matth. 9. Ioan. 21.

An cuiq; pro voto liceat ſuũ

tæ conuerſionem ſemper deſerendi manet facultas? Dicimus, non ſemper manere. Quidam enim ita ſunt alienis vinculis obnoxij, vt ſtatum ſuum non valeant ſemper pro animi ſententia deſerere, quales ſunt ſerui coniuges, & alij id genus. Alij vero non ita intricati, tanta potiuntur libertate, vt aliam vitæ conditionem (ſaltem meliorem perfectioremque) ſuſcipere poſſint, modò nulla temeritatis cauſa ducuntur. Conficiamus ex his, quemque ſua vocatione contentum eſſe, in eaque perſeuerare debere, niſi peculiari Spiritus ſancti inſtigatione ad altioris vitæ genus accendatur. Conficiamus & propoſitum ſequentes, Brunonis comites cœleſti numine afflatos, ſalubriter potuiſſe altioris, perfectioriſque vitę faſtigium obire. Qui enim principio laxiorem vitam eligunt, eam ſibi retinent libertatem, vt queant (peculiarem Spiritus ſancti legem ſectantes) ad arctiorem, quæ in obſeruantia debita perſeuerat, ſeſe conferre. Qua in re videant, quid agant nonnulli religioſi, qui (neſcio quibuſnam ſtatutis) ſuos alumnos apud ſe retinere, & ab altiori, perfectiorique vita perpetuùm impedire nituntur. Quòd autem dixiſti, à Brunonis comitibus ius quoq; humanum fuiſſe temeratum, non poteris bonum pulmentum edere, quippè qui non poſueris condimentum. In illo enim capitulo in medium adducto dicitur, monacho non licere de monaſterio ad monaſterium (temerè) migrare, Non ergo tranſitus generaliter prohibetur, ſed tranſeundi temeritas. Tranſit autem temerè, nó tantum qui leuitatis cauſa, ſeu primario, ſubitoq; impetu, ſed etiã qui indignatione, vanitate, aut alia quauis paſſione, ſuperatus, alio ſe trãsfert

viuendi genus mutare.

Altiorem vitam petere qui poſſint.

At ve-

At verò ſi quis diſcreto feruore, maiorisq; ſanctitatis zelo verè concitatus, ſuam velit carnem durius affligere, viuere deuotiùs, contemplationi magis incumbere, Deo firmius adhærere, & demùm maiora religionis exercitia ſectari: poteſt ille arctius propoſitum arripere. Hoc enim fieri poſſe trifariam probari poteſt, ſcilicet iure, exemplo, ratione. Iure etenim Pontificio ita cautum legitur. Extra de Re. & tran. Licet. Sed cur, quæſo, ſanctiſſima iura palam aſſenſerunt, ſi talia non licuerunt? Exemplo quoque idem probatur virorum ſanctorum, qui ita feciſſe dicuntur. E quibus vnum afferre ſufficiat.

Hugo Lincolnienſis. Hugonem Cartuſianum, poſteà Lincolnienſem Epiſcopum, virum vtique ſanctiſſimum, ad quem (gratia ſanitatis) languentes infantuli ſolent Cartuſienſium, Pariſienſium ædem afferri. Hic enim cùm in primis Canonicus regularis foret, & ſarcinam gereret animarum, ſolitudinis amore ſuccenſus, deſeruit ſolicitudinem, laxiorem vitam deſtituit, & Cartuſianam ſubiuit aſperitatem, quem à tam claro facinore non dimouerunt ſui Abbatis ſenio iam cõfecti lachrimulę, nõ aſſiduę preces, nõ iuſiurãdũ, ne ſe deſereret, ab ipſo Abbate exactũ, nõ deniq; alia quibus eũ auertere ſtudebat vehemẽtius. Nec tamẽ vllũ (ſicut ſanctus ipſe vir Hugo referre ſolitus fuit) ex tali diſceſſu cõſcientiæ ſcrupulũ habuit, ſed multã potius tranquilitatem. Quo nimirum exemplo ſatis conſtat, & laxiorẽ vitã interdum deſeri poſſe, & ſacramentũ nullius eſſe momẽti, quod in maioris vtilitatis detrimẽtum vergere dignoſcitur: deniq; ratione oſtẽditur, huiuſmodi trãſitũ nõnũquam licitũ eſſe. Sicut.n. debitũ Deo famulatũ tũ corpore tũ mẽte plus impẽdere melius

melius eſſe credunt: ita & altiorem, perfectioremque vitam diſcretè agere, vberioris eſſe meriti, putandum eſt. Cum igitur laxiorem mittere vitam gratia ſtrictoris, iura canant, exempla teſtentur, ratio ſuadeat: non eſt cur à te Brunonis comites pro re tam iuſta debeant inſimulari. Quod autē poſtea dicis, probatos doctores ſentire, conſulereque de laxiori vita ad ſtrictirem non eſſe migrandum: reſpondetur, eos eſſe capiendos de leui temerarioque diſceſſu. Sed dicis, à Diuo Bernardo quendam fuiſſe taxatū, quod de vna ad alteram religionem migraſſet. Verum ſi dicta eius perlegas, deguſtes, intelligas, planè videbis, abceſſum illum merito leuitatis arguendum. Iuuenis ſiquidem ille Bern. conſāguineū triplici occaſione miſſum feciſſe dicitur leuitate ſcilicet iuuenili, nimia quoque forſitan Bernardi aſperitate, & demum fallaci quorundam perſuaſione. Enimuerò Bernardus non inficiatur, ſe forſitā in eum fuiſſe aſperiorem: quē & ſeductum vtpotè iuuenem, fuiſſe à nonnullis fratribus, neſcio quo ſpiritu percitis, grauiter conquęritur. Quibus animaduerſis, luculenter conſtat, non propterea tranſitum de laxiori vita (ſi iuſta cauſa affuerit) ad ſtrictiorem vetitum eſſe. Dic quæſo mihi, ſi quis laxiorem profeſſus religionem, bene ſibi conſcius, ſuaſque vires menſ⁹ tranſitum meditetur, animaduertens in laxiori vita non ſibi ſatis licere (ſicut aſſolet) ſuis votis reſpondere, deſideratæ perfectionis culmen attingere: nūquid huiuſmodi virum cohibebis? nunquid in clauſtro retinebis, in quo laxa ſunt omnia, diſſoluti mores, & denique maiori quam in ſeculo viuitur periculo? Sed quæras, Nonne religioſus vitæ perfectionem iam aſſe-

Cō ſanguineū Bernardi merito taxatum.

aſſequutus debet in laxiori vita manere, quādō nihil imminet ex cohortatione periculi? Reſpondetur: Si quiſquam tantæ perfectionis inueniretur, qui tutè cum ſcorpionibus habitare poſſet. qui & liberè ſineretur, ſuis votis ſatisfacere, & ſanctam ex animi ſententia ducere vitā, cuius etiam præſentia malos cohiberet, ne tam licenter per vetitum nefas laberentur, & denique ſancta conuerſatio multos efficaciter ad regularem obſeruantiam impelleret, non videtur debere prima fronte diſceſſum attētare, ſed multa imprimis conſideratione, bonorumque peritorum virorum conſilijs opus eſſe. Verum quā rarum ſit, & difficile omnia illa ſimul in eundē cōcurrere, puto peritorum latère neminem. At verò ſi nullus adeſſet, quèm ſancta conuerſatio viri perfecti à malis auerteret: tunc inſtar Diui Benedicti (qui malos quoſdā monachos miſſos fecit) ad alium locum tranſire liceret; vbi fructus amplior referretur. Denique olim è nido monaſteriorum, qui iam in vita cœnobitica perfectionis culmen attigerant ad heremū paſſim volabāt. Sed iam data tum iuribus, tum auctoribus reſponſione, ad tuas ratiunculas veniamus: quarum primam reprobantes, dicimus illam tuam conſequentiā nihil valere. Eſto enim maior ſit (quæ iniurioſè fit) perſonæ, quam rei temporalis alienatio: non propterea conficitur, illos, Canonicos abſcedere non potuiſſe. Quia in re animaduertendum eſt, religioſū a ſuis ſeptis multifariam diſcedere poſſe. Vno quidem modo, propria temeraria que auctoritate, cū ſcilicet nullam ſuperioris poteſtatem, nullamque iuſti diſceſſus cauſam habet, ſed tædio, indignatione, vano timore, aut alia quauis paſſione ſuperatus clan-

S. Benedictus ad alium locū ſe tranſtulit.

Perfectos olim cœnobitas ad heremum volaſſe.

Religioſos 4. modis a ſeptis ſuis diſcedere poſſe.

clanculum fugit, per ſæculúque vagatur, aut certe religionem altiorem aſperiorem͂que non ſuſcipit: quo modo diſcedunt, quos vel odium Prælati, aut ſuſceptæ religionis tædium inuaſit, vel ſæcularium vanitatum blandimenta demulcẽt, vel pœna ſuis piaculis debita terret. Et hos fugitiuos (ſic enim vocant) grande ſcelus, vel furto maius, admittere, literati viri tradiderunt. Tradiderunt, & eos de fuga conuictos, ad reditum optimo iure cogendos, grauique pœna plectendos eſſe. Altero autem modo diſcedit religioſus à clauſtro, aliena quidem auctoritate; ſed propria temeritate, cum ſcilicet à prælato ſuo licentiam impetrauit, ſed ad diſceſſum nulla iuſta ratione impellitur. Suaſit quidem prælato, ſe deuotionis, maioriſque perfectionis amore pulſatum, diſceſſionem moliri, cum tamen ſibi cõſcius ſit, vel mala (de qua palam non conſtat) vel nulla penitus iuſta cauſa moueri. Et ille quidem ſi propoſitum aſperius ſubierit, coram Domino (cuncta, etiam interiora, ſpectante) peccauit, ſed propter humanæ probationis defectum, tolerãdus erit. Erit quoque commonendus (ſi modò vlla bonæ vitæ emolumenta fore credantur) vt arreptum propoſitum teneat deuotiùs, ſed modum defleat ſuſcipiendi. Ex perfectorum etenim virorum commertio, interdum conuerſio morum ſecuta eſt. Tertio modo diſcedit à ſuis ſeptis religioſus, aliudque actius ſublimeq; vitæ religoſę genus ſuſcipit, inſalutato ſuperiore, nulla ſcilicet ab eo petita diſcedẽdi facultate. Quod quidem effici poteſt iuſtis de cauſis: poteſt & fieri, nulla rationabili cauſa ſuadente. Enimuerò ſi diſcedens ille à Superioribus contẽptu prorſus immunis, ſibiq; bene conſcius, & diuino feruore,

Religioſus qui poſſit ſine prælati licentia diſcedere.

uore ſuccenſus, abſcedendi facultatẽ non petat: quia petendo graue aliquod detrimentum ſibi imminere non ambigit, totis eam votis flagitare paratus, ſi nihil tale ſibi timeret: quis huiuſmodi hominem propter altioris aſperioriſq; propoſiti ſuſceptionẽ taxauerit? At verò ſi Superioris odio vel contemptu diſceſſum (inſalutato Prælato) tentauerit, nõ excuſandus, ſed incuſandus erit, quippè qui duplicis piaculi reus eſſe videatur, ꝙ ſcilicet mala intentione concitatus, malæ voluntati malum opus adiunxerit: diſceſſum videlicet, nulla ſibi facta poteſtate, præſumendo. De quibus ſi palàm conſtet, magna proculdubio animaduerſione dignus iudicabitur. Nec eum tunc altioris, aſperioriſque propoſiti ſuſceptio prorſus excuſabit. Verùm enimuerò ſi ſatis luculenter non pateat de Superioris cõtemptu, vtpotè, ſi diſcedens veriſimilẽ non petendæ facultatis cauſam allegârit, nõ erit incõſultè, leuiter, primaq; frõte ad prioris ſtatus regreſſum compellendus, quemadmodũ nonnulli ſatis leuiter tradiderũt. Quid. n. ſi prior ſtatus ſit diſſolutus, nũquid redire compelles? Quid, inquã, ſi obſeruatus vterque, nunquid periculo te cõmittes, & peculiarem Sancti ſpiritus impulſum (quo ſe cõcitatũ aſſerit) leuiter impedire paras? Vbi præſertim tibi dubiũ fuerit, quo ſpiritu priorem ille ſtatum miſſum fecerit, aliumque & altiorẽ, & perfectiorem, probeq; obſeruatũ ſuſceperit? Si hoc egeris, in peiorẽ partem contra ſacrarũ litterarũ, ſacrorumq; Doctorũ ſentẽtiam interpretaberis: vbi præſertim nulla Superioris contemptus ſigna foris ſufficiẽter patebunt. Sed rẽ proſequamur. Quarto denique modo diſcedit religioſus, & nulla cauſa ſatis cognita, & Superioris

rioris authoritate prædiτus. Superioris,inq̃, vel Dei,priuata lege (de qua patet ſufficienter) ducentis: vel Prælati, liberam tribuentis facultatẽ. Hoc aũt modo recedere non ſolùm licitum, ſed & multa laude dignum eſſe creditur, quo pacto Brunonis comites abſceſſiſſe putandũ eſt. Quibus tamen nõ licuit (citra facultatem) temporalia bona auferre, quippè quæ non ſunt eiuſdẽ in ea parte vel priuilegij, vel cõditionis. Maiorem enim libertatem in eo negotio iura tribuerunt perſonis, quàm fortunæ bonis. Ad alterã ratiunculam dicimus, in primis eam (quàm citaſti) Decretalem tunc temporis editam non fuiſſe. Nec dum enim ius Pontificiũ in Decretalium volumen excreuerat. Deinde dicimus, hac tẽpeſtate regulariter oportere diſcedendi facultatem, à Superiore petere, ne ſcilicet obedientiæ bonum contemni videatur. Quòd ſi facultatem (quã licentiam vocant) humiliter, decenterq́; petitam Prælatus vel tacendo, vel iniuſtam cauſam afferendo, vel denique alio quouis proteruo modo denegârit: poterit (rebus probè cõſultis) ſubditus arctioris, beneq́; obſeruatæ religionis zelo ſuccenſus, tranſitũ facere. Deniq; non ineptè dici poſſe videtur, interdũ opus non eſſe, expreſsè petere huiuſmodi facultatem. Si enim ſatis exploratum eſſet, Prælatũ non modò poteſtatem non facturũ, ſed &, reſcito ſui inferioris propoſito, graue aliquid, putà carceris ſuppliciũ ferociter illaturũ, vel denique totis (vt aiũt) pedibus cũ multo ſubditi diſcrimine, quod euadere non poſſet, ſuperiorẽ ipſum impediturũ: tunc opus non videretur apertam quærere facultatem. In huiuſmodi enim caſibus nullus fit obedientiæ contẽptus. Itaque non ſemper (eſto regulariter)

Religioſi qui poſſit inuito Prælato arctiorem vitã trãſire.

opus eſt, expreſſam facultatem petere, quâquam Iuriſtæ quidam, litterę corticem lambentes, aliter ſenſerint, ſed nos æquitatis medullam glutiamus. De Brunonis autem comitib⁹, rectè putatur, eos primum ſuis valedixiſſe, & cum bona omnium pace Brunoni ſe copulaſſe diuinitùs. Nam & Guigo noſter in vita S. Hugonis Gratianopol. Præſulis, aſſerit, hos Canonicos deſiderio vitæ ſolitariæ, Abbate fauente, Brunoni ſe coniunxiſſe. Ad aliam verò rationem iam ſatis reſponſum eſſe credimus. Dictum enim à nobis eſt, anachoreticam vitam (cuius ſpecies eſt Cartuſiana) iampridem fuiſſe initiatam. Quæ quidem cum temporis lapſu collapſa fuiſſet, à Brunon. ſuiſque comitibus mirabiliter inſtaurata eſt. Iam verò cum te nihil mutire audiam, de loco, in quo tantum negotium cœptum eſt, dicere pergo.

CAPVT VII.

De loco, in quo cœpta eſt vita Cartuſiana, & quibuſdam alijs ad rem pertinentibus, ſcilicet mira loci oſtenſione, qualitate, acceſſu, & demum cauſa delectionis loci ipſius.

Oblocvtor.

CVm de loco, alijſque id genus te agere iuuet, me quoq; oblectat aliquid improbationis afferre. Quid enim cauſæ fuit, cur Bruno puſillum gregē in deſertum niuoſumque montem ageret, vbi nulla paſcuorum vbertas, nullaque virentis graminis aderat amœnitas? Pet. Mirum plane, ſi quicquam poſsit abs te intactū euadere. Malo tamen ſingula vel ad amuſsim diſcuti, quàm dubietatis aliquid ſupereſſe. Igitur de mira loci oſtenſione, qualitate, acceſſu, cauſa

cauſaque delectionis agere cupientes, in primis locum ipſum (cui nomen eſt Cartuſia, in quo & cœpta eſt vita Cartuſiana) mirabiliter fuiſſe reuelatum, oſtendamus. Poſtquàm enim Bruno Gratianopolitanam ciuitatem fuiſſet ingreſſus, Hugonem ſanctum præſulem rogaturus, vt locum ſuo propoſito aptum tribuere dignaretur, mox venerabilis Epiſcopus ſomno preſſus, vidit ſeptem ſtellas ad ſuos pedes corruentes. Quæ poſteà cùm per varios, deſertoſq; montes conſcendiſſent, tandem in loco multum & horrido, & abdito ſteterunt. Excitato autem Epiſcopo, & de huiuſmodi viſione profundiùs cogitante, en Bruno vita religioſus, ſcientia præclarus, honeſtatis ſpeculum, exemplum grauitatis, & totius deniq; maturitatis quaſi quoddã ſimulachrũ, cum ſuo grege ſolicitus ingreditur, qui & ſtatim ad præſulis veſtigia pronus decidit. Quem & reuerenter, & benignè cum ſuis accipit Antiſtes, cui & cauſa aduentus patefacta, mox intellexit, illos ſeptem, ſeptem eſſe ſtellas, quos paulò antè dormiens viderat corruẽtes. Itaque ſuauiter eos conſolatus, locum (inquit) à Deo vobis paratum iam ipſe noui. Omnem igitur pellite mæſtitiam, veſtrumq; parumper ingenium exhilerate, veſtris ſtatim votis reſpõdebitur, ſtatim locus deſideratæ vitæ monſtrabitur aptiſſimus. Sic eos allocutus Epiſcopus, hoſpitio ſuſcepit hilariter, omnemque humanitatis gratiam eis diligenter exhibuit. Iã verò de loci qualitate ſubnectamus. Eſt mons quidam arduus, ſaxoſus, infæcundiſq; arboribus fœcundus, cui Cartuſiana nomen eſt. Hic à ciuitate Gratianopolitana, decẽ penè milliaribus diſtans, tres montes complectitur, ſibi vicinos, partimq; vnà concurrentes. In quorum

Somniũ S. Hugonis Gratianopolitani.

vno, vbi domus Cartuſiana ſita conſpicitur, decliuis planicies eſt, ad quã acceſſus difficilis, mirabilis ingreſſus, horrida loci facies, & ſitus deniq; terribilis admodũ conſpicitur. Acceſſus enim tantæ molis eſt atq; anguſtiæ, vt vix anheli muli poſsint ipſum ſuperare conando. Ingreſſus quoque, qui duplex eſt, adeò mirabilis cernitur, vt magnũ intrantibus ſtuporem incutiat. Alter enim ingreſſus (quem Pontem Cartuſiæ dicunt) inter duas rupes miræ altitudinis eſt, quæ velut rectę lineæ ſurſum cõcurrentes, in culmine tandem penè coëunt. Alter aũt & difficilior, & mirabilior, per decliues ſemitas duorum montium (quos vicinos diximus) efficitur, q quatuor milliaribus vnà concurrentes, tantæ difficultatis sũt & horroris, vt vel ipſo aſpectu ingentẽ afferant ſpectantibus admirationẽ. Vis horridam Cartuſiani loci faciem videre? Si ſuſpexeris: arduos, ſaxoſosque montes, gelidas niues, infœcundasq; arbores dorſo montium adhærentes ſpectabis. Si deſpexeris: terrificum amnem in pede montium ingratè murmurantem videbis. Denique terribilem ſitũ accipe. Nulla ſiquidem ibi amœnitas, nullum ſolamen, nulla terrena iucunditas adeſt:

Horrida loci facies.

Vix ibi ridenti veſtitur gramine tellus:
Vix ibi cantat ales, vix ſunt ibi luſtra ferarum.

Quid igitur? Niues quidem ibi perpetuò candore candeſcunt, ſed niuea frigora liuido pallore corpora inhabitantium afficiunt. Tanta denique eſt loci aſperitas, vt nec Scythiæ deſerta, neo AEgypti ſolitudines, poſsint illi mõti rectè cõferri. Horrendũ itaque carcerem, purgatoriumque locum potiùs, quàm aptum humanæ vitæ habitaculum, meritò dixeris. Sed iam declarata

loci

loci conditione, de Brunonis ingreſſu breuiter tangamus. Poſtquàm Bruno ipſe cum ſuis comitibus defectas vires inſtauraſſet, & ad moleſtiam itineris ferendam aptior fuiſſet effectus, tum venerabilis Epiſcopus Hugo, Brunonianæ precis, ſeptemque ſtellarum à ſe viſarum non immemor, durum iter arripuit, & tandem, ſeptem ſtellis ducatum itineris præbentibus, ſeptemque viuẽtibus ſtellis, hoc eſt, Brunone & ſocijs, comitatus, ad præfatum locum (diuinitùs quidem oſtenſum, ſed inuium, aſperum, horridumque) graui quidem, ſed grato labore ſeptem illas viuentes ſtellas totus gratulabundus, perduxit. Tum ri ère poli, geſtiêre niues, montes ſaltârunt, *montes* quidem (vt Dauidicis verbis vtar) *exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium.* Pſal.113.
Et denique, qui per tot ſæcula neſcierant habitatorem, tam inſolita viſione magis ac magis obſtupuerunt. Obſtupuit & venerabilis Epiſcopus, loci qualitatem contemplatus obſtupuit, & ait: En veſter hic locus eſt. Sed quid agis, ô venerabilis Hugo? Siccine tuos hoſpites accipere ſolitus es? Hęccine eſt illa humanitas, quam ad te confugientibus exhibes? En (inquit) veſter hic locus eſt. Nonne (precor) tantum virum ad doctoralem Cathedram, quàm ad ſolitudinem ducere, & pingue ſacerdotium, quàm deſertum potiùs conferre debuiſti? Putaſne multos tuam prouidentiam petituros, ſi talia volueris beneficia impertiri? Ecce (inquit) veſter hic locus eſt. Sed quid? Num formidas, Hugo, virum doctiſſimũ, lucrandisq; animabus aptiſſimũ ad heremum ducere? Si omnes eum eo montem conſcenderint, quis in vallibus habitabit? Si gelidis in niuibus ſe continuerint, quis frigida pe-

ctora calefaciet? Satis(ait)prædicat,cuius ſancta vita clamat. Satis ille facit,qui ſuæ ſaluti tutè cõſulit.Satis deniq; proximis ille prodeſt, qui ſuis & orationibus, & exẽplis ad cœleſtem patriam eos accendit.Cęterum de cauſa delectionis Cartuſiani montis ſubnectẽdum eſt. Quia in reprimùm quiſpiam ſciſcitari poteſt, cur Bruno mõtem petiuit: deinde cur inter montes Cartuſianum potiùs delegit, coluitque. Reſpondemus primò, Brunonem iuſtis de cauſis montem adiuiſſe. In primis, quod mira Dei beneficia montium incolis ſæpè data fuiſſe legerat:quapropter & ſibi,& ſuis cœleſtia bona in monte facilè dari poſſe confidebat. Deinde nouerat, ſanctos Patres frequentiùs in montibus habitaſſe, ibiq; feciſſe memorabilia, quos & ipſe pro viribus re-
Gene. 22. ferre ſatagebat. Etenim Abraham montem ad-
Gene. 19. iuiſſe non ignorabat.vt filium immolaret.Loth montem conſcendiſſe,vt animam ſuam ſaluaret
Exod. 19. in monte. Moyſen in montem ſe contuliſſe,vt legem acciperet. Heliam quoque, & Prophetas alios complures montem petijſſe, vt cõtempla-
3 Reg 18. tioni,vitæq; ſanctimoniæ prorſus vacarent. Et,
& 19. vt de nouo Inſtrumento nonnihil proferatur, ſatis Bruno ipſe compertum habebat, benedi-
Luc. 1. ctam Deiparam in montana abijſſe, vt cognatæ
Luc. 3. Eliſabeth grauidæ obſequium impenderet. Io-
Matth. 3. annem quoq; Baptiſtam, ipſius Eliſabeth mirabilem prolem, montana conſcendiſſe, vt in he-
Matt. 14. remò Chriſtum præſtolaretur, viamq; pararet. Denique Chriſtum ipſum totius veritatis fon-
Ioan. 6. tem,ſæpius in montem ſe recepiſſe, vt orationi incumberet.Quos pater Bruno ſtudẽs æmulari, montem adiuit, vt in monte ſeipſum ſacrificaret,ſuam ſaluaret animulam, legẽ anachoreticæ

vitæ

vitæ ſuſciperet diuinitùs, contemplationi ſanctæque vitæ prorſus operam daret, gratum exhiberet Superis obſequium, Chriſti ſecundùm expectaret aduentum, & denique orationi, alijſque ſanctæ vitæ exercitijs aſsiduam operam nauaret. Sed reliqua proſequamur. In montē Bruno conceſsit, quòd ipſe mons eſſet, mons (inquam) ſublimitate literarum, virtutum, gratiarum. Nil mirum igitur, ſi montem mons ipſe petiuit. Solent enim ea, quæ ſunt generis eiuſdē, gratiùs conuenire. Ad hæc, montem Bruno petiuit, vt montē quærendum eſſe doceret. Montem ſcilicet virtutis, cōtemplationis, perfectionis, hoc eſt, perfectæ charitatis, quæ finis eſt religionis. Denique in montem ſe contulit, vt in monte mirabili, mirum ædificium fundaret, de quo quidem quòd aptiori loco dicetur, ad aliā quæſtionem tranſeatur. Agamus igitur, cur inter montes, Cartuſianus à Brunone delectus ſit, & habitatus. In primis illa inſolita viſio ſeptem ſtellarum, quę vel itineris duces fuerunt, in cauſa huiuſcemodi delectionis fuiſſe creditur. Denique interior viſiò: hoc eſt, inſpiratio diuina Brunonem concitaſſe creditur ad locum ipſum amplexandum, in eoque perſeuerandum. Decreuerat enim omnium rerum præſcius Deus, in Cartuſiano monte Cartuſianam vitam plantare. Quod ſanè diuinæ mentis conſilium ipſi Brunoni reuelatum fuiſſe, rectè putari poteſt, ne vel leuis ſuſpicio eum ancipitem faceret. Siquidem in extremis reuelationibus multa nonnunquā deliramenta contigiſſe dicuntur. Porrò nuncupationis interpretatio diligenter conſiderata, potuit ad id negotij Brunonem impellere. Cartuſia enim, perfecta vocatio interpretatur.

Cap. ſequenti.

Cartuſia quomodo interpretatur.

tatur. Itaque Bruno perfectam plantationem facere volens, locum accepit, cuius nuncupatio vitæ per eum agendæ conſona foret. Ad hæc, montis ipſius aptitudo Brunoni & diuinitus, & humanitus patefacta, ad id quoque Brunonem ipſum induxiſſe creditur. Mons ſiquidem ipſe heremitico propoſito aptiſſimus eſt, vtpotè aditu difficilis, algidus, aſper, incultus, plenus niuium, aſpectu horridus, ab humano ſeiugatus conſortio, & demùm ad vitam tetricam prorſus agendam opportunus. Igitur vt mutua loci, vitæque parilitas oſtenderetur, Cartuſianus locus prudenter eſt à Brunone delectus. Adde quod aſperiori vitæ, locus debetur aſperior. Inſuper montem ipſum diligētiùs conſideratum Bruno libens coluit, vt ab ipſius loci conditionibus, ſalutaria præcepta haurire ſuos alūnos moneret. Moneret, inquā, difficultate ingreſſus, difficile admodum eſſe, difficilem pœnitentiæ, ſtudioſæque vitæ viam ingredi. Loci arduitate, ad vitæ ſublimitatem aſpirandum eſſe. Frigiditate, rigorem tùm cibis tùm veſtimētis, inſtar priſcorum religioſorum, (quos & poſteriores referre debent ſi degeneres eſſe minimè velint) obſeruandum eſſe. Montis aſperitate, decentem quoque vitæ aſperitatem in omnibus eſſe tenendam, Inculta loci facie, incultam corporis, non mētis, formam (forma ſiquidem viros, pro ſententia Naſonis, neglecta decet) expetendam eſſe. Candore niuium, candorem adeſſe debere animarum. Horrori loci totius, horrida gehēnæ ſupplicia ſemper eſſe mente voluenda. Denique elongatione heremi incolas ipſos, ſicut corpore ſenſuque à ſæculari tumultu ſeiuncti ſunt, ita cogitatione, effectuque ſe iugatos ſemper eſſe debe-

Mons heremitico propoſito aptiſſimus.

debere. Quid enim prodeſſet, in heremo corpore verſari,,& mente per ſeculum vagari? His igitur de cauſis Bruno prudenter admodum inter cæteros montes Cartuſianum delegit, coluitque gratanter. Denique vt Cartuſianam, miram quidem, & variam fundationem (de qua poſtmodum agetur ampliſſimè) in Cartuſiano monte faceret, montem ipſum præ cæteris elegit, coluit, adamauit. Sed iam tempus eſt argumentationem in fronte Capituli huius deprompram (qua ipſe Cartuſianam vitam, eiuſque authorem à loci qualitate turpiter calumniatus es) diſſoluere: quæ faciliter diluitur ſi dicatur, te propterea debuiſſe potiùs commendaſſe non vulgariter. Aſperiori enim vitæ loca debentur aſperiora. Effœminat enim, atque eneruat faciles animos nimia loci amœnitas. Quamobrem ſanctioris vitæ homines aſpera loca, tanquam ſibi aptiora, delegerunt: ſcientes, vel à loci conditione magnam afferri ſpiritalibus negotijs commoditatem. Sed quid mirum, cum ipſi opifices loca ſuis artibus accommoda ſoleant deligere? Denique quantum Superis placeant horrida, deſertaque loca, hinc videre eſt, quod ab eis ſæpiùs delecta ſint, & miris quibuſdam ſignis ſæpenumerò illuſtrata, adeò quidem vt quæ turritis in vrbibus, amœniſq; locis viſa non fuerant in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis inuenta ſint. Cuius rei non ignarus vates eximius, inquit: *In terra deſerta, inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuã, & gloriam tuam.* Itaq; non iniuria Cartuſianum locũ, vtpotè Cartuſiano propoſito aptiſsimum, diuinitusque oſtenſum, Cartuſianorũ princeps Bruno nõ ſegniter petiuit, eumq; cũ ipſis *Pſal. 62.*

ipſius primitijs Cartuſianorum ingreſſus eſt Anno quidem quarto & octogeſimo ſupra mille, de qua re extant huiuſmodi verſus:

Anno Milleno, quarto quoque ſi bene cenſes,
Inſuper octeno, ſunt orti Cartuſienſes.

Hæc eſt igitur Cartuſiani negotij ac inſtituti origo, hoc Cartuſij propoſiti mirum exordium. Quod à multis mirabiliter inſtitutum, multam propoſiti ipſius inſinuat præſtantiam, quippè quod à ſeptẽ præſtantiſſimis cœptum eſt. Quis enim dubitauerit, ſeptem illos præſtantiſſimos
Gene. 41. eſſe? Siquidem hi ſeptem Patres, ſeptem ſunt boues, de fluuio mundanæ fluctuationis aſcendentes.
Ioſu. 6. Hi ſunt ſeptẽ ſpicæ, in vno charitatis culmo
Prou. 9. congeſtæ. Hi ſunt ſeptem buccinæ in cordis iubilæo Domini laudes cõcinnentes. Hi ſunt ſeptẽ columnæ à diuina ſapiẽtia exciſę, quibus, tanquã ſolidiſſimis baſibus tota anachoretici propoſiti
Ezec. 40. domus nititur. Hi ſunt ſeptem gradus ab Ezechiele viſi, quibus poſteriores in atriũ templi paradiſiaci aſcendunt, qui eorum adminiculo vti volunt. Hi ſunt ſeptem ſportæ, qui ſpiritualibus
Matth. 15. cibis, mirisq; fragmentis plenæ fuerunt. Hi ſeptẽ candelabra aurea, in quorum medio ſimilem filio
Apoc. 1. hominis Ioannes vidit. Hi ſunt ſeptem oculi agni in Apocalypſi viſi, cęleſtia myſteria con-
Apoc. 5. templantes. Hi deniq; ſeptem ſunt ſtellæ diuinitùs oſtenſæ, quippe qui ſublimitatem, ſtabilitatem, puritatem, claritatemq; ac magnitudinem inſtar ſtellarum habuerunt. Sed de his ſatis.

Iam verò profer, mi Oblocutor, in medium, ſi alia quædam habes.

TRACTA-

TRACTATVS TERTIVS PRIMI libri, in quo de triplici plantatione, quem in Cartuſiano monte Bruno fecit, agitur.

CAPVT I.

Inprimis fundatio triplex, per Brunonem in Cartuſiano monte eff ecta, præmittitur generaliter, ſcilicet materialis, corporalis, ſpiritalis. Deinde ſpeciatim de materiali tangitur, quæ miraculosè dicitur effecta fuiſſe.

OBLOCVTOR.

CVPIO equidem in primis noſſe, quid poſt ingreſſum in illo monte cum ſuis Bruno egerit, quam etiam fundationem (de qua paulò antè generaliter duntaxat meminiſti) ipſe fecerit. Enimuerò cùm pannoſus ipſe nihil ſecũ tulerit pecuniarũ, ridiculum eſt dicere, aliquam eum fundationem feciſſe. PET. Si Brunonem 1.
cum ſuo grege otioſum putaueris, maiorem in modum falleris. Ipſe ſiquidem in illo monte 2.
conſtitutus, mirabilem & multifariam fundationem diuinitùs extruere cœpit, ſcilicet materialem, corporalem, ſpiritalẽ, hoc eſt, materialem parui templi cellularumque paucarum ædificationem, formam quoq; Cartuſianè induendi tractandiq; corporis, & mirandum denique 3.
Cartuſianæ vitæ modum, quo ſcilicet regulariter in heremo viuendum eſſet, de quibus agere cupientes, à prima ſcilicet materiali fundatione exordium ſumamus. Igitur (vt rem cœptam proſequamur) Anno Dominicæ Incarnationis octogeſimoquarto ſupra milleſimum (vt dixi-

dimus) Gregorio vii. ſummi Præſulis culmen regente, circa feſtum præcipui heremi cultoris, ſcilicet diui Ioannis Baptiſtæ, heremitæ noſtri hereniticam vitam acturi, aſperrimam Cartuſiæ heremum intrauerunt, vbi protinus magna diligentia cœperunt futuræ domus fundamenta iacere. Alius lapides, alius cæſas arbores ferre, cæmentum alius parare, alius deniq; opem ferre opificibus. Itaque pauculas primum cellulas extruxêre ſilentes. Deinde maiorem opem nacti, maiora ædificia conſummârunt. Ad opus autem huiuſcemodi, multa adiumento fuerunt. In primis diuina gratia, qua peculiariter iuuâte, domus ipſa cum exordium, tum incrementum accepiſſe creditur. Deinde Brunonis, ſociorumque diligentia, qui magnam operi commoditatē ſua induſtria tribuerunt. Denique venerabilis Epiſcopi liberalitas, qua tātum acceſſit negocio adiumentum, vt Cartuſianæ, originis complantator iure optimo dici poſſit. De quo quidem (vt obiter aliquid afferamus) memoriæ proditū eſt, magnam illi curam de Cartuſianis ſemper fuiſſe. Quorum conſilia libens complexus, & ſuis viciſſim eos fouere, & multa illis beneficia iugiter ſtuduit impertiri. Studuit quoque eorū aſpera ſectari veſtigia, & ad ſupernæ fœlicitatis culmen magis ac magis anhelare. Tametſi diuini amoris totus anteà flagrâbat incendio, ad cœleſtis tamen diſciplinæ officia, non ſecus exemplis intimaq; familiaritate Cartuſianorum inferbuit, quam ſi ardenti facie multæ flammantes aliæ, viciniùs adhibeantur. Itaque maiorem in modum ſolitariæ vitæ cum ſuis Cartuſianis incumbebat, cum quibus tantā obſeruabat humilitatem, vt ſe ipſum exhiberet non Epiſcopum,

ſed

ſed ſocium, fratremque chariſſimum, &(vt plus aliquid dicam (ſeruum ad omnia(quantum par erat)obſequi paratiſſimum. Qua humilitate cócitatus venerabilis Gulielmus Prior ſancti Laurentij, poſtmodum ſancti Theofridi Abbas, qui & Brunoni magna amicitia deuinctus, & ſyncellita eius erat(bini quippè ſingulas cellas principio habitabant, id agente penuria) ſæpè cum Brunone dicitur conqueſtus non vulgariter, quod Hugo penè omnia ad humilitatem ſpectantia intra cellam ſibi officia præriperet. Ipſeque(licet Epiſcopus)ſecum, non certè, vt ſocius, ſed vt famulus, verſaretur. Quid plura? Tãtæ Hugoni curæ fuit cellæ ſilentijque cenſura, vt ei de nimia ſolitudine timeretur. Itaque nonnunquam exire compulſus eſt ab ipſo Brunone, ita ei dicente. Ito ad oues tuas, & eis quod debes, exoluito. Sed quoniam de ouium viſitatione ſermo incidit, vnum referre libet memoratu digniſſimum. Aliquando ſuas oues bonus Paſtor viſitaturus, conſtituit (qua erat humilitate) ſuos omnes equos vendere, & pretio pauperibus impertito, pedibus in euangelicam prędicationem diſcurrere. Verùm cordatus Bruno (cuius conſilijs non ſecus quam paternis mandatis audiebat) penitùs diſſuaſit timens ne à cæteris inſimularetur ſingularitatis, aut certè, leuitatis argueretur. Satis enim exploratum erat, propter itinerũ aſperitatem eum nó poſſe cóceptũ mente negotiũ conſummare. O ſi noſtræ tẽpeſtatis arietes hunc referrent, non ita miſerè cũ Dominicis ouibus ageretur. Sed ad inſtitutum reuertamur, concludentes Cartuſianum ædificium tribus adminiculis, ſcilicet diuina gratia, Brunonis induſtria, opeque Hugonis, initiũ, incremen-

crementumq́; accepiſſe. Verùm enimuerò (ne gratis loqui videamur) opus eſt tū directè, tùm indirectè probare, ipſam Cartuſianam plătationem diuinitùs factam fuiſſe. In primis hoc ipsū directè probatur, conficiturq́; ſatis viſis ſtellarum cœlitus oſtenſarum. Etenim ſeptē illæ ſtellæ (quæ & in loco, vbi fundata eſt Cartuſiana domus, ſteterunt, & iter ſicut anteà diximus, oſtenderunt) ſatis probant, locum illum diuinitùs eſſe delectum. Porrò ſummus pontifex victor tertius per ſomnium vidit Deum ſuæ dignationi in ſolitudine cartuſianæ habitaculum cōſtruentem: quanquam nonnulli dixère, hoc cœleſte ſpectaculum præfato Hugoni Epiſcopo monſtratum fuiſſe. Quam diſſonantiam faciliter diſſoluet, qui viſionem huiuſcemodi vtriq́; oſtenſam dixerit. Summo quidem Pontifici, vt rem Cartuſianam probaret: Hugoni verò præſuli, vt magis ac magis ſuis alumnis afficeretur. Deniq; cum locus ipſe multorum eſſet (ſeptem enim fuerunt donatores) omnes vnanimiter loco illo Brunonem, ſuoſque alumnos perpetuò donauerunt, quod diuinitùs factum fuiſſe, rectè putari poteſt.

Somnium Victoris Papæ.

CAPVT II.

Oſtenditur, aliarum etiam domorum Cartuſianarum fundationes diuinitùs factas fuiſſe.

IAM verò oſtendamus, nòn ſolum maioris Cartuſiæ, ſed aliarum quoq; domorum mirā fuiſſe inceptionem. Quo ſanè probato, adhuc conficitur vel indirectè ipſius maioris Cartuſiæ mirabilem fuiſſe originem. Siquidem dignitas illa parenti deneganda nō videtur, quæ ſuæ proli non citra cauſam aſcribitur: in his potiſsimū

rebus

rebus, quas non ſuis meritis, ſed mera Dei gratia, proles eſt ad probationis decorē aſſecuta. At verò mirandam prorſus incœptionem alię Cartuſienſis ordinis domus (quæ maioris domus Cartuſiæ filiæ dicuntur) habuiſſe traduntur. Igitur diuinum quoque initium maiori Cartuſiæ, cæterarum parenti, non iniuria tribuendum videtur. Mirabilem autem ſingularum domorum originem fuiſſe, vniuerſaliter oſtendere non poſſemus (modum enim excederimus voluminis) quapropter ingenioſo Lectori de multis pauca ſufficiat protuliſſe. Itaq; Vallem viridem noſtræ profeſſionis domum ad muros Pariſianos ſitam, in primis adducamus, quæ, propulſato noſtri generis aduerſario, diuinum ſumpſit exordium. Enimuerò cùm peſſimum dæmoniũ (quod dœmon Vallis viridis paſſim vocabatur) locum illum inuaſiſſet, & graues moleſtias diutius intuliſſet tranſeuntibus (eſt enim domus ipſa iuxta publicam viã ſituata (D. Ludouicus Frãcorum Rex, fundator illius domus, accitos Cartuſianos ad locum humani conſortij neſcium ire permiſit diuinitùs, timens nihilominùs vehementer, ne quid eis detrimenti contingeret. Iam enim multi alij religioſi dæmonis hoſtilitate à loco illo pulſi fuerant. Itaque vt eum Cartuſiani habitare cœperunt, cœpit quoq; dirus hoſtis multis eos iniurijs laceſſere, & grauibus affliceret detrimentis. Verùm antiquus ille ſerpens poſt diffuſa ſui liuoris venena, tandem Cartuſianum odorem ferre non valens, à loco penitus abſceſſit. Qua in re prętermittendum nõ eſt, dictum quoddam ipſius fundatoris memoratu digniſsimũ. Etenim dicentibus ſibi nõnullis aulicis ſuis, ꝙ paruam admodũ dotem (parua enim

Vallis viridis.

Autor iſte huius domus erat.

Ludouici Regis Francorũ apophthegmata.

erat)fratribus illis tribuiſſet,ita reſpondiſſe fertur. Si benè vixerint,ſatis habebũt:ſin minus, iã nimis habent. Quod verbum Regia ſapientia dignum ita impletum eſt, vt ſeruatis parſimonia,ſimplicitate, cęteriſq; frugalis vitæ inſtitutis iam ſatis habeant. Illam verò opulentiam,quam liuida multorum loquacitas eis vel falsò tribuit, prorſus neſciant.Sed quid? Recõditum pro vulgi opinione aurum habent Cartuſiani,qui re ipſa vix ſufficientes nummos interdum habent. Verùm ad reliqua pergentes, Vallem Dei ſubijciamus, cuius impoſitam nobis ſarcinam tulimus aliquando. Eam enim diuinum incœptionis modum habuiſſe,teſtatur in primis egregius Pertici Comes Rotrodus fundator admodum deuotus, qui ſuis aſſerit in literis,ſe nutu diuino Cartuſianos illuc adduxiſſe. Teſtatur quoq; & aliud ſatis vulgatum.Etenim cum locus ille Vallis Dœmonis vocatur, poſt Cartuſienſium ingreſſum Vallis Dei nomen deſumpſit. Deniq; ſitus loci ipſius ſatis probat, & incœptionem, & perſeuerantiam prorſus fuiſſe mirabilem. Eſt enim locus vicinis collibus,denſiſq; nemoribus cinctus. Quem ſi videres,& ſolitudinẽ aſperam, & mundi finem te putares inueniſſe. Arenoſam enim terram ibi cernere eſt, frigidis aquis irrigatam,non fœcundatam.Locum quidem ſuaptè natura inuium, ſed multa pauperum frequentia reuelatum. Patulas vndique arbores, quietas quidem & ſilentes, niſi cum denſus imber(qui frequens eſt)delabitur, vel Boreas AEolicis ab antris erumpens,totã agmine facto ſyluã concitat. Deniq; omnia ibi videre eſt ſolitariæ, aſperæ,ſanctęq; vitæ accommoda.Quæ cum ita ſint, neſcio qua temeritate iampridẽ ſciolus aliquis locum

Vallis Dei.

locum ipſum (ſicut fertur) verſiculis triuialibus denigrare præſumpſerit. Sed genus eſt hominum, qui liuore tabeſcentes, vel gulæ dediti (niſi ſuis votis plenius factum fuerit ſatis) vix vnquã benè de alienis domibus referre conſueuerunt. Quibus ſæpè non ſatis eſt bona fortunæ palam rodere, niſi & clanculum bona famæ gemino dente corrodant. Verùm hanc ingratorum hominum fœcem negligentes, ad inſtitutũ reuertamur. Itaque (ne illa ſola quæ videmus duntaxat proferamus) etiam quædam referamus audita. Eſt domus ſanctæ Barbaræ in Coloniæ ciuitate, quæ & ipſa miraculosè fundata eſt. Etenim cùm loci Archiepiſcopus ſanctæ memoriæ Valerannus, domum Cartuſienſis ordinis fundare inſtituiſſet, poſt multa loca diligenter quæſita, tandem per cœleſtem reuelationem oſtenſus eſt locus, in quo ædificare deberet, eique dictum ita. S. Martinus vult hîc ædificari, vbi ſcilicet ſanctus Seuerinus audierat concentum Angelorum beatiſſimi Martini ſpiritum in cœlũ deducentiũ. Porrò cum locus propè Tornacum ad Cartuſianã domum extruendam aptus veſtigaretur, tandem alijs multis neglectis, idoneus (volente numine) repertus eſt, vbi cum cœpiſſent pro fundamentis iaciendis terram egerere, inopinatam lapidicinam repererũt, quæ toti operi conſummando ſatis eſſe poſſet. Tradunt & quendam ſanctũ Præſulem Tornacẽſis Eccleſiæ ibi deambulantẽ, ſuis hoc modo ſæpe dixiſſe. Sciatis filij, diuinum theſaurũ hîc eſſe abſconditum: itaq; non iniuria creditũ eſt aliquid ibi ſupernæ virtutis latitaſſe, quę & pauperibus colonis in eum locum ſæpe decidentibus, tanto erat adiumento, vt nullam inde abeuntes

Domus Colonienſis.

Domus Tornacenſis.

læſionem ſentirent. Quid plura? Ipſe ſitus locorum ſatis oſtendit mirabiles fuiſſe Cartuſienſiū domorum fundationes, quippè quæ paſſim ſituatæ ſint vel in aſperis mõtibus, vel in vallibus, horrendis. Ita enim conſtituerunt Patres ædificare, quatenus vel à loco ſui monerẽtur alumni, & per humilitatis profunditatẽ ad ſupernæ vitæ culmen, & per contẽplationis montem, ad montem Chriſtum eſſe perueniẽdum. Oblocvt. Non poſſum diutiùs à verbis me cohibere: plenus enim ſum ſermonibus. Pet. Bona verba quæſo, ne fortè mala certatim erumpentia liuidum fel exulcerent, vel impetu aſperiori tua tibi præcordia frangant.

CAPVT III.

Quædam argutiæ materialem ædificationem Cartuſiæ, aliarumquẽ domorum Cartuſienſium, impugnantes, depromuntur & refelluntur.

Oblocvtor.

TVae Cartuſianæ vitæ originem ſpeciatim commendare molitus es à materiali fundatione. Ego verò è regione eam prorſus incuſandam oſtendere conabor. Pet. Parturient montes, naſcetur ridiculus mus. Obloc. Ipſe ergo & montem Cartuſianum, & ædificium in eo fundatum, te vel inuito, funditus demoliar. In primis aũt originalem ipſius maioris domus ædificationem, tùm directè, tum indirectè malleis quibuſdã deſtruere incipiam. Directè quidem, quia pauperum bonis extructa eſt. Illis ſci-
1. licet pecunijs ab Hugone datis, quas viduis, orphanis, & alijs id genus miſellis debuerat potiùs impertiri. Etenim pro ſententia D. Hieronymi,

Eccleſiaſtica bona ſunt pauperum: quapropter in alios vſus conuerti nõ debuerunt. Porrò quid aliud fuit illud Cartuſianum ædificium, quã inertiæ fomentum, aſylum tepiditatis, & hominũ denique torpentium turpe refugium? Vt enim ædificari cœptum eſt, Hugo Præſul ita ignauus eſt effectus, vt laborem omnem detrectârit, creditumque ſibi gregem periculosè deſtituerit. 2.
Indirectè verò, mater reprobari poteſt à filiarũ plantatione. Situs enim locorum, vbi fundatæ ſunt aliæ Cartuſiani propoſiti domus, luculenter oſtendit, eas non fuiſſe diuinitùs ædificatas: quandoquidem penè ſunt omnes in montibus, aut certè in vallibus ſituatæ. Cur quæſo, non potiùs in planis, æqualibusq; locis? Sed quo pacto eas rectè collocatas putauerim, cum montes ſuperbiam, valles verò deiectionem puſillanimitatemque ſignificent? In deſertis quoque, & abditis locis in perniciem habitatorum ſitæ vidẽtur. Ipſi etenim Cartuſiani ab humano conſortio lõgiùs ſeiugati, nec fragrãtis opinionis odorem, nec boni exẽpli lumen diffundere poſſunt. quamobrẽ res humanas (pluſquã par eſt) deſeruiſſe rectè dicuntur. PET. Iam parturierunt montes ridiculumque murẽ pepererunt. Quem, ne forſan ipſe Cartuſianã plantationẽ corrodere tentet, perimamus, hoc eſt, ratiunculas ab elato monte deprõptas deleamus. Quarum primam deſtruere magni negotij non eſt. Si enim pauperum erant illa, quæ dicuntur collata bona, cur pauperibus Chriſti ſeruis dari nõ poterant? Vbi (quæſo) vetitum eſt, Eccleſiaſtica bona in pios diſcretosque vſus erogari? Sed quia poſt Hieronymum Eccleſiaſtica bona cõmuniter pauperũ eſſe dicuntur, videndum, quo pacto illud rectè ſit ac- 3. 4. 5.

Bona Eccleſiaſtica quo pacto ſint pauperum.

ſit accipiendum. Quod vt fiat commodius recolenda eſſe tripartita Clericalium bonorum diſtinctio. Non enim omnia Clericorum bona ſunt Eccleſiaſtica. Quædam enim ſunt Eccleſiaſticorum virorum bona, quæ Eccleſiaſtica non ſunt, quæ ſucceſſione hæreditaria, vel arte, vel gratuito dono illis contingunt. Et hæc quidem pauperum non ſunt, quippe quæ poſſunt Clerici (ſeruatis Dei, legumque mandatis) cui voluerint, impertiri. Alia verò bona ſunt, & Eccleſiaſticorum, & Eccleſiaſtica, quæ ſcilicet clericalis officij ſeu beneficij gratia, ſunt aſſecuti. Et hæc ſunt duplicia: quædam diſtincta, altera verò indiſtincta. Diſtincta vocantur, quando per Canonicas portiones diuiſa ſunt. Olim ſiquidem Eccleſiaſtica bona in quatuor partes diuidi debere decretum fuerat (quod xij. q. ij. multis Capitulis ſatis conſtat) quarum partium vna eſſet Pontificis (ſcilicet pro ſe, familia, & hoſpitibus) altera clericorum, tertia pauperũ, quarta verò foret fabricis applicanda. De quibus bonis rectè ſentientes dixerunt, ea pro qualitate partitionis eſſe tribuenda. Etenim portio ipſa pauperum hoc caſu non poteſt alijs vſibus applicari. Indiſtincta verò bona dicuntur, quæ ſic partita non ſunt, ſed fidei, diſpenſationique virorũ Eccleſiaſticorum credita ſunt. Enimuerò labentibus cum tempore moribus, collapſa ſunt quoq; ſanctorum Patrum inſtituta. Itaq; vſu venit vt illa quadripartita bonorum diuiſio apud multos iam dudũ peſſum abierit. De his bonis rectè putatur, ea non ſolum in vſus pauperum exponēda eſſe, ſed etiam ad cultum diuinũ miniſtrorumque neceſſitates. Ita enim hoc caſu curãdi ſunt pauperes, vt fabrica (ſi tamen eius cura Clericis incum-

incumbat)non negligatur. His itaque depromptis,dicamus,Eccleſiaſtica bona quodam modo pauperũ eſſe, quodam verò modò nõ eſſe. Sunt enim pauperum non vniuerſaliter, ſed certis in caſibus.Primò, quando ab eis laboratur extrema neceſſitate, quã ſi patiantur, clerici poſſunt inprimis ſibi conſulere, deinde pauperes curare. Secundò, bona illa diſtincta,quæ per canonicam partitionem (ſi fortè facta eſt) eis deputata fuêre,eorum ſunt vniuerſaliter. Etenim ſi nõ egeant, in tempus indigentiæ obſeruanda ſunt. Tertiò, bona illa(quæ indiſtincta vocãtur)ſunt quodam modo pauperum,non tamen vniuerſaliter,aut ſemper. Ex illis etenim bonis poſſunt beneficiati (ſi tamen ſuo fungantur officio) ea capere meliora,quæ ad vitæ neceſſitatem,ſtatuſque decentiam rationabiliter exiguntur. Deinde quæ ſibi ſuperſunt,debent indigentibus pauperibus elargiri. Quorum tanta poteſt eſſe neceſſitas,vt ſtatus decentia ſit à Clericis quandoque minuenda. Inter pauperes aũt præferendos arbitramur cõſanguineos, quibus egeſtate preſſis,ſatius(cæteris paribus)ſuccurrendum eſt.Poſteà quæ ſuperſunt debent in fabricę vſus applicari, ſi tamen illa indigeat, eiuſq; cura Clericis incumbat.Quo caſu,ſi parua eſſet pauperũ indigentia,multa verò fabricę:parũ pauperib⁹ fabricæ multũ eſſet tribuẽdum. Ita ſunt. n. hæc indiſtincta bona per regulã prudentiæ diſtribuẽda. Deniq; ſi fortè quędã huiuſmodi exuberẽt,poſſunt ea pijs negotijs, religioſiſq; locis conferre. Poſſunt etiam(ſi volunt) pro futuris neceſſitatibus partem eorum fideliter,non aũt auarè, conſeruare. Poſſunt deniq;(ſi tãta fuerit copia)redditus, non pro ſe, non pro parentibus, non pro

conſanguineis, nõ etiam vt viuatur cum maiori vel pompa, vel lautitia, ſed pro Eccleſia ad ampliandum cultum diuinum, alendosq; pauperes, comparare. His enim modis Eccleſiaſtica bona ſunt fideliter diſtribuẽda. *Hîc iam quæritur,* cùm
1. Cor. 4. Apoſtolo, *inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Quæritur, inquam, quot Eccleſiæ miniſtri poſſunt inueniri, qui fideliter Eccleſiaſtica bona diſpenſent. Quòd ſi tempore illo, quo nimirum feruebat deuotio, iam quærebatur de fidelitate Eccleſiaſticorum diſpẽſatorum, quid hac temporum fæce quæri poteſt? Quid cogitari? Quotidiana enim experimenta ſatis oſtendunt, qualis ſit hodie bonorum Eccleſiaſticorum, nõ diſpenſatio, ſed diſſipatio, nõ fidele miniſteriũ, ſed damnabile furtum. Verùm ad inſtitutum reuertamur, dicẽtes, Hugoni licuiſſe bona temporalia pro Cartuſiana domo extruenda cõferre. Dicentes denique ſatis ex ſupradictis patere, quando & quomodo pauperum ſint Eccleſiaſtica bona: ſatis etiam diſſolutam eſſe primam ratiunculã: quapropter ad alteram accedendũ. In qua ſatis mirari non poſſum tuã veſanam temeritatem. Cui non ſatis eſt diligẽtiſſimos illos Patres taxare, niſi & ſanctum Præſulem canino dente corrodat. Neſcis, inſane, neſcis, quid ſibi velit Cartuſię vitæ otioſum ſtudium, occupataque otioſitas. Ea enim non iners, non vacua, ſed tanta eſt, vt vix tẽpus ſufficiat. Quamobrẽ Hugo
Lincoln. in Anglia. alius, Cartuſianæ religionis alumnus, qui poſtmodùm Lincolniẽſis Epiſcopus fuit, cùm adhuc Cartuſianam ſolitudinem incoleret, mirum in modum de temporis lapſu dicitur conqueſtus, aſſerens nihil magis ſuis ſtudijs aduerſari, quàm temporis breuitatem. Idem dixerunt multi poſterio-

ſteriores, illi potiſſimùm, qui præter cõmunem Ordinis laborẽ, aliquid tentauerũt ſpiritalis operis factitare. Itaq; nec Cartuſianos de inertia, nec Hugonem Gratianopolitanũ de nimia ſolitudinis obſeruantia, taxare debuiſti. Cartuſiani enim ſatis occupabantur. Hugo quoq; in ſolitudine (ꝙ ſuis ouibus traderet) contẽplabatur. Cur ergo à Brunone cõpellabatur ad exitũ? Ne ſcilicet tui ſimiles obloquerentur, vel certè tanta eũ cõtemplationis oblectaret ſuauitas, vt impoſitã ſibi ſarcinam (q̃ ſæpius deſerere tentauit) tandẽ haberet exoſam. Sed nunquid propterea ſolitudinem, contemplatiuæ vitæ aptiſsimã adire non debuit? Qui ita ſentit, planè deſipit. Enimuerò probatiſſimi viri, quibus vel aliena cura incũbebat, ſolitudinem aliquoties petiuiſſe, memoriæ proditum eſt. Moyſes .n. dum grauis, duræque ceruicis populi ſarcinã gereret, ſolitarium mõtem conſcendiſſe, ibique multo tempore ſolitarius (ſi tamen ſolitarius eſſe poſſit, qui diuiua fruitur præsẽtia) mirum in modũ egiſſe dicitur. Samuel dux populi rectiſſim⁹, poſt varia luſtrata loca, ſe in Ramatha, quæ mortis viſio interpretatur, poſtmodùm recipiebat. Dauid quoque Rex ſanctiſsimus, cùm mundi mala perferret, & timidi, tenebroſique pectoris tædia ſuſtineret, ſolitudinem adiuit. Sed quid priſcos illos commemoro? Euangelici enim egregijque rectores propemodum innumeri, traduntur relicta turba cum ſolitarijs viris habitaſſe. E quibus vel quatuor in medium afferantur. In primis Ambroſius Pontifex Mediolanus, qui beatiſſimum Martinum in ſolitario loco degentem ſæpenumerò adiuiſſe, & dulcia habuiſſe colloquia memoratur. Sed & ipſe Martinus Antiſtes effectus,

Curam animarum habentem poſſe ſolitudinem adire.

Exod. 19.

2. Reg. 7.

Pſal. 54.

ſuos monachos(qui per ſaxoſum collem diſperſi erant) ſæpius viſitaſſe, & cum eis ſolitariam egiſſe vitam refertur. Auguſtinus quoque Doctor præcipuus cum ſuis heremicolis (quos ſuũ gaudium ſuamque coronam vocitat) creditur iucundiùs, frequentiusque ſe continuiſſe. Denique magnus Gregorius ſummo Põtificio decoratus, ſuos quos dotauerat monachos, creberrimè putatur inuiſiſſe. E quibus ſatis conſtat, Præſules poſſe, imò (ſi ſapiunt) debere ſolitudines adire, & cum deuotis viris interdum victitare. Sed quid ita? Nempè vt turbulentos animi motus componant, & maiore animi ſerenitate potiantur, vt gelidum pectus ex feruido conſortio prorſus incaleſcat, & rara deuotio magis accendatur, vt ipſa quoque actiua vita, quæ multas ſolet afferre turbationes, aliquid tandem accipiat quietis, ſpiritaliſque recreationis, & contemplationi quandoque cedat: denique vt ſuauis contemplatio, quæ Præſulibus magnæ curæ eſſe debet, ex multa rerum labentium cura non depereat, ſed fiat grata ſolitudine vegetior, inſtaureturque, & magnum ſuſcipiat incrementum. Hæc ſi fierent, & Principum curiæ, patentiaq; nimium palatia neſcirentur, longè meliùs cum Paſtoribus ageretur. Sed iam ad indirectas garrulitates directè reſpõdeamus, & à ſitu non reprimendas, ſed potiùs efferendas domos Cartuſianas oſtendamus. Quæ quidem non ſunt in planis æqualibusque locis, vel iuſtis de cauſis ſituatæ. In primis enim ſolitarij priores non leguntur in talibus ſe locis paſſim continuiſſe, ſed vel in aſperis montibus, vel in vallibus abiectis, incultis, arenoſiſque. Degeneres autem Cartuſiani eſſe noluerunt, ſed Maiorum

rum inſtituta diligentiùs obſeruantes, ſimilem habitationis ſitum elegerunt. Deinde in locis planis ſæpius vbertas ſolet inueniri, grataque amœnitas, quæ ſanè viris aſperum propoſitum ſectantibus non conueniunt, quibus locorum & ariditas, & aſperitas magis conducere putatur, vt ſcilicet ea, quæ ſunt mundanis gratiſſima relinquentes, ad cœleſtem iucunditatem vel à loci conditione incitati ſuſpirent. Sed quid locorum amœnitatem non fugiſſent Cartuſiani, cùm etiam multi Philoſophorum gentium reliquerint frequentias vrbium, & hortulos ſuburbanos, vbi ager irriguus, arborum comæ, & ſuſurrus auium, fontis ſpeculũ immurmurans, & multæ oculorum, auriumque illecebræ, ne per luxum & abundãtiam copiarum animi fortitudo molleſceret? Debuerunt in ſumma Cartuſiani tantum facere propter cœleſtem, veramque ſapientiam, quantum illi propter mundanam, adumbratamque Philoſophiam feciſſe dicuntur. Denique ſententia Philoſophica eſt, eos qui per inæqualem viam gradiuntur, citiùs laſſari. Vt ergo ſpiritales viatores monerententur, laſſitudinem in via Dei ſemper eſſe fugiendam, iterq; aſperum ad finẽ vſq; vitæ peragendũ, inæqualia potiùs loca ab eis delecta ſunt. Quòd autem ex montium, valliumq; ſignificatione niſus es domorũ Cartuſienſiũ ſitũ improbare, non feciſſes ita, ſi vel Gregorium in Moralibus, vel alios recentiores quandoque legiſſes. Mons enim (ſi neſcis) & in bonam, & in malam partem ſacris in literis ſolet vſurpari. Etenim in ſingulari, quandoque incarnatum Dominum, interdum Deiparam virginem omnium ſublimitate creaturarum ſupremam, aliquan-

aliquando ſanctam Eccleſiam, nonnunquam teſtamentum Dei, interdum cœleſte regnum, aliquoties contemplationis altitudinem, & denique hominem virtutibus præſtantem, ſignat. Signat & apoſtatam Angelum, ſignat & quemlibet hereticum, & generaliter quemlibet turgidum inflatumque animum. Montes quoque numero plurali ſignant ſublimes virtutes Angelorum, celſitudines Prophetarum, Apoſtolorum, Apoſtolicorumque ſeu perfectorum virorum, altas quoque ſacræ Scripturæ ſententias, arduas contemplationes, virtutum eminentias, & denique ſeculares poteſtates, ſuperbasque elationes. Quamobrem ab illius verbi ſignificantia nulla poteſt ſumi rectæ improbationis energia. Sed cur (dices) paſſim elegit montes & valles ordo Cartuſianus? Meminiſſe in primis debes, ſatis dictum eſſe de cauſis, quæ Principem Cartuſiani Ordinis Brunonem ad montem eligẽdum concitârunt: ea propter ſatis erit nunc afferre, cur paſſim montes, interdum valles delegerit ipſius Brunonis poſteritas. Cui quæſtioni facilè, breuiterque dici poteſt, eiſdem penè de cauſis poſteriores concitatos fuiſſe, quibus & pater ipſe. Verum quod aliquæ peculiariter Brunonẽ impulerunt, quæ non ſatis toti Cartuſiano ordini congruere videntur, eam ob rem paucas ſubiũgamus, quæ & omnibus aptari poſſunt. Tribus itaq; de cauſis ea loca magis delegiſſe putatur ordo Cartuſianus. Prima quidem, quod in montibus mira ſint diuinitus effecta. In monte ſiquidem terreſtris Paradiſi (is enim locus altiſſimus eſſe creditur) mons ille Adamus mirabiliter cõditus eſt. In monte quoque, mons ille ligneus à Noë fabricatus, quieuiſſe, & humanum inde genus pro-

Montes & Valles cur elegit ordo Cartuſianus.

Montis præconia. *Gen. 1.* *Gen. 8.* *Exod. 16.* *Gen. 19.*

nus profluxiſſe traditur in monte, monti per montem lex diuina lapideis in tabulis tradita eſt. In monte, Loth ſuam iubetur animam ſaluare. In monte, mons Helias aſcendit, viuit, contemplatur. In montem mons Ezechiel rapitur, vt mira ibi conſpiciat. Et (vt ad nouum montem veniamus) in monte, mons limitrophus (Ioannem dico Baptiſtam) inter veteris nouique mõtis fines conſtitutus, mirabiliter producitur, ſaltat cum exultatione cum ſtupore naſcitur, vitáque agit in mõtanis admiratione digniſſimam. In monte, mons totus mirabilis præſentatur, nutritur, ſalutatur, fœcundatur. In montē, mons ille abijt cum feſtinatione, vbi & laudatur, benedicitur, & mater Dei nominatur. In monte, mons montium meditatur, orat, transfiguratur, adoratur. In monte, à monte montium, montibus ſanctis, montes euangelici (arduæ ſcilicet doctrinæ, quibus ad montes cœleſtes itur) traduntur ampliſſimè. In monte, à monte montium montibus ſanctis in montibus Iſraël habitaculum, conuiuiumque paratur. In monte montes angelici apparuerunt, rebusque humanis auxilium prabuêre, mira ibi multa oſtendentes. In monte præſtantiſſimi montes, hoc eſt præſtãtis virtutis homines, paſſim habitaſſe leguntur. Quid plura? Si omnia montis præconia afferre tentauero, iuſtam voluminis menſuram exceſſero. Igitur tam multam montium dignitatem animaduertentes Cartuſiani, montes elegerunt, putantes ſibi montana colentibus, aliquid cœleſtis numinis facilius prouenire poſſe. Altera quoque cauſa paſſim in montibus habitant Cartuſiani, vt moneantur putentque, ad montem contemplationis, montem virtutum, montem perfe-

4. Reg. 2. *Ezec. 40.* *Luc. 1.* *Ioã. Bapt.* *B. Maria.* *Christus.* *Matt. 14. 17. 26.* *Matth. 5.* *Matt. 25.*

perfectionis, montem denique cœleſtis patriæ, iugiter anhelandum. Nihilominus tamen quandoque valles inhabitant, ꝙ & ibi mira ſint effecta (de quibus non eſt modò dicendum per ſingula) & vt ima ſectantes ſtudeant inhumilitatis valle ſemper manere, in eaque virtutes congregare, congregatas aſſeruare, vt tandem ad cacumen paradiſiaci montis euehi mereantur. Ita enim vſuuenit, vt qui ſe in hoc ſæculo profundiùs humiliauerint, in altero magis ac magis exaltentur. Denique vetuſti Patres talia loca delegiſſe traduntur. Vnde & Hieronymus de ſeipſo ita inquit: Sicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ erat orationis locus, & ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum collocabam. Itaque ſcientes Cartuſiani, ſanctos Patres, peculiariter verò ſuum parentem Brunonem, iuſtis de cauſis montes delegiſſe, interdum verò ipſos in vallibus habitaſſe, eoſque referre cupientes, interdum in vallibus, frequentiùs verò in montibus ſe continere inſtituerunt. Sed de his iam ſatis. Quòd autem argumentaris, Cartuſianas ædes ab hominum frequentia nimis ſeiunctas eſſe: ridiculum planè, quãdoquidem nulla denſitate ſyluarum, nulla montium aſperitate, nullo deniq; locorum interſtitio ciuiles agreſteſ-que homines arcentur, quin ad viſitãdas domos noſtras frequentiùs adueniant. E quibus multi non ſolùm ad nos viſitandos, ſed etiã (qua ſunt præditi humanitate) iuuandos conciti veniunt. Sed ad quid iuuãdos? Nempè ad bona noſtra (ne forſitan diſpereant) edenda, capiunda, efferẽda. Atque ſatis inuenimur, viſitamur, noti ſumus. Quænam obſecro gens eſt, cuius mentẽ non imbuerit

buerit Cartuſiani ordinis religio? Quæ adhuc regio ſupereſt, quæ Cartuſianũ lumen nõ vidit? Ergo abditis in locis reconduntur Cartuſiani, ſed hominum frequentia reuelantur. Interdum vultus non videntur, at boni exempli ſentitur fragrantia. Quamobrem de nimio receſſu carpendi non ſunt, quippe qui ſuæ ſaluti conſulentes, loca remotiora elegerunt, ne ſcilicet temerè ſe periculis offerrent, ſed pro viribus hoſtiles declinarent inſidias. Nec tamen ita abſceſſerũt, quin ſint vbique fama ſuper æthera noti, quin & bonæ quoque vitæ odorem ita ſpargant, vt pleniùs factis docere, quàm alij verbis rectè credantur. In moralibus enim plùs mouent exempla, quàm verba. Itaque ſi te, ô Cartuſiane, liuidus aliquis de nimio receſſu taxet, non cures. Quòd ſi importunè nimium roget, cur fugeris, & ſilentem, ſecretumque locum petieris: dicas quod Hieronymus dixiſſe refertur. Etenim cuidam quærenti, cur pergeret ad hemum: Videlicet (inquit) vt te non audiam, non videam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meritricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Quòd ſi dixerit, hoc non eſſe pugnare, ſed fugere: audiat quod ſequitur. Sta in acie, aduerſarijs armatus obſiſte, vt poſtquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam. Nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si non fugero, aut vincendũ mihi, aut cadendũ. Quid autem neceſſe eſt certa dimittere, & incerta ſectari? Aut ſcuto, aut pedibus mors vitanda eſt. Tu qui pugnas, & ſuperari potes, & vincere. Ego cùm fugero, non vincor in eo quod fugio, ſed ideo fugio, ne vincar.

Pulchra Hierony. reſponſio.

Nulla

nulla ſecuritas eſt, vicino ſerpente dormire. Poteſt fieri, vt me non mordeat: tamen poteſt fieri, vt aliquando me mordeat: fuga enim non infidelitatis, ſed prudentiæ inditium eſt, ne fruſtra nos efferamus periculis. Hactenus ex Hieronymo. In ſumma, Cartuſiani remotiora loca optimo iure petierunt, ne ſcilicet propter hominum frequentiam orationes intermitterentur, ſcripturarum relinquerentur ſtudia, ſilentium ſolueretur, ſæculi caperentur rumores, memoriæ occurreret mundialis vanitas, arrepti propoſiti tædium inuaderet, & deniq; iactura literis, moribus, propoſito, conuerſationi, animæque ſaluti vehementer immineret. Sed de his ſatis. Si quid te amplius mouet, id ipſum depromere potes.

CAPVT IIII.

De ſitu, figura, & numero cellarum Cartuſianorum.

Oblcovtor.

IMprobata generaliter veſtrorum monaſteriorum & ędificatione, & ſituatione, libet peculiariter ad demoliendas cellulas neruos, intendere. Cur enim, quæſo, vos ſinguli ſingulas cellas incolitis? Nonnè foret & iucundius, & ſecurius, omnes ſub eodē tecto fratres habitare? Quod ſi vitæ ſingularitas delectat, quid tamen, obſecro, ſibi vult illa domuncularum diſtantia? Nonnè potius vicinæ, nullaque intercapedine ſeiunctæ eſſe deberent? Sed & ſi diſcretum, diſſeparatumque habitaculum cordi fuerat, cur illa veſtra præſepia tantillo dūtaxat interſtitio ſunt à ſe inuicem ſeiugata. Nonnè rectius erat, diſtātiſſimas cellulas priſcorum anachoretarū inſtar habe-

habere? Denique cur vel illam cellularum paucitatem principio delegiſtis (tredecim enim dũtaxat in eodem monaſterio eſſe debere, patres veſtri conſtituiſſe dicuntur) vel delectam non obſeruatis? PET. multa quæris, & grandia, quę ſi bono animo prodire crederentur, iucundiorẽ ſane reſponſionem mererētur. Verum ne ſe liuor ignoratione tueatur, ſingulis quæſtionibus tuis ſeriatim reſpondere certum eſt. Quod igitur quæris, cur nos ſinguli ſingulas cellas habeamus, cur diſtantes, cur parua diſtantia, cur denique pauco certoque numero, nec tamen vbiuis obſeruato: reſpondetur ad primum, Cartuſianos ſingulos ſingulas cellas habere voluiſſe, propter exemplaritatem, vitæ genus, & multam cellæ pręſtantiam atque commoditatem. In primis enim ſingulas cellas delegerunt Cartuſiani, quòd vetuſtiſſimos ſolitarios (quorum & nomẽ & vitam tenere nituntur) diſcretas cellulas habuiſſe animaduerterũt. E quibus fuère filij prophetarum, quos monachos (teſte Hieronymo) in veteri teſtamento legimus, qui ædificaſſe traduntur ſibi cellulas propè fluenta Iordanis. Ipſe quoq; Hieronymus egregius ſolitarius, vt alios miſſos faciamus, cellulamq; habuiſſe fertur, quã velut cogitationum ſuarum conſciam pertimeſcebat. Denique Præſidium Diaconum inuitans ad ſolitariam vitam, his verbis vſus dicitur. Habebis cellulam, quæ te ſolum capiat: imo non eris ſolus, Angelica tecum turba verſabitur, tot ſocij quot Sancti. Sed quid neceſſe eſt exempla in re tam aperta proferre? Luce etenim meridiana clarius eſt, egregios ſolitarios ſingulas cellas coluiſſe. Igitur ad imitandum ſuorum maiorum exemplum, Cartuſiani ſingulas cellas habere

bere decreuerunt. Deinde propter vitæ qualitatem delecta eſt habitaculi ſingularitas. Cartuſiana etenim vita procul dubiò ſolitaria eſt: ſolitaria autem vita, ſolitarium flagitat domicilium. Qua de re non debuerunt Cartuſiani ſub eodem communi tecto ſimul habitare, quippè qui non cœnobiticam, ſed ſingularem vitam agere conſtituerunt. Sub eodem enim tecto manere, cœnobitarum eſt, non heremitarum. Denique cellæ ſingularitas tam multis & prærogatiuis, & commoditatibus (de quibus forſan aptiori loco dicetur) referta eſt, vt non iniuriâ ſit ab ipſis Cartuſianis delecta. Iam videamus, cur diſtantes cellulas habere voluerint Cartuſiani. Hoc enim effectum putatur, ſcilicet ob figuralem correſpondentiam, recreationem, neceſſitatem. In primis ergò propter figuræ impletionem, hoc eſt, vt figuræ veritas reſponderet, & illam haberent in reſpeciem Cartuſiæ cellulæ, qualem in figura habuiſſe putantur. Ipſæ etenim cellulæ per tentoria ſeu tabernacula Iſrael figuratæ ſunt. Ipſa autem tentoria ſolent eſſe vtcunque diſtincta. Altera cauſa eſſe creditur, grata quædam recreatio, vt ſcilicet iucundior ſit vndique hortulus, in quo præfinitis horis pro leuando tædio quicquam oblectationis hauriatur. Exploratum enim eſt, humanam vitam abſque delectatione diu durare non poſſe. Vt enim corpus graui labore, ita animus vehementi intentione fatigari ſolet. Vtriuſque enim, ſcilicet corporis, & mentis virtus finita eſt & limitata, quæ ſanè vbi per improborum laborem fatigata fuerit, quiete opus eſt. Indiget ergò laſſum corpus ad ſui refocilationem quiete corporali, indiget & animus animali ſa-

Recreationē eſſe quandoq; neceſſariam.

li fatigatione vexatus quiete ſpiritali, quæ oblectatio quædam eſt, per quam fit laboris interni remiſſio. Nouit hoc Seneca cùm dicebat. Dãda eſt animis remiſſio. Meliores etenim, aptioreſq; requiei reſurgunt. Nouerat & vates quidam, cum ita canebat: *Seneca.*

Quod caret alterna requie, durabile non eſt: *Ouidius.*
Hæc reparat vires, feſſaq; membra leuat.

Nouerant denique & noſtri Maiores hortulos inſtituentes, ex quibus ad leuandum laborem (qui ex multa mentis agitatione conſurgere aſſueuit) moderatæ delectationis quicquam hauriretur. Sed reliqua proſequamur. Tertia cauſa eſt ipſa neceſſitas, vt cellicolæ altum ſuſpirantes, orantes, vel operis aliquid efficientes, ſe mutuò non impediant, vel moleſtiæ quicquam inferant. Adde quod nimia vicinitas, & ſilentio, & ſolitudini multum poſſet afferre detrimenti. Sed iam afferamus, cur paruo interuallo diſiunctas cellulas habere voluerunt Cartuſiani. Hoc autem trina commoditate effectum eſt: ſpiritali, corporali, & temporali. In primis parua fuit facta diſtantia propter ſpiritalem commoditatem, vt tentationibus agitati faciliùs poſſent auxilium flagitare. Deinde propter corporalem vtilitatem. Etenim ſi multa eſſet diſtantia, cùm habeant ſinguli Cartuſiani templum diu noctuque petere, ibique diuinum officium partim exoluere, magno afficerentur grauamine, potiſſimum illi, qui vel ſenectute, vel debilitate confecti ſunt. Adde, ſi quicquam ſubitanei morbi contingeret, non ita leuiter haberet, qui ſibi opem ferre poſſet. Denique propter temporalem commoditatem, hoc eſt, propter rerum cum tempore labentium conſeruationem, ſine

quibus ſpiritalia bona diu eſſe nō poſſunt. Enim verò ſi multum eſſet interſtitium, ſuis ſæpenumerò ſarcinulis viduari facilè poſſent Cartuſiani. Graſſatores nempè ex magna cellularum diſtantia aptiorem nacti opportunitatem, poſſent audentiùs, faciliùsque eas inuadere, omnemq; ſupellectilem inde prorſus auferre, quòd videlicet cellicolæ nec ſibi poſſent ſuppetias mutuò ferre, nec ipſos arcere latrones. Itaque poſſet Cartuſiana vita humanis à rebus faciliter exulare. Poſſet, inquam, de ea contingere, quod de anachoretica iam pridem eueniſſe dicitur: quæ ſcilicet propter frequentiam latronum ſolitarias ædiculas ſpoliantium, olim fuit deſtituta.

Cęterùm de paucitate cellarum ratio iam reddenda videtur. Fuit enim multis de cauſis huiuſmodi delecta paucitas: ſcilicet neceſſitate, myſterio, & exemplo. Neceſſitas enim vitæ ad paruum numerum deligēdum primùm adegit. Paucis enim opibus & præditus, & contentus principio fuit ordo Cartuſianus. Nec mirum planè, quandoquidem corporeis laboribus animalibusque alendis operam nauare, pauperemque vitam inde ſuſtentare decreuerat: eamque ob rem fratres laicos (qui huiuſmodi negotijs incumberent) in ſuum conſortium admiſerat.
Ca 79. §. 1. 2. 3. De qua re noſter Guigo ita inquit. Hanc numeri paucitatem eadem cōſideratione delegimus, qua nec hoſpitum equitaturas procuramus, nec domum eleemoſynariam habemus, ne ad maiores, quàm locus iſte patitur, expēſas coacti, quærere & vagari (quod horremus) incipiamus.
Ibid. 2. Quòd ſi poſteri noſtri hunc ipſum tam paruum numerum aliquibus occaſionibus, quas ignoramus, hoc in loco ſine quærendi & vagandi odibilibus

bilibus officijs procurare nequiuerint, ſi noſtris voluerint acquieſcere conſilijs, ad eam redibunt quantitatem, quam ſine prædictis poſſint portare periculis. Nos enim, qui in præſentiarum hic degimus, quamuis pauci ſimus, multò pauciores eſſe mallemus, quam ad illa mala, ſeruato vel multiplicato numero, peruenire. Attendentes igitur non munera quæ mittuntur (neque enim propter incerta beneficia, onera certa, quæ nec portari, nec deponi ſine grandi poſſint periculo, ſubeunda nobis videntur) non ergo munera conſiderantes, ſed quid hæc ipſa, in qua ſumus, heremus ſiue ex agricultura, ſiue ex pecorum nutrimento reddere poſſit, putamus præfatũ numerũ hominum hic viuere poſſe. Hæc ille. Adde quod pauci admodum reperiebantur, qui vitam adeò arctam, adeò tetricam ſuſcipere vellent ea propter paucitatem tùm cellarum, tùm cellicolarum eligere impulſi ſunt. Denique ad deſignandam Cartuſiæ vitæ præſtantiam hoc effecerunt, vt & ipſa raritate, & ſectatorum paucitate, vitam illam multa commendatione dignam inſinuaret. Etenim quæ rara ſunt, pretioſiora eſſe conſueuerunt. Verum ea quæ dicta ſunt, magis paucitati, quam certi numeri delectioni ſatisfacere videntur. Quamobrem dicamus, certum illum numerum fuiſſe obſeruatum, & miſterio, & exemplo. Miſterium fuit Decalogi & Trinitatis, tres enim & decem tredecim efficiunt. Vt ergo ſignaretur ordinẽ Cartuſianum, & in obſeruatione Decalogi, & fide Trinitatis fundatum, ſicque veteris (quod Decalogum præcipuè continet) nouiq; inſtrumenti (in quo Trinitatis ſacramentũ explicatur) obſeruatorẽ eſſe, numerus

Ibid. 3.

Terdenarius numerus cur olim à Cartuſ. delectus.

merus ille principio delectus eſt. Quod & exemplo effectum fuiſſe putatur. Duodecim enim filij Iacob fuiſſe leguntur, quibus ſi Patrem addideris, numerus præfatus reſultabit. Duodecim virgas à duodecim tribubus, & vnam ab Aaron, Moyſes ipſe accepit, quæ numerũ cellarum Cartuſianarum præfiguraſſe videntur. Deinde in nouo teſtamento duodecim leguntur Apoſtoli à Domino delecti, quibus ſi Christũ ipſum connumraueris, videbis exemplũ fuiſſe datũ Cartuſianis de numero tredenario eligendo. Magnã igitur numeri huius dignitatem conſiderantes, ipſum in ſuis cellulis obſeruandum noſtri Præceſſores cenſuerunt. Deinde ſubnectendum eſt, cur numerus ille nõ fuerit poſteà ſemper obſeruatus. Hoc autem facere ſuaſit zelus animarum. Cùm enim completo iam numero aliqui aduenirent, qui ad ferendam ſarcinam Cartuſianam admodũ apti videbantur, nõ putauerunt poſteriores, eos reijciendos, ſed amplectẽdos potiùs, maximè cùm de ſimilibus reperiendis ſpes nulla foret. Itaq; nihil à recto diſſentiens ſe facere putantes, ſuis in ſtatutis cautũ in hunc modũ reliquerunt. Numerus habitatorũ in domibus noſtris, monachorum quidẽ tredecim eſt, ſi Deus eos miſerit, & ſi facultates domorum tolerare poſſe putabuntur. Sed & ſi talis aliquis vnus, cuius vtilitas & honeſtas videatur vix poſſe recuperari, miſericordiam poſtulauerit, addetur & quartus decimus. Hæc ibi. Deinde ad hoc impulit religionis feruor, quo nimirum ſuccenſi Patres, numerum illum (quem iuſta cauſa mutari poſſe non dubitârunt) adaugere curauerunt, vt ſcilicet anachoretica vita diuinitùs reparata, plurimũ ſuſciperet incrementi, & longè late-

Gen. 35. *Num. 17.* *Matt. 10.* *25. ſecundæ on. 1.*

lateque per orbem diffuſa, multos cultores haberet.

Porrò fraterna pietas ad hoc incitauit. Optimates enim cupientes, bonorum ſpiritalium fieri participes, ſua Cartuſianis temporalia impertiri ſtuduerunt, interdum extructis iam cellis nouas addendo, interdum verò monaſteria, in eo, quo libuit, cellarum numero fundamentis extruendo. Vt ergò pijs huiuſmodi votis reſponderetur, auctus eſt numerus cellarũ Cartuſianarum. Quis enim, precor, vel potuit, vel debuit huiuſmodi ſanctis deſiderijs aduerſari, & Principum vota fruſtrari? Denique poſteriores ad hoc compulit ipſa neceſſitas. Interdum enim efficiebantur nonnulli vel ſenio, vel morbo, vel alio quouis pacto inepti: quamobrem opus fuit numerum augere, vt diuinus cultus perſeueraret, & fundationibus, alijsque huiuſmodi oneribus mirum in modum multiplicatis (quæ vel noſtri Maiores neſciérunt) plenius ſatisfieret. Iam verò (ſi fortè quempiam ſpiritalis cauſa magis oblectet) hanc pro omnibus generaliter accipiat. In ſingulis cellis habitant Cartuſiani, vt meminerint, ſibi peculiariter vacandum eſſe, inſanos illos arbitrati, qui alios curantes, ſeipſos negligunt. Meminerint & ſuas cellulas tabernaculorum inſtar ædificatas: contemplantes ſe Chriſti milites eſſe, & diuinis in caſtris habitantes, grauem cum truculentis hoſtibus pugnam ſuſcepiſſe, eam ob rem iugi cuſtodia opus eſſe. Diſtantes quoque cellulas habent Cartuſiani, vt intelligant, magis ac magis cellæ, ſilentijque cenſuram eſſe obſeruandam, cui ſanè rei nimia vicinitas noxia eſſe ſolet.

Paruam autem diſtantiam eſſe voluerunt, vt mente tenerent, ad ſpiritualium hoſtium conflictum viriliter ſuſtinendum, hominem ſolum non ſemper ſibi ſufficere, ſed etiam pro conſequenda victoria fraternum, vicinumque præſidium eſſe frequenter expetendum, quia *frater,*
Prou.18. *qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma*. Denique paruum numerum principio delegerunt Cartuſiani, vt alumnis inſinuarent, paucitatem eſſe ſectandam, fugiendam verò multitudinem, quæ tendit ad perditionem. Pauci ſiquidem inueniuntur diligentes ſerui, qui ſuo Domino fideliter obſequantur. Hac ergo generali cauſa, & ſingulas, & diſtantes, parua tamen diſtantia, paruoque numero cellulas habere voluerunt Cartuſiani. Iam ſatis de cellularum Cartuſianarum ſitu, figura, & numero, dictum videtur. Eam ob rem, ſi quid aliud ipſis in cellis te offendit, profer in medium. Oblocvt. Poſſem adhuc cellas ipſas, vtpotè nullius aut dignitatis, aut frugis, improbare, ſed aptiorem locum expectans, ad alteram fundationem, ſcilicet corporalem, pergere malo. Pet. I præ, ſequar.

Capvt V.

De fundatione corporali, ſpeciatim verò de diuerſitate alumnorum ordinis Cartuſiani, ac indumentis eorum.

Oblocvtor.

Agamus igitur de fundatione corporali, hoc eſt, de inſtitutione per Brunonem facta pro corporibus diſponêdis, induendis, ac fouendis ad Cartuſianè viuendum. Qua in re primùm rogo, quid cauſæ eſt, cur alij capillos, barbamq; radant: alij verò prolixam intonſamque

ſamque barbam geſtent? Deinde quid ſibi vult, quod nonnulli cucullati ſint: alij verò Capitia ferant? Porrò cur omnes in commune variam ſuppellectilem, multamque indumentorũ copiã (quæ vel apud ſæculares ipſos reprobaretur) habeant? Cur, inquam, portiones (quas pitantias vocant) adeò magnæ & craſſæ ſingulis tribuuntur, quæ nec ab ipſis mũdanis glutonibus vorari poſſent? Cur inſuper omnes vino vtantur? Nonnè ipſum vini vſum, ſicut & carnium, vobis prorſus interdicere debuiſtis, cum vtriuſque vſus à veris heremitis penitus ignoretur? Denique cùm in vſu vini laxeris habenas, priſcorumque anachoretarum veſtigia deſeratis: quid, oro carnium eſu ita languidos veſtros interdicitis vt non ſolum in grauibus morbis (de paruis enim taceo) ſed etiam in extrema neceſſitate penitus denegetis? Hoc enim vſque adeò periculoſum, imò & pernitioſum (vtpotè charitati aduerſum) eſt, vt propterea veſter Ordo tùm ſcriptis, tùm verbis reprobetur, paſſim inhumanus putetur, & demùm Cartuſiani crudeles vulgò dicantur. PETR. His tuis quæſtionibus, imò verò contumelioſis impugnationibus reſpondere molientes, primum afferemus varietatem, differentiamque ſtatuum ſeu graduum, quos religionis Cartuſiæ ſinus fouet. Deinde ſubiungemus de corporum diſpoſitione, quò ad capillos, barbam, qualitatemque indumentorum. Poſtremò agemus de victu, quo vtuntur Cartuſiani. *Varietas ſtatuum*

Primum adorientes, dicimus in ordine Cartuſiano Monachos in primis eſſe, qui & religioſi paſſim nuncupantur. Hi ſacris initati ſunt, aut certè ad ſacros ordines aſpirare habent. In hoc *1. Monachi.*

enim gradu nulli niſi Sacerdotes, aut ad ſacerdotium promouendi admittuntur. Sunt deinde laici barbati, quos Conuerſos dicimus, qui licet de religionis grege eſſe non dubitantur, eos tamen Cartuſiana ſtatuta laicos vocāt, quòd ſacris Ordinibus non imbuantur. Sunt inſuper Redditi, & hi quidem duplices: quidā vocantur Clerici, qui & Cōuerſis digniores, & quodammodo mixti ſunt. Cucullam enim ſine vittis geſtant, & cum monachis habitantes, cellam, ſilentium, ordinemq́; vt monachi, obſeruāt. Cùm ipſis verò Conuerſis agentes, Conuerſorum more in omnibus penè victitāt. Alij verò ſunt Redditi laici, Conuerſis penè ſimiles, ſed tamen inferiores: prolixam enim barbam non geſtant, & hi quidē rariſſimi ſunt. Porrò sūt Donati, qui triplici votorum funiculo ſe non obſtringunt, nec habitu religioſo paſſim vtuntur, nec illam quoque vitæ aſperitatem ſectantur, quam cæteri. Nam & eis carnes edere (extra tamen ſepta monaſterij) & plumeis in lectis dormire, & demùm multis in rebus laxiùs agere licet. Nihilominùs tamē obedientiam, caſtimoniam, fidelitatemque obſeruare tenentur. Denique ſunt Moniales, quæ & Conuerſas, & Donatas habent, quibus omnibus præficitur vna Prioriſſa. Verùm pro Sacramentis, alijsque id genûs, quæ fœmineum ſexum nō decent, inſtituitur Vicarius, qui monachis quibuſdam ad eum iuuandum deputatis comitatus, ſeiunctisque in ædibus habitans, quod ſui officij eſt, monialibus ipſis impertitur opportunè. Hæ autem Chriſti ſponſæ ab Epiſcopis, cùm tempus adeſt, conſecrantur, nigro velo caput operiunt, diuinum cultum inſtar monachorum perſoluunt, & ſimilibus quoque Indumentis ſi-

2. Conuerſi. *3. Redditi clerici.* *4. Redditi laici.* *5. Donati.* *Donatorū conditio.* *6. Moniales.* *Prioriſſa.* *Vicarius monialiū.* *Monialiū ſtatus.*

tis ſimul proportione ſeruata vtuntur. At verò ſimul edentes, ſimul operantes, ſimulque in dormitorio communi quieſcentes, non tantam vitæ aſperitatem ſectantur, quãtam & monachi. Non enim poſſet fragilis ille ſexus tantum oneris ferre.

Cæterùm de Redditis, Donatis, Monialibuſque Cartuſianis hæc tantilla dixiſſe ſufficiat. Ad Monachos & Conuerſos redeamus. Inter quos diſcrimen iſtud eſt, quòd monachi nec comam, nec barbam nutriunt: Conuerſi verò & prolixas barbas, & capillos paruos geſtant. Illi cucullas, hi Capita ferunt. Illi mentem, hi corpus exercent. Illi cancellatis manibus diuinis rebus vacant, hi manibus expanſis, terrenis incumbunt. Illi demùm ſolitudini cellæ dant operam, hi verò externis negotijs occupantur. Vt enim monachi ad otium vitæ contemplatiuæ potiſsimũ inſtituti ſunt, ita Conuerſi ad opera actiuę. Ipſos ſiquidem Conuerſos in ſuum gremium admiſit Ordo Cartuſianus, vt corporeis exercitijs incumberent, quod & ſtatutorum monimentis hoc modo proditum eſt. Quia potius de agricultura, & nutritura animalium, quàm de redditibus alienis viuere diſpoſuimus, laicos in noſtram ſocietatẽ admiſimus, qui & agriculturæ, & pecorum nutrimẽto, & alijs corporalibus exercitijs, prout eis iniunctum fuerint diligenter intendant, ſicut & Clerici ſpiritalibus operam dare tenentur. Sed iam peculiariùs agendũ videtur de his, quæ ſuperiùs propoſita ſunt, ſcilicet de diſpoſitione, qualitateque corporis, & indumentis, alijſque id genũs, quæ magis ad corpus ſpectare putantur. In primis (vt diximus) nec comam, nec barbam nutriunt monachi, quippe

Conuerſi à monachis qui diſtent.

35. ſecunda an. 1.

quippe qui frequenter raſuram & capitis, & barbæ faciant. Faciunt autem iuſtis de cauſis.

Prima quidem, propter myſticam legis obſeruantiam, quæ Leuitis, hoc eſt, aſſumptis præcepit radere omnes capillos carnis ſuæ, Numeri 8. Quod exponens Gregorius, inquit: Pili carnis ſunt quælibet ſuperflua humanæ carnis, vel vitæ veteris cogitationes. Poſtea ſubiungit. Oportet ergo Leuitas omnes pilos carnis ſuæ radere, quia qui in obſequium Dei aſſumitur, ante oculos Dei à cunctis carnis cogitationibus mundus debet apparere: ne illicitas cogitationes mens proferat, & pulchram animi ſpeciem, quaſi pilis fuſcantibus, deformem reddat. Vt ergo Cartuſiani legē ipſam ſpiritaliter obſeruent, obſeruandamque meminerint, hoc eſt, vt ſuperfluas cogitationes abſcindendas eſſe cogitent, pilos & capitis, & faciei radunt. Radunt quidē, non euellunt: quoniam etſi cogitationes ſuperuacaneæ carnalesque amputantur magna cura, magnaque diligentia, reſecari tamen funditùs nequeunt. Semper enim generantur ſuperflua, quæ nouacula ſolicitudinis reſcindenda ſuperſunt. Altera verò cauſa eſt, vt pareant etiā abundantius Eccleſię iubenti, ne Clerici comam barbamve nutriant. Quod & in Concilio Carthaginenſi factum fuiſſe traditur. Et Extrà. de vita & honeſtate Clericorum, Cauetur. Verùm quia hæc communia ſunt raſuræ & capitis, & barbæ, eam ob rem afferamus ſpecialiter de tonſione capitis, deinde de raſura barbæ. Tondent caput Cartuſiani, vt intelligant, meminerintque ſpiritalem nuditatem, quæ per capitis raſuram ſignatur, in vertice mentis obſeruandam eſſe. Hoc eſt, labentium rerum, quas diuini amoris contempla-

Pilos cur radant.

Concil. Carthag.

templa-

templatione putantur abdicaſſe, nuditatem ſeu abrenuntiationē ſemper in arce mentis amplexandam, nihilq; inter Deum, & animum ſuum medium eſſe debere, & denique contemplationis puritatem eſſe tenēdam, intelligant. Tonſio enim capitis, ſignum eſt contemplationis. Tondent quoq; barbam frequenter Cartuſiani Monachi ob cultis diuini reuerentiā, vitandaq; pericula, quę in celebratione Miſſæ propter barbæ prolixitatē contingere poſſent. Difficile enim eſſet, Dominicum poculum cum barbæ protenſione citra periculū ſumere. Denique hoc idem efficiunt Clerici Cartuſiani, ad diſcriminādum ſtatum ſuum à Conuerſorū ſtatu, inſinuandumque, quantò plus raduntur ipſi Monachi, tantò magis eos in obſeruandis ſpiritalibus rebus, per huiuſmodi raſuram deſignatis, ſolicitiores eſſe debere. At contrà, prolixam barbā geſtant Conuerſi, in ſignum imitationis ſcilicet, vt antiquos heremitas vel extrarijs ſignis & æmulentur, & referant, qui per Clericos ea parte exprimi non poſſunt. Diſcretionis quoque, vt à Redditis laicis, quibus penè ſimiles ſunt, per barbam diſcernantur. Virilitatis inſuper (barba enim virilitatem ſignat) vt intelligant, moneanturque, ad ferendum opus aſſumptum virilitate opus eſſe. Huiuſmodi nempè exterioribus monimentis eos de ſtatu ſuo imbui operępretium eſt, quippe qui literati non ſint, eamque ob rem opus habeant aliàs edoceri. Actionis denique, vt meminerint, ad exercitia corporea ſe aſſumptos eſſe, quemadmodū & Clerici prolixam barbam minimè geſtantes, ad contemplationem deputati ſunt. Sed iam ad Cartuſiana indumenta veniamus. Indumenta geſtant Cartuſiani candida, groſſa,

Barbam cur radāt Clerici.

groſſa, abiecta, vniformiaque. Candida quidem, vt candorem & mentis, & conuerſationis obſeruent. Candor etenim veſtis ſignum eſt munditiæ pectoris, ſanctęque conuerſationis. Vt igitur Cartuſiani intelligant, & cordis munditiam interiùs, & honeſtam exteriùs conuerſationē eſſe tenendam, candida veſtiméta gerunt. Gerunt & craſſa atque rudia, vt omnem in veſtibus accuratiorem cultum, molliciemq; putent fugiendam. Quicquid enim prorſus ad lectū, veſtitūve pertinet, cuius ſit craſſitudinis, nō curat Cartuſianus. Satis enim eſt ei nuditatem tegere, frigusq́ue arcere. Gerunt deniq; abiecta, viliaque indumenta Cartuſiani, vt ſuperbas veſtium pompas, vanitatem, elationemq́; intelligant prorſus eſſe refellendas, Cùm enim (vt Cartuſiana ſtatuta canunt) ad oēs monachos, tamen maximè ad nos humilitatē, attritionemq́; pannorū, & vniuerſorū, quibus vtimur, vilitatem, paupertatē, & abiectionem certū eſt pertinere. Sed cur ita? Nempè vt vitentur mundiales abuſus in veſtimentorum vſu aſſueti, videlicet ſuperfluitas, ſeu copia immoderata: curioſitas, quę interdum anguſtiores, interdum laxiores veſtes habere impellit: Indecentia quoque, quæ ad gerenda veſtimenta ſtatum non decentia concitat. Deniq; exceſſus in valore, vtpotè cum veſtes habentur cariores, quam flagitet perſonæ conditio. Denique vniformia geſtant operiméta Cartuſiani, ne vlla coloris, vel habitus diuerſitate videatur in religione varietas, viteturque omnis & elationis, & murmurationis occaſio. Nam (pro Caſſiani ſententia) quicquid inter famulos Dei præſumitur ab vno, vel paucis, nec catholicè, eſt, vniuerſaliter per omne corpus fraternitatis te-

16. ſecunda an. 3.

Ibid. 5.

Abuſus veſtimentorum.

Caſſianus.

tis tenetur, aut ſuperfluum, aut elatum, & propter hoc noxium iudicandum eſt, magisque ſpeciem vanitatis, quàm virtutis oſtentans. Cæterùm his generatim prælibatis, peculiarius agamus. In primis de cuculla, quæ monachalis indumẽti genus eſt, capitium habẽs quaſi criſtatũ, cui reſiduum cohærens à lateribus colli, humerisque diuiditur in duas velut alas, quę in lateribus colligantur vittis, & demũ ad talos vſq; protenduntur. Quam quidem ab aue quadã dictam nonnulli putant, quæ adeò fatua eſſe dicitur, vt victum quærere erubeſcat, ſuorumq; ouorum oblita, foueat aliena: quas conditiones cucullatum dicunt habere debere. Debet enim velle fatuus mundo videri, vt ſapiens ſit apud Deũ. Debet quoq; de victu parùm curare, & denique omnium, quę huius mundi ſunt oblitus, etiã alienos, hoc eſt, inimicos amore proſequi. Pulchra quidem ſunt huiuſmodi documenta, planeque recipienda, ſed de præfata cucullæ nuncupatione fides ſit penes authorem. Quamobrem ea quæ veriſimilia vidẽtur proſequentes, dicamus cucullam factam figuratamque, vt diximus, Cartuſianos geſtare, partim imitationis, partim ſignificationis gratia. Ad imitandum enim eos, qui ſolitariæ profeſsionis præfigurauère lineas, qui cucullis penè ſimilibus vſi fuiſſe leguntur, & ab Apoſtolo cõmemorantur, cùm inquit, *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis,* talarem cucullam geſtant Cartuſiani. Deinde ſignificationis, admonitionisque gratia hoc efficiunt. In primis quidem oblongum cucullæ capitium, moreque caſſidis antiquæ conſutum, gerunt Cartuſiani milites, vt commoneantur, priſcorum veſtigia ſecuti, iner-

Monachi proprietates.

Hebr. 11.

Cuculla quid ſignificet.

inermes incedere nunquã debere, verùm ab eis caput iugiter eſſe armis protegendum, hoc eſt, præcipuam hominis partem, ſcilicet rationalẽ, contra hoſtiles conflictus muniendam. Deinde cucullam duas partes velut alas quaſdam habentem gerunt, vt meminerint, charitatem geminam (ſcilicet Dei & proximi) eſſe habendam: quibus, velut duabus alis anima volitans, & ea quæ antè & retrò ſunt, prudenter conſiderans, duplicem prædam, hoc eſt, ſtolam mentis, & corporis in futura gloria conſequi poſsit. Inſuper cucullam vittis colligatam, cruciſque inſtar formatam geſtant, vt vel ipſius indumenti qualitate moneantur, ſe vinculo Dominicoq; iugo colligatos eſſe, quòd à ſeipſis excutere liberum non habent. Moneantur, inquã, pœnitentiæ crucem, quam ſuſceperunt, iugiter viriliterque eſſe ferendam. Nec ſuam ſolùm crucem, ſed & crucem Domini, crucemque proximi ferendam putent. Crucem quidem Dominicam, pia tantarum iniuriarum contumeliarumque meditatione, imitatione quoque humilitatis, patientiæ, aliarumq; virtutum, quæ in ea effulſerunt, & demùm aſsidua gratiarum actione, ad quam iure optimo pro tantis beneficijs aſtringimur omnes. Crucem denique proximi, eius ſcilicet onera patienter tolerando, miſerijs, & afflictionibus eius piè compatiendo, iuuandoque. His enim de cauſis crucem in veſte putantur ferre Cartuſiani. Denique cucullam talarem geſtant, vt meminerint, ſuſcepta onera ad finem vſque vitæ perſeueranter ferenda eſſe. Non enim ante vitæ calcem, hoc faſce leuari poſſe ſperandum eſt. Sed iam de alijs agamus. Cilicium (quod aſperum, ſetigerumq; tegumentum

Vitta.

Triplicem crucẽ Cartuſianis ferendã.

tum eſt)ad nudam carnem geſtant Cartuſiani,vt (ſecundùm præceptum Apoſtolicum) *mortificent membra ſua quæ ſunt ſuper terram.* Huiuſmodi enim cilicij non ſolùm corpus affligitur puncturis, ſed & aſperitate quadam mortificatur, cohibeturque iugiter,ne laſciuiat,ne vehementiores tumultus concitet,ne demùm,inſtar equi indomiti, ſine rationis fræno ſe, quò libuerit, agat. Quàm enim aptum ſit huiuſmodi operimentū ad carnales impetus edomandos, ad iram Dei placandam, promerendamque & ſibi, & alijs miſericordiam, ad agendam pœnitentiam, & demùm ad conſeruandas virtutes pellendaque vitia,ſatis exemplis,dictiſque ſacræ paginæ liquet.Iacob ſiquidem,viſa filij ſui Ioſeph tunica ſanguine tincta,indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore. Achab Rex, licet peruerſus,audita cōminatione Domini ſibi per Heliam propoſita, operuit cilicio carnem ſuam. Quamobrem diebus eius non induxit Dominus ea mala, quæ fuerat comminatus. Niniuitæ ad mitigandam Dei ſententiam, quæ per Ionam Prophetam in eos lata fuerat, cilicij aſperitate velati ſunt.Iudith laudatur,quòd ſuper lumbos ſuos cilicium geſtârit,qua tempeſtate Sacerdotes,ſuperbi Holofernis crudelem impetum formidantes,ſeipſos cilicijs operuerunt. Pſalmiſta quoque cùm ſibi moleſti eſſent inimici, induebatur cilicio. Mathathias inſuper cùm filijs ſuis, conſiderans mala, quibus Dei populus affligebatur, cilicio vſus eſt.Machabæus etiam & q cum eo erant,timore propter imminentē Timothæi aduentum correpti, lumbis cilicia admouerunt. Denique quam opportunum ſit pœnitentiæ cilicium ſatis CHRISTVS Dominus

Coloſſ.3. *Cilicij vſus & laus.* *Gene.37.* *3.Reg.21.* *Ionæ 3.* *Iudith. 8.* *Pſal.34.* *1.Mac.2.* *2.Mach. 10.* *Lucæ 10.*

nus oſtendit, aſſerens ſi quæ in Iudæa, etiam in Tyro & Sidone fuiſſent effecta, olim pœnitentiam in cilicio & cinere egiſſent. Sed de his iam ſatis. Intrinſecus aũt ciliciũ à Cartuſianis geſtatur, ne ab humanis oculis viſum elationis periculoſæ cauſam præbeat. Ita enim tutiùs meliuſq; agi putatur, quam exteriùs veſtem cilicinam: quippè quæ circumſpecta cunctis, atque notabilis, nullaque vel ſpiritui, vel corpori emolumenta ferre valens, elationis vanitatem facilius poſſit afferre. Porrò duplex cingulum geſtant Cartuſiani, extrinſecus vnum, alterum intrinſecus. Quod exterius oſtentant, ex canabe cruda interdum adiuncta pelle confectum eſt, quod ab eis pro zona geritur, per quòd intelligi datur, ea quæ vilia ſunt & ſimplicia, anachoretico, propoſito amiciſſima eſſe. Datur & intelligi, ad onera debitè, perſeueranterque ferenda, opus eſſe timore, qui ſemper animum conſtrictum teneat. Non enim aſellus aptè onus ſibi impoſitum ferre poterit, niſi ritè cingulatus fuerit: ita nec Cartuſianus, niſi cingulo timoris ſit conſtrictus. His igitur de cauſis cingulo vtuntur, in quo & additio pellis emortuę, ſignat mortificationem membrorum adeſſe debere.

Cingulũ. 1

Lũbare.

Quòd autem interiùs occultè geritur, Lumbare dicitur. Eſt enim funus ex canabe cruda, quo lumbi cinguntur, quem & ipſi ferunt, vt obſcœnæ libidinis ſedes mortificetur. Sciũt enim virtute dœmonis, hoc eſt luxuriam in lumbis ſeu renibus eſſe. Igitur vt lumbi ipſi, quibus luxuriæ ſeminaria in viris cõtinentur, aſperiùs mortificentur, lumbare ferunt Cartuſiani. Ferunt quoque, vt lumbos ſpiritualiter accinctos eſſe debere intelligant. Lumbos enim myſticè

Iob. 40.

pra-

præcingimus, cum Euangelico mandato audientes, libidinem concupiſcentiamque malam pro viribus cohibemus. Sed reliqua breuiter ſubnectamus. Subtunicale caligasque breues geſtant, vt & corpus frigore afficiendum, in ea potiſſimum parte, quæ acrioribus veneris ſtimulis agitari conſueuit, & infantiam eſſe ſectandam, infantili habitu intelligant moneanturque. Ad infantiam enim Chriſti reuerſi, debent infantiam morum obſeruare, innocentiam ſcilicet, ſimplicitatem, humilitatem, obedientiam, & cætera id genûs, quæ in ea ætate commendari ſolent. Cæterùm, vt indumentis finis, & obiectioni de indumentorum copia factæ, reſponſio adhibeatur, noua & vetera indumenta habent Cartuſiani, vt ſcilicet recentioribus, atque honeſtioribus, decorent ſolennitates: per hoc inſinuantes, illis potiſſimùm diebus, cultiores ac puriores mentes eſſe debere. Deinde, vt cùm aliquod eorum ſordibus affectum, fuerit lauandum, habeant aliud quo intereà vti poſſint. Non enim vel nimiæ vel affectatæ ſordes Cartuſiano propoſito cōſentaneæ ſunt. Poſtremò, vt cùm hyemis rigor aduenerit, habeant ſatis, quò ſe operire queant. Indigent enim multis ad arcendam frigoris iniuriam, quippè qui ſint ieiunijs alijsq; oneribus exeſi, & in lecto duro, ſtramineo, algidoque ſoli iaceant. Denique (ne quid intactum relinquatur) cappam, & eam quidem nigram, interdum geſtant monachi Cartuſiani. In primis quidem ornamenti ſeu decoris gratia, ne videlicet ſine cappa ſuis terminis ſeu limitibus egreſſi, poſſint à ſecularibus, eos videre inſuetis, de nimia indumentorum vtilitate

Subtunicale. *Caligæ.*

Filem. taxari. Vt igitur nimiam ruſticitatem in propatulo vitent, cappam cum pileo gerunt. Deinde hoc idem efficiunt pro vitandis inuidorum iaculis, quibus eos faciliter inuadere poſſent, dicendo (qua ſunt temeritate) per multam cucullæ abiectionem palàm oſtentatam, Cartuſianos humanam gloriam aucupari velle: præſertim cùm cæteri religioſi ea, quæ abiecta ſunt, palàm oſtentare non ſoleant. Adhæc cappam gerunt, ſolitarios referant vetuſtiſſimos, qui pallium geſtaſſe leguntur: per hoc (puto) ſignificantes, *1. Pet. 4.* & diſcretione, & charitate, velut pallio quodã, multitudinem peccatorum operiendam eſſe. Debent enim vbique peccata, charitatis tegumento operiri. Debent & peculiariter ea, quæ imperfecta ſunt, coram fragilibus (præſertim ſecularibus) per diſcretionis virtutem tegi, ne ſcilicet religionis ſtatus vileſcat, aut aliquid proptereà detrimenti patiatur. Denique nigram cappam ferunt Cartuſiani, vt ipſo colore atro, qui mortificationem ſignat, prudenter intelligant, mortificationem in verbis, ſignis, & operibus potiſſimùm coram ipſis ſecularibus eſſe tenendam. Solent enim curioſiùs ea omnia, quæ à monachis (præſertim eis, qui raro prodeunt in publicum) vel dicuntur, vel efficiuntur, aduertere. Magna itaque cautio atque prouiſio adhibenda eſt, ne quid irreligioſum coram eis à monacho prodeat. Habendus igitur timor Dei ante oculos iugiter, qui mortificationem in omnibus faciat. Alioqui ſine confuſione ad ſua ſepta monachus non reuertetur. Verùm aliqui ſunt vſque adeò fronte perfricata, vt iſta prorſus non curent. Si enim curarent, illa tàm licenter non admitterent, quæ & ſibi

ſibi confuſionem, & religioni cõtemptum frequenter afferunt.

Sed iam de copia ſupellectilis ratio afferenda eſt, Cartuſiani ſiquidem non veſtimentorum tantùm copiam, ſed variam quoque ſupellectilem (non tamen immoderatam) habent ab Ordine, quòd fere ſemper ſoli comedant, quòd varijs etiam artibus (quæ inſtrumentorum copiam exigunt) dent operam, quòd etiam alicuius rei defectu timeant cellam exire coacti, qua ne faciliter egrediantur, tanta conceduntur vel ab ipſis ſtatutis, quibus hoc modo cautum eſt. Ideo vni tanta concedimus, ne (quod illicitum ducimus) de cella exire compellatur. Quibus animaduerſis, non eſt cur hæc ipſa vel rideas, vel reprehendas. Si enim in cella longiore tempore commoratus, tantam vitæ aſperitatem expertus fueris, proculdubiò videbis, multis cellicolam indigere. Videbis, inquam, inter tot anguſtias aliquid ſolaminis exhibendum eſſe, his præſertim, qui necdum perfectionis culmen attigerunt, quos rerum varietas oblectare ſolet. Nec inficiamur tamen, nimiam curam (ſuperfluam præſertim) à monachis vitandã eſſe. Turpe enim eſſet, profeſſione habituque ipſo paupertatem præ ſe ferre, & tamen immoderatam rerum copiam vel expetere, vel habere. Turpe, inquam, foret parua quandoque in ſæculo deſeruiſſe, & in deſerto ſuperflua cum nimia auiditate poſſidere.

Supellectilis copiam cur habeant Cartuſi.

16. ſecunda an. 12.

Nimiam ſuperfluitatẽ monachos vitandam.

CAPVT VI.

De victu Cartuſianorum generatim, peculiariter vero de vſu vini.

PETRVS.

SEd iam expeditis indumentis, ad victum Cartuſianum accedamus, primùm agentes de ipſo victu in genere, deinde peculiariter de vſu vini. In primis carnes nunquam, rarò piſces, frequentiùs oua comedunt Cartuſiani, idque in prandio duntaxat, quandoquidē ad cœnam herbas, vel fructus tantum accipiunt. Non enim eis tunc vel piſces, vel oua tribuntur. Porrò in Aduentu, Quinquageſima, ferijsq; ſextis omni tempore, ouis, caſeis alijſq; lacticinijs non vtuntur. Inſuper vnam in hebdomada faciunt abſtinentiam, hoc eſt, ieiunium in pane & aqua (quod fortiſſimum Hierony. apellat) niſi vel debilitas, vel infirmitas, vel ſenectus excuſet, aut alia cauſa, quæ priori rationabilis eſſe videatur. Taceo ieiunia, quæ ab exaltatione ſanctæ Crucis, vſq; ad Paſcha, ſunt eis cum veris Monachis communia. Adhæc vino puro non vtuntur. Aquaticum enim vinum ſuauiſſimum eſſe putant, quod quidem ab eis in prandio vel cœna duntaxat potatur. Non enim cùm ieiunāt, eis vinū conuentualiter veſperi propinatur. Denique ſoli in cellis, quod aſſiduum eſt refectionem ſumentes, arctiorem victum tenent, quàm in communi refectorio (quod diebus Dominicis, alijsque feſtis Capituli contingit) ſimul edentes. Tunc enim latiùs vberiùsque paſcuntur, quòd ſcilicet in huiuſmodi diebus grauiore labore afficiantur, ob maiorem officij diuini prolixitatem: quòd etiam diebus feſtis aliquid cibi lautioris paſſim à laicis Clericis religioſisque alijs accipi ſoleat: quòd inſuper heremiticum rigorem illis diebus remittentes cœnobiticam vitam agant, quæ mitiori victu vti ſolet: quòd

Abſtinentia eorum qualis.

quòd tota denique hebdomada vitæ aſperiori incumbentes, egeant vires inſtaurare, quæ ad futura onera validiùs ferenda ſufficiant. Non igitur citra optimas cauſas cibi tùm melioris, tùm plenioris quicquam diebus feſtis accipiunt. Quę ſi aduerterentur diligentiùs, non ita leuiter ad mordendam alienam vitam, linguæ nimium lubricæ laxarentur, quæ interdum pitantias ipſas, quas lambendo probauêre, poſtmodùm obloquendo reprobare non verentur. Sed cur ita? Nempè quòd linguaces huiuſmodi, carnibus alijsque id genûs adhuc turgidi, non poſſint, cùm apud nos ſunt, multũ capere ciborum, præſertim qui nec curioſè parati ſint, nec pretioſi: eam ob rem putant, quoſuis alios non plùs ſumere debere. Quæ ſanè carpendi leuitas, inconſiderataque temeritas olim pulchrè deluſa, repreſſaque fuiſſe dicitur. Enimuerò cùm Francorum Rex quidam, à ſuis aulicis neſcio qua vanitate, dicentibus, amplas nimiũ pitantias Cartuſianis miniſtrari, concitatus fuiſſet, proptereaque feciſſet querimoniam cuidam Cartuſiani Ordinis patri, & prudenter ille reſpõdiſſet, rem non ita ſe habere, aſſerens ſi rex ipſe periculum facere vellet, ieiunando paucos dies, cæteraque onera (quæ vnus habet Cartuſianus) ferendo, eum longè aliter putaturũ: Tandem placuit Regi periculum facere, ieiunare, cætera onera paruo tempore ferre. Cùm autem Dominico die Miſſa conuentualiter dicta fuiſſet, rabida fame confectus Rex ipſe, de Miſſa ad mẽſam eundum protinus eſſe putabat. At verò cùm Sextam anteà canendam dixiſſent fratres, graui moleſtia affici cœpit. Quid plura? Refectorium ingreſſus, omnia vorauit quæ appoſita fuerant, parua-

Paradigma de rege Francorum.

paruaque pitantia videbatur, cui nimiam eſſe paulò antè ſui perſuadere tentauerant. Quapropter ſuos purpuratos poſtmodùm allocutus, ſinite(inquit) ſinite Cartuſianos ſuas pitãtias edere. Sinite, inquã, carpere, quæ vacuis inteſtinis nequaquam ſuperflua eſſe, vel breui experientia ipſe probaui. Huic non diſſimile eſt, quòd à viro fideli nuper accepi. Scholaſtici quidam, fugiendæ peſtis gratia, quendam religioſum conuentum adeuntes, aliquando in refectorium introducti, curioſiùs edentes fratres intuebantur. Pingui enim ientaculo referti, prandere nõ poterant. Quod Prior animaduertens, poſtero die curauit, ne diſpenſator vſpiam toto matutino inueniretur. Volebat enim callidè, ſcholaſticos illos ieiunos in refectorio cum fratribus prandium ſumere. Cùm igitur non inuento diſpenſatore, refectionis hora veniſſet, ſcholaſtici illi rabida fame confecti, refectorium ingreſſi, omnia ſibi appoſita vorauerunt, ita attentè ac diligenter, vt ne vnus quidem ad intuendos fratres caput leuaret. Quo peracto Prior iocatus, ita inquit: Quid eſt, quòd heri faſtidiosè comedebatis, fratresq; intuebamini: hodiè verò omnia diligenter edentes, ne vnum quidem aſpexiſtis? Diſcite, inter plenum vacuumque ventrem, latum diſcrimen eſſe. Sed quid antiqua referimus, cùm videamus quotidiè, vel ſeculares ipſos vbi duos aut tres Quadrageſimæ dies ieiunauerint, magnos varioſque ciborum apparatus facere, & inteſtinis vtcunq; vacuis ſatisfacere cupientes, pro ſumenda refectione multum temporis, ciborumque abſumere? Quid, quæſo facerent, ſi longiſſimis ieiunijs, laboribuſque plurimis confecti forent? Neq; hæc diximus, quòd

vora-

voracitatem, craſſas portiones, lautaqué prandia (maximè in monachis, quorum vita iugis pęnitentia eſſe debet) ipſi laudemus, ſed vt monſtremus apertè, quàm inconſideratè, leuiterque multi obloquantur. Non enim nos latet, refectionis exceſſum quatuor bonorum generibus, ſcilicet animæ, corporis, famæ & fortunæ, plurimum obeſſe ſolère. Animæ primùm, quòd eius aciem hebetet, confundat memoriam, & grauis, turpiſque piaculi ream faciat. Deinde corporis bonis, quòd ſæpè ſomnum quietemque auferat, quòd craſſis vaporibus caput implens malè afficiat, quòd varios morbos gignat, graueſque dolores. Poſtmodùm famæ, quòd ſimiles ſint glutones Sodomitis, de quibus Ezechiæ.16. dicitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſaturitas panis*: ſimiles, inquam, ſunt canibus, qui neciunt ſatietatem: ſimiles demùm idololatris, qui de ventre ſuo Deum faciunt. Denique fortunæ bonis, quòd nummos exhauriat, pauperiemque interdum inducat. Quæ animaduertentes, cum peritis medicis tum animæ, tùm corporis ſatietatem valde deteſtamur, tantum abeſt, vt probemus. Deteſtamur & ciborum pretioſitatem, inſolentiam, curioſumque & ſtudioſum nimis apparatum, in quibus monachos nonnullos excedere grauiter dolemus. Alij etenim pretioſa expetunt, quibus vilia ſtercora conficiant. Alij rara quærunt & inſolita, quę vix in vrbibus inueniri poſſunt. Alij demùm (vt verbis Hugonis vtar) ſuperſtitioſi nimis, in præparandis cibis ſtudium adhibent, infinita decoctionum, frixurarum, & condimentorum genera excogitantes, modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida, modò cocta aqua, modò aſſa,

Gula quæ mala pariat.

Ezec.16.
Phil. 3.

Delicati monachi taxantur.

modò pipere, modò allio, modò cumino, modò ſale condita, ſecundùm conſuetudinem prægnantium deſiderantes. Quam ſuperfluam curioſitatem Bernardus quoque pulchrè taxauit, cùm inquit: Quis dicere ſufficiat (vt cætera taceam) quot modis oua ſola verſantur, & vexantur, quanto ſtudio euertũtur, ſubuertuntur, liquantur, durantur? Et nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farſa, nunc mixtim, nunc ſigillatim apponuntur. Ad quid autem hęc omnia, niſi vt ſoli faſtidio conſulatur? Sed de ijs iam ſatis. Verùm quæras, cùm non valeant ęqualiter omnes, cur æquas portiones cibi & potus, ſinguli capiant Cartuſiani. Nempè, vt qui tanto cibo indigent, poſſint ſine rubore, quod ſibi opus eſt, accipere. Deindè, vt aliquid ex aliorũ, non ita valentiũ pitantijs, maneat reſidui, quod familiæ pauperibusque tribuatur. Denique, vt, omnis murmurationis (quæ ex inæqualitate faciliter prodire ſolet) arceatur occaſio. Cæterùm cur vino vtantur Cartuſiani, iam ratio reddenda eſt. In primis quidem ſacris in literis animaduerterunt, vinum reprobatum non eſſe. Nam & regius vates. *Vinum lætificat cor hominis*, totus lætabundus cecinit. Cuius lætitiæ participes effici cupientes Cartuſiani, Bacchico poculo vti decreuerunt, præſertim quòd inter multas aſperioris vitæ anguſtias, nulla alia penè habeant, quæ poſſint eos lætitia afficere. Deinde vinum ab Apoſtolo conceſſum legerunt, qui Timothæo diſcipulo inter cætera ſcribens, ait: *Medico vino vtere.* Quòd tantus Apoſtolus non feciſſet, ſi viris, etiam perfectis, vini vſus minimè opportunus eſſet. Cùm igitur multi Cartuſianorum infirmo ſeu

Bernardus. *Pſal. 103.* *1. Tim. 5.*

debili

debili ſint corpore, non abs re ſenſerunt. Apoſtoli doctrinam ſecuti, moderato vino vtendum. Inſuper perfectos monachos, monachorum Princeps Benedictus reddere, probatamq́; regulam inſtituere geſtiens, monachis vini poculum conceſſit, menſurā declarans, quæ ſobriè victitanti ſufficere poſſit. At verò quis vnq̄ putârit, eum vini vſum monachis fuiſſe conceſſurum, niſi prudens ipſe animaduertiſſet, huius temporis homines admodum fragiles, non poſſe ſine vini potu monaſticum rigorem tolerare? Porrò Cartuſiani ipſi cogitantes, carnem aheneam ſe nōn habere, verùm debile corpus humanum inprimis eſſe, noluerunt omnia ſibi denegare, quæ nonnihil voluptatis licitè pariunt, ſed quædam retinere prudenter voluerunt, quæ corpus ipſum ſatis calefacere ac fouere poſſent. At verò cum carnibus valedixiſſent, reliquum erat vinum retinere. Quod ſi penitùs abiectū fuiſſet, nec corpus ſatis foueri nec tam grandia onera ferri profectò potuiſſent cū alia penè omnia quibus vtuntur & aſpera ſint & frigida. Adhæc ſatis exploratum eſt, continuam ſolitudinem plurimùm ſuaptè natura moleſtiarum afferre, multumque triſtis melancholiæ gignere ſolere: quibus incommodis non pótuerunt faciliùs ac honeſtiùs, quàm vini vſu conſulere. Non enim alia faciliter ſuppetunt quibus melancholicis incōmodis obuietur. Cùm enim partim ſolitudinis ipſius iugitate, partim qualitate ciborum, quorum aſsiduus vſus eſt, ſpiritalibus exercitijs melancholia ipſa ſoleat augeri, quæ quidē aucta, nimium aliquoties furit, graſſaturque ſupra modum, nonnunquam obtundit ingenium quandoque ſpiritus obfuſ-

D. Benedictus.

obſuſcat, puſillanimitatem triſtitiamq́; gignit, & demùm animum terrore, tædio, ſtuporeque afficit: putauêrunt pro eiuſmodi detrimentis vitandis, vini vſum ſibi neceſſarium eſſe. Aptè enim vino melancholicus humor temperatur ac molitur, non ſecus ac ferrum igni aquaq́; lupini. Poſtmodum ſatis compertum eſt, Cartuſianos iuuamẽtis illis, quæ ad concoquendas frigidiores, humidioreſq́; epulas (quibus ſolent vti) & ad vehendos duriores cibos ad præcordia, conducunt, plurimum indigere. Enimverò ſæpius vſu venit, vt aſſidua mentis agitatione, & è diuerſo iugi membrorum otio, nec digeſtio plerè fieri, nec ſuperflua excerni, nec demùm craſſi fuſcique vapores exhalari queant, niſi forſan antidoti quicquam adhibeatur, quod naturæ debili mirificè opituletur. Quamobrem non ineptè vino vti conſtituerunt, quod ſcilicet digeſtionem iuuet, citò penetret, & cibos quoque, quibus miſcetur, penetrare faciat. Nôrunt enim, defectu digeſtionis mala plurima, & quidem grauia, prouenire ſolere. Siquidem cruditas ipſa naturalem humorem, quod vitæ papulum eſt, arefacit, natiuum obruit calorem, ſanguinem corrumpit, noxium humorem generat, varios morbos parit, & vitam denique reſolutione ſimul & ſuffocatione perdit. E regione verò tam apta vitæ eſt digeſtio, vt vitæ ipſius radix ab Auicenna vocetur. Eſt quoque adeò neceſſaria, vt (pro Galeni ſententia) ſit præ cæteris vbique curanda. Enimuerò quod maximum videtur præceptum, ſalubribus videlicet vti, nihil proderit, niſi ritè fiat ciborum concoctio. Itaque mala omnia, quæ cruditatem afferre diximus, arcere cupientes Cartuſiani, vini

pocu-

poculum, vtpotè neceſſarium, retinere curauerunt. Denique & multas vinum, præſertim dilutum, virtutes habere, & adiumenta alia bonæ habitudini conducentia ſibi deeſſe conſiderantes Cartuſiani, non temerè vini vſum, vtpotè ſibi aptum, vtilem, neceſſariumq́ue reſeruârunt, nec tanto antidoto ſeipſos viduare prorſus voluerunt. Vinum etenim, præſertim bonum, virtutem, ſpiritum, caloremq́ue naturalem recreat, ac confortat, ſubtiles claroſq́ue ſpiritus parit, reſolutos abundè reparat, velociter nutrit, purũ alimentum præbet, facilem ciborum efficit penetrationem, ingenium acuit, totum corpus calefacit, digeſtioni mirificè prodeſt, digerit humores, flegmata reſoluit, eaq́ue expulſationi opportuna facit, compeſcit iram, gaudium parit, melancholiam temperat, eamq́ue interdum foras propellit. Denique hominem & mente, & corpore virilem reddit, vsq; adeò medicus quidam dixerit, eos qui vinum nunquã bibunt, in comparatione eorũ qui Baccho vtũtur, effœminatos eſſe. Taceo ꝙ vinum delectũ theriacis eſſe ſimilem, Iſaac medicus aſtruit. Taceo quòd Arnoldus philoſophus ait, vinum omnẽ ſuſcipere virtutem rerum earũ, quæ (vt ita dixerim) euirtuantur in eo. Taceo denique quod vino ſolo cum apta ligatura, alius quidã medicus vulneribus omnibus opẽ ferebat. Sed hæc medicis ipſis relinquentes, tandem omnibus diligenter animaduerſis, conficiamus non eſſe magnopere mirandum, ſi cartuſiani vino vti conſtituerunt. Nec ſtupendum quoque, ſi præſtantes Theologi, qui circa res altiſſimas, atque difficillimas verſantur, bonum vinum amare dicantur. Huiuſmodi enim arduarum rerum cõtemplatione veho-

Vini virtutes.

vehementi, ſpiritus melancholicus efficitur, qui niſi nectaris apti virtute temperetur, ad res huiuſmodi perueſtigandas ineptus erit. Magis verò admirandum eſt penè omnes, quò ad boni vini delectionẽ, ſimul & dilectionem, Theologos eſſe. Amant enim omnes optimum vinũ: de illo nunc loquor, quod ſuum autorem inebriaſſe nudaſſeq; dicitur, non de illo Theologico ſpiritaliq; vino, quod lætificat Deum & homines, hoc eſt, ſacrę Scripturæ intelligentia, quã (prô dolor) pauci admodum haurire cupiunt. Sed dicas, & venerem concitari, & alia quoque delicta permulta vini vſu prouenire ſolere: quapropter debuêre ab eo Cartuſiani prorſus abſtinere, ſi remotiores à periculis eſſe volebãt. Fatemur, immoderatum exceſſiuumq; vini poculũ, multa & mentis, & corporis incõmoda frequenter afferre. Siquidem multus vini vſus mentem ſeducit, hominem beſtiam reddit, diuinas laudes impedit, ingenij aciem hebetat, conturbat memoriam, caput humoribus peſſimiſq; fumis implet, bella ſuſcitat, parat gladios, diſcraſiam in toto corpore gignit, contentiones prouocat, diſſipat amicitiam, linguam effrenatè laxat, omnia per talenta loqui facit, pandit ſecreta, ineptam lætitiam parit, omnia audenter attentat, venerem concitat, maculat vitam, mores corrumpit, apoſtatare facit ſapientes, inſanos interdum efficit. Denique quantum moderatus prodeſt vſus eius, tantum vel plùs nocet abuſus. Qua in re operæpretium non eſt, vel diuinarum, vel ſocularium literarum teſtimonia proferre, cùm experientia ipſa quotidiana ſatis hæc ipſa comprobet. Ne igitur in aliquod huiuſmodi detrimentorum inciderent Cartuſiani, ſanxerunt, & vi-

Gen. 9. *Iudic. 9.* *Immoderatus vini vſus.* *14. ſecũda an. 15.*

& vinum limphandum, & cum menſura bibendum eſſe. Non enim puro vtuntur. Sed iam receptui canendum videtur, præſertim cùm ratiunculæ principio adductæ, ſatis iam ex his, quæ dicta ſunt, diſſolutionem acceperint. Tu verò, ſi quid habes, potis es iam promere tutè.

CAPVT VII.

De perpetua à carnibus abſtinentia, quæ multis argumentationum machinis hic oppugnatur.

OBLOCVTOR.

EXpectaui iam ſatis, tacitusque audiui te multa de Cartuſiano victu proloquêtem. Quo ſanè tempore patiêter linguam cohibui, quòd putabam, de illa carnium abſtinentia (quam vos Cartuſiani perpetuam obſeruatis) quicquam in medium te allaturum. Verùm ipſe vel tandē callido eam ſilentio præterire te velle ſentiens (noſti enim magnā Ordini tuo notam propterea inuri) de illa verba facere, remque ipſam diffuſiùs tangere decreuit. In primis (vt à fundamento exordiar) vos Cartuſiani ſolenne votum de nunquam edendis carnibus facientes, inſtar Iephte eſtis & indiſcreti vouendo, & impij crudelesque obſeruando. Siquidem votum de nunquam edendis carnibus tùm priuatum, tùm publicum, rectæ rationi aduerſum eſt. Nam pro Caſſiani ſententia: In exercitijs corporalibus nihil eſt immobiliter definiendum, nihilque abſolutè vouendum, aut pollicendum in rebus huiuſmodi, quod maiori bono impedimenta paret, ſeu tranſitum ad alia liberum vetet. Huiuſmodi quoque voti obſeruatio crude-

Iudic. 11.

Caßianus. Collat. 17.

crudelis eſt, quippè quæ ſuos cultores perimat.
Benè quidem huius profeſſionis contemplatio-
ne, vos Cartuſiani, & vobis ipſis, & fratribus ve-
ſtris carnes vel in extrema neceſſitate denegatis.
Quod non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret
44. *Prin.* Oreſtes. Fortè quiſpiam veſtrum dixerit, nulla
par. an. 4. voti obligatione, ſed duntaxat ſtatutorum in-
4. *ſecūdæ* ſtitutione, ad non eſum carnium vos obſtrictos
no. 32. eſſe. Verùm hoc non ſatis eſt ab inſipientia in-
23. *ſecūdæ* humanitateque vos cum ſtatutorum veſtrorum
an. 40. cenſura vindicare. Etenim lex omnis humana,
quæ neceſſitatis extremæ caſum includit, in eo-
que aſtringere intendit (quod de inſtitutione
huiuſmodi paſſim fertur) & iniqua eſt, & à cla-
riſſimis viris penitùs reprobata, quorum præte-
reà nonnulli ſtatum veſtrum periculoſum, no-
xium crudelemque eſſe, ſuis in ſcriptis aſſeruê-
runt. Nec iniuria quidem. Etenim huiuſmodi
conſtitutionis temeritas, tùm Dei, tùm proxi-
morum charitati funditus diſſentit. Dei quidem
Rom. 12. prohibentis non tantùm homicidium, ſed &
obſequium rationi diſſonum: iubentiſque om-
nibus in extremo rerum diſcrimine conſtitutis,
opem ferri, pro viribuſque prouideri: Proximi
Gregorius quoque, quoniam probatio charitatis, exhibitio
eſt operis. Cum igitur fratribus veſtris nihil ad-
iumenti, neceſſarij etiam in extrema neceſſitate
exhibeatis, conficitur luculenter, fraternam
viuificamque charitatem vobis non ineſſe, cùm
1. *Ioan.* 3. dicat D. Ioannes, in eo, qui habuerit ſubſtantiã
huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe
habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, nullo mo-
do charitatem Dei manere. At verò (vt idem
Ibidem. ait) *qui non diligit, manet in morte.* Itaque ſpirita-
liter mortui eſtis vos, qui carnes veſtris fratri-
bus

busin huiuſmodi neceſſitatis articulo denegatis. Sed quid vos ſpiritu mortuos ſimpliciter dixi, cùm homicidas, inhumanoſque potiùs appellare debuerim. Homicidas quidem, quod fratres veſtros (quibus nihil aliud præter carnes in eo caſu conducere poteſt) occiditis, carnes abnegando: cum dicat Ambroſius: Paſce fame morientem, ſi non pauiſti, occidiſti. Inhumanos quoque, humanitatiſque prorſus oblitos, quippè qui plures facitis aſinum aut bouem, quam fratrẽ. Enimuerò boui atque aſino cibus aptus datur à vobis, prouideturque diligentius, ne fame extabeſcat. Cur non etiam pereunti fratri cibus datur opportunus, qui eum ab interitu vindicare poſſit? Itaque audiendi non eſtis, ſi forſan dicitis, non odij, ſed charitatis contemplatione vos hæc facere, Quod enim maius odij argumentum (ſaltem quo ad effectum, vt de affectu taceatur) eſſe poteſt, quam fratribus extremè indigentibus ea, quibus opus eſt, denegare? Quibus animaduerſis, ad legem huiuſmodi ferendam, nulla prudentia, nullaque vera charitas, ſed zeli nimium feruidi, charitatiſque ſophiſticæ erroneus impulſus concitauit. A quo nimirum, ſi ſapitis, potiùs cauendum reſiliendumque, quam ei temerè incumbendum vobis eſt. Forſan dixeris, præfatam inſtitutionem nec includere, nec ſpeciatim ſecludere neceſſitatis extremæ detrimentum, ſed generatim editam fuiſſe. Hoc non ſatis eſt dixiſſe. Vt enim in bonis, quantò aliquod eorum communius, tanto melius, atq; diuinius: ita & in malis, quò generalius, eò peius eſſe putatur. Itaque cùm ſtatutum (de quo nobis ſermo) vniuerſaliter ſit effectum, nó poteſt ab erroris iniuria defendi, *Ambroſ.*

ſendi, quod & alio modo probari poteſt luculentiùs. Etenim cùm non valeant æqualiter omnes, qui religionis iugum ſubeunt (quippè qui ſint plerumque diuerſarum complexionum, appetituum, virium, ætatum, eamq; ob rem non poſſint ſemper eiſdem foueri alimentis, verùm quoſdam indigere quibuſdam, quibus nihil cæteris opus ſit) dubio procul lex ipſa non poteſt æqua cenſeri, quæ citra omnem exceptionem tam varijs hominũ generibus vniuerſaliter lata eſt. Quod ſi contenderis, eam ipſam generalium conſtitutionũ inſtar, cum ſecluſione neceſſitatis extremæ capiundam eſſe: nihil proficies. Cùm enim per cõſtitutiones ipſas, nulla ex cauſa permittatur carnium eſus, ſatis in eis extremæ neceſſitatis caſus includitur. Nõ poteſt igitur cum eius ſecluſione accipi. Deinde in multis vel extra neceſſitatem extremam caſibus, non poteſt huiuſmodi conſtitutionis cenſura ſatis æqua videri. Etenim ſi nimia in obſeruatione difficultas adſit, ſi debilitas ingens grauiter premat ſi vitæ propterea inducatur abbreuiatio, ſi bonis operibus graue detrimentum patiatur, ſi denique mẽtis (quod contingere poteſt) noceatur puritati: haud dubiè non erit obſeruanda huiuſmodi conſtitutio, præſertim cùm per humanam legem, nec vitæ, nec viribus, nec virtutibus nocumentum aliquod graue afferri debeat. Deinde cum viri non pueriles, ſed docti, prudentes, boni, qui potiſſimum ſuæ complexionis conditionem prorſus compertam habent, non ſint puerorum more ſub Pædagogo cohibendi, non ſint, inquam, ſuarum virium vſu ac libertate viduandi, non ſint demùm priuandi debito iuuamine vitæ, quod per carnes habere poſ-
ſet

ſet(deuotio enim, ſicut & virtus, ſupponit,perficitq; naturam, non autem deſtruit)palam eſt, præfatam conſtitutionem, quæ viros huiuſmodi ita cohibet, tollit libertatem, vitæ antidota propulſat, & denique valetudinem impedit,rationi conſentaneam non eſſe. Deniq; ſi lex ederetur, qua vir innoxius pollicem, vel digitum alium ſibi abſcindere deberet, improba crederetur: igitur lex ipſa de nunquam edendis carnibus,iniqua planè, imò & longè iniquior cenſenda eſt,cùm per eam maius detrimentum vitę inferatur. Siquidē plus nocet humanæ vitæ perpetuus non eſus carnium, quam pollitis aut digiti alterius amputatio, cùm eſus carnium conducat bonæ totius corporis habitudini, digitus verò pulchritudini. Cæterùm demus vos Cartuſianos de nunquam edendis carnibus nihil habere voti, nihilque erroris in huiuſmodi legibus veſtris (ſi certè fauentem ſortiantur cenſorem) contineri: illam tamen conſuetudinariam,perpetuamque à carnium eſu abſtinentiā, quam Ordo veſter annexam habet, tueri non valetis. Sic enim huiuſcemodi obſeruantiæ atque conſuetudini ſemper inhæſerunt Patres veſtri, vt nulla vnquam cauſa poterit eis carnium eſus perſuaderi. Sed nec vobis quidem poteſt, quippè qui paternis traditionibus ſic eſtis addicti,vt nec in ſanitate, nec in languore, nec demùm quouis alio in caſu, vllo eam pacto laxandam puteris. Et primum quidem mihi huiuſmodi pertinaciam in ſtatu ſanitatis peculiariter reprobare volenti, certum eſt probare, pro ſanitate ſeruanda, vitaque prolonganda, & demùm pro vitandis incommodis ac detrimentis, permultis carnibus opus eſſe. Vt enim

alijs hominibus, ita & Cartuſianis non ſemper ijdem cibi conueniunt, quod partim ætatum, partim complexionum diſpoſitionumque variarum, partim denique nutrimentorum (præſertim aſſuetorum) cauſa, contingere poteſt. Variæ in primis ætates varios cibos flagitãt. Siquidem maternum lac infantulis prodeſt, quod adultis nec ſuaue, nec ſufficiens eſſet, quibus ſcilicet vinum ſolituſque cibus magis conferre putatur. Deinde complectiones diſpoſitioneſque diuerſæ, diuerſis quoque oblectantur alimentis. Etenim cernere eſt, homines vel eodem ſanguine cretos, in eademque domo enutritos, ob cõplexionũ aliarũmve diſpoſitionum diſſidentiã, non ſolum varijs delectari fomentis, ſed etiam indigere. Cùm igitur inter Cartuſianos aliqui valeant inueniri, quibus vel propter complexionem, vel diſcraſiam aliquam, oua nullo modo prodeſſe queant, imo vitæ naturali aut appetitui prorſus aduerſentur: operæpretium erit, & pro ſanitate conſeruanda, & vita prorogan-da, eos carnibus veſci. Adde, inter eos, qui Cartuſianum iugum recenter ſuſceperunt, nonnullos offendi poſſe, qui dilicatis parentibus geniti; delicato quoque ſunt corpore quique ob peculiarem quandam diſpoſitionem, aut certè quòd lautioribus (inſtar parentum) epulis ſint aſſueti, principio non poſſunt ab eſu carnium ſine grandi periculo vel languoris, vel mortis temperare. Eſt enim conſuetudo altera natura, quam deſtituere, tam ingentis molis eſt, vt citra periculum grande nequeat interdum deſeri. At verò ſi huiuſmodi tironibus carnes (præſertim cùm in morbum incidunt) tribuerentur: nihil tale eis timendum eſſet, qui & paula-

De delicatis nouitijs.

tim

tim priſtinam conſuetudinem abijcientes, tandem à carnibus ſine diſcrimine facilius, abſtinerent. Nunquid ab acie dominica huiuſmodi Neoptolemos propterea reijcies? Nunquid ad ſecularem vitam cùm multo animarum detrimento, propter tuas vel traditiones, vel conſtitutiones remittes? Quod ſi te facturum dixeris, vide quam obſtinato ſis animo, quamque parui facias mentes humanas, quas ſuo cruore Chriſtus ipſe mercatus eſt. Adhæc, cùm vita ipſa ſit amanda, curanda, ſeruandaque quam longiſſimo fieri tempore poteſt, quo ſcilicet vberiùs noſcantur, quæ ſaluti ſunt vel noxia, vel opporna, noſcantur virtutes, augeantur merita, vitæ perfectio vel tandem habeatur & demum cæteris (non enim authore Platone, nobis ſolis nati ſumus) tùm mentis, tùm corporis tribuantur adiumenta: palam eſt, ea quæ tantis ſunt bonis impedimento, prorſus releganda eſſe: quæ verò adiumento, amplectenda. At verò diutina vita præcipuum eſt antidotum ad bona, quæ diximus aſſequenda. Eſt igitur totis pro viribus, vt benè habeat, curanda, atque vt diutina ſit prorſus fouenda. Hoc autem cum perpetua à carnibus abſtinentia impediat, carnium verò eſus tribuat: ſequens eſt, Cartuſianos ipſos, abſtinentia huiuſmodi neglecta, carnibus interdum vti debere. Enimuerò per moderatum carnium eſum poſſent ipſi diutiùs victitare, qui carnium defectu celerius moriuntur. Carnes enim cor ipſum lætificãt, eamq; ob rem confortãt ac roborãt vitalem virtutẽ. Carnes quoq; à ſacris literis cõceſſæ ſunt, pro iuuanda naturæ debilitate, quæ poſt diluuium maior eſſe creditur. Carnes demùm nec vitæ naturali (cui detrimentum, *Plato.*

etiam afferri non debet)nec deuotioni, nec mẽtis puritati, vllum ſuaptè natura nocumentum afferunt. Verùm à piritis medicis(quorum eſt de bona corporis valetudine vitæque longitudine diſſerere) commendatur non vulgariter. Cur ergò non vtuntur eis tui Cartuſiani qui cæterorum hominum inſtar antidotum ſibi naturale ſumere debent, maximè cum dicat Apoſto.
1.Tim.4. nihil eſſe reſpuendum, quod cùm gratiarum actione percipitur; cùm etiam Bacchico poculo (quod veteris aculeos ſolet vehementiùs concitare) tam licenter vtantur? Profectò trepidant timore, vbi nihil timendum eſt. Denique pro vitandis quandoque detrimentis, opus eſt, huiuſmodi abſtinentiæ rigorem interdum laxare, vtpotè pro cauendo proximorum ſcandalo. Enimuerò ſcandalizantur propterea docti pariter & indocti. Docti quidem, quòd videant, cum nimia pertinatia huiuſmodi abſtinentiam iugiter obſeruari, eamque ob rem in Cathedris, ſcholis, cameris, libris ſeu opuſculis, & conuiuijs plurimùm vellicant Ordinem Cartuſianũ, aſſerentes, inhumanũ eum periculoſumque eſſe Indocti quoq; huiuſcemodi abſtinẽtiæ exemplo falſi, nonnunquam concitantur ad ea factitanda, quæ non decent, putantes enim ſine huiuſmodi vitæ rigore, nec poſſe vitia dilui, nec inſtaurari virtutes, nec demùm perpetuam haberi ſalutem, ad grauia onera (ſuis etiam viribus imparia)nonnunquã votis, aut alijs ſe vinculis aſtringunt. Itidẽ pro vitaudis proprijs incõmodis, & negotijs, tam ſuis, quàm alienis, vtiliùs curandis, neceſſe eſt aliquando Cartuſianos carnibus vti, vtpotè, ſi pro ſua vel fratrum neceſſitate, cui aliter conſuli non poteſt, habeant
longum

longum, difficile, aſperumq́ue iter agere, vel alterius admodum laborioſi neceſſarijq́ue operis quicquam efficere, ad quod etiam neceſſariò impellit aliquoties obedientia, ſeu maiorum authoritas: his in caſibus non poterunt citra periculum nimiæ debilitationis, vel morbi alicuius grauis, facere quod incũbit, niſi virtus motiua confortetur cumulatiſſimè. At verò pro tui Arnoldi ſententia, ad confortationem virtutis motiuæ plus proſunt cibaria groſſa, quæ dèſum, tenacem, ſeu glutinoſum ſanguinem gignunt. Hic enim membra facit robuſtiora, & ad motum actionemq́ue laborioſam aptiora. Cùm igitur carnes (vt etiam fatetur Arnoldus ipſe) plus cæteris ſanguinem huiuſmodi generent: conſequens eſt, eas Cartuſianis vel ſanis, interdum neceſſarias eſſe. Iam verò poſt ſtatum ſanitatis ad caſum languoris accedendum eſt, vbi oſtendere quadrifariam certum eſt, carnes interdum languidis neceſſarias eſſe. In primis languoris ipſius conditione contingere poteſt huiuſmodi neceſſitas. Etenim morbi vel qualitas, vel acerbitas poteſt ad eum ſtatum languentem deducere, vt ſine carnium eſu non poſſit mortis periculum euadere. Inficiaberis fortaſſe cum Arnoldo de Villa noua tui Ordinis defenſore, nullum eſſe morbum, quin ſine carnium eſu ſanari poſſit, cùm in quouis morbo humana arte curabili, ſatis alio pacto queat vitalis virtus humidumq́ue radicale inſtaurari. Verùm hoc eſt euadere, non ſatisfacere, quod ſequentia declarabunt. Deinde, ex parte languidi hoc ipſum accidere poteſt, vtpotè ſi ob ſuæ complexionis, appetituſve qualitatem prorſus faſtidiat, imò verò vſque adeò cibum omnem

Arnoldus de Villa noua Ordinis Cartuſ. defenſor.

ſibi aptum (præter carnes, aut ius earum) abhorreat, vt nihil aliud in ſtomacho retentare queat. Adde, ſi languidus calidioris ſit complexionis, & feruenti morbo tempore calido laboret, non poterit tutè oua ſumere, quippè quæ propter calorem natiuum plus ei tum nocerent, quàm prodeſſent. Denique, ſi ſua quoque ſibi conſcientia dictet, morbum illum ſine carnium eſu nulla ratione curari poſſe. His enim in caſibus (quorum primus ad corpus, vltimus ad animum ſpectat) aliud nihil ſatius efficere poterit, quàm carnes edendo, & vitæ, & conſcientiæ conſulere ſecuritati. Inſuper hoc ipſum euenire poteſt eorum occaſione, qui languidum curant. Poſſunt enim vel conſcientiæ ſtimulo impulſi, vel aliena opinione ſuaſi, penitùs arbitrari, carnium eſũ ipſi languido neceſſarium eſſe: eaque de re ad carnes edendas eum impellere, quippè qui nulla ratione velint aliquid alterius obſonij, cibiq; tribuere. Nec proderit quicquam, ſi dixeris, huiuſmodi conſcientiam (vtpotè erroneam) deponendam eſſe, quandoquidẽ ſi adſint periti medici, qui non tantùm vrinæ, ſed ipſius quoque languentis inſpectione, palpatione, diligentiq; omnium quæ exiguntur obſeruatione, concorditer cenſeant conficiantque, languidum ipſum proculdubiò rebus humanis exceſſurum, ſi carnes non ederit: tunc ſaltem nec languentis, nec alterius cuiuſquam conſcientia aut erronea dicenda, aut abijcienda erit, ſed potiùs ſectanda, amplexandaque medicorum ſententia: cùm pro communi omniũ aſſenſu, expertis ſit tribuenda fides. Denique ad carnes edendas poteſt impellere languentem Cartuſianum, alterius remedij ſatis opportuni defectus. Etenim multis morbis, multiſ-

multiſque languentibus, nihil præter carnes ſatis eſſe poteſt, quod ſanitatem reparet, languidumque ſufficienter nutriat atq; ſuſtentet. Forſan & tuum Arnoldum ſectatus, hoc ipſum quoque negabis: aſſerens ea, quæ dicta ſunt, æquè aptè, vel aptiùs atq; ſecuriùs per ouorum, quàm carnium eſum fieri poſſe: cùm ad cõfortandam, reparandamq; virtutem vitalẽ ob alimenti penuriam tabeſcentẽ, aptius ſit alimentum, quod copioſè, velociterq; virtutem ipſam inſtaurat, & in multum purumque ſanguinem celeri digeſtione conuertitur, cuiuſmodi ſunt apta vina, ouaque ſorbilia. Ipſis autem carnibus, ſicut & cæteris rebus, non ita conuenit celeriter, ac in multum, purumque ſanguinem verti. Tametſi reſponſio hæc prima fronte pulchra, veraq; videtur, falſam tamen eſſe oſtẽdamus: probantes, carnes ipſas celeriùs, vberiùs, puriùs, ideoq; laudabiliùs vires ipſas inſtaurare. Primùm quidem, quòd celeriùs: quoniam in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. At verò carnes cum carnibus, plus quàm oua, ſymbolizant. Deinde quòd abundantiùs ſeu copioſiùs: quoniam ex animali fit, generaturque animal. Itaque ex animalium carnibus pleniùs poterit animal cõfortari, quàm per oua, quæ ſemen ſunt animalis. Poſtremò quòd puriùs atque laudabilius: quia carnes ipſæ maiorem habent ſimilitudinẽ cum carne & ſanguine, quàm oua, quæ ad carnis vel ſanguinis perfectionẽ ac virtutem necdum attigerũt: quamobrẽ videtur purior caro, puriorque ſanguis ex eſu carnium, quàm ouorum prodire poſſe. Quòd ſi omnia hæc carnes ipſæ non præſtarent, ſed pro tua reſponſione meliùs oua facerent: nõ propterea ſunt oua vel carnibus vel

vel cæteris rebus anteferenda. Quandoquidem non ſemper in languentibus velociori digeſtione ſeu conuerſione opus eſt. Verùm alia contingere poſſunt, quibus magis prouidendum eſt. Nec etiam ſemper eget languidus vberioris ſanguinis generatione. Sed & cùm aſſiduus ouorũ eſus poſſit interdum plus ſanguinis, minus verò neruorum aliorumque id genus, quàm par eſſet, generare, aliquoties erit ab ouis temperandum. Nec denique ſemper opus eſt illa ſubtilitate nutrimenti. Siquidem poteſt languens ipſe groſſiori fomento indigere, quàm ouorum, quo in caſu non ſatis erit illa nutrimenti ſubtilitas, quã efficiunt oua. Sed tribuamus tibi Arnoldoque tuo, oua celeriꝰ, vberiùs, puriꝰ ac ſubtiliùs, ideoque laudabilius, quæ dicta ſunt, efficere ſolere: non tamen dabimus, ea vniuerſaliter, ſemperq; ſuaptè natura ſatis eſſe in omni morbo, omniq; languente. Etenim quandoq; carnibus opus eſt ad pellendum languorem, interdum ad recuperandã ſanitatem, nonnunquã demùm ad cõfortandum, nutriendũ, fouendumq; languidum. In primis ad pellendã morbi furiã carnibus aliquãdo opus eſſe, facile eſt probare. Etenim quæuis res naturalis ſiue ſpecies, peculiarem virtutẽ ſibi datam diuinitùs habere putatur, qua malo ſeu morbo cuipiam ſpeciali obſiſtere poſſit. Itaque cùm peculiaris morbus peculiarem flagitet medicinam, dabilis erit morbus aliquis, contra quem (vt quorũdam verbis vtar) à tota proprietate operari poterũt certa genera carnium: hoc eſt, quæ per ſuam virtutem ſibi duntaxat conuenientem, ſolæ poterunt vel morbum ipſum pellere, vel furiam eius mitigare. Non enim veriſimile eſt, quin virtus aliqua medicinalis,

& ea

& ea quidem peculiaris, quibuſdam carniũ generibus adſit, quæ morbo alicui ſpeciatim valeat opitulari. Deinde ad inſtaurandam ſanitatem carnes eſſe neceſſarias, eodem fermè probationis genere confici poteſt, quandoquidem ſi fortè nequeant carnes ſuaptè natura morbi ſuperare furorem, eo tamen per virtutem naturalem, vel ſolam, vel opę medicinali adiutam, debilitato, erunt interdum carnes ad ſanitatem in priſtinum gradum reſtituendam neceſſariæ: cùm habeat vnaquæque ſpecies eorum, quæ ſanitatis inſtaurationi aptiora creduntur, propriá virtutem, quæ cæteris impertita non eſt. Itaque poterit in morbi declinatione languens ita affectus eſſe, vt ſola carnium virtute atque humore, ſanitatem aſſequi poſſit. Denique ſubnectamus, quod probandum ſuſceperamus, ſcilicet carnes aliquando neceſſarias eſſe ad languidum confortandum, nutriendum, fouendum. Siquidem humana corda, aliaque vitæ principia varia ſunt, quæ idcirco varijs egent alimentis atque fomentis. At verò oua vnigeneæ ſunt virtutis: quam ob rem generatim non ſufficiũt, ſicut nec gallinæ, ex qua prodierunt. Inſuper varius carnium eſus magis oblectat, minus alterat, minuſque trahit corpus humanum ad extraneam humorum diſpoſitionem, quàm aſſiduus ouorum vſus, quæ ſua iugitate facilè poteſt (præſertim in languentibus) appetitum proſternere: quod pro viribus cauendum eſt, potiſſimùm quando ſanitas incipit reuerti. Itaque carnes ipſæ, quæ huiuſmodi detrimenta non faciunt, potiùs eligendæ ſunt. Porrò videre eſt, medicos ſuis patientibus carnes potiùs, quàm oua tribuere ſolere: animaduertentes

ſcili-

ſcilicet, carnes ipſas & in ſubſtantia, & virtute reparatiua, confortatiua, nutritiuaque ſimiliores, conformiores, ac viciniores humano cordi, atque ſanguini eſſe, quàm oua: eamq́ue ob rem aptiores, imò & interdum ſic neceſſarias, vt ſine eis nõ poſſit alma ſalus recuperari. Quòd ſi forſan poſſit, non tamen ita aptè ac celeriter, ſed lentè admodùm & ægrè, diutinoq́ue tempore, quo bona multa, quæ omittuntur, fieri poſſent. Ad hæc, multos ſeculares inuenire eſt, qui abſq; carnium eſu nõ poſſunt reparare valetudinem: cur quæſo idipſum Cartuſianis vſu venire non poterit? vtpotè qui ſint eiuſdẽ ſortis in hac parte, imò verò propter diuturnam abſtinentiam videntur carnes ipſas naturaliter, magis quàm ſeculares, eſurire, quibus carnium eſus propter aſſiduitatem aliquando parum gratus eſt. Quibus omnibus cõficitur, ad ea, quæ dicta ſunt, oua non ſemper ſufficere. Age verò ſi hæc ipſa poſſent oua ſuaptè natura præſtare, non tamen generatim ac ſemper, ob varios caſus, qui contingere poſſunt, vtpotè ſi languens Cartuſianus in ea terrę plaga habitaret, in qua gallinæ (ſi adſint) oua non ponunt, aut ſi faciant, haberi tamen, vel inueniri nõ poſſunt, aut ſi reperiãtur, non tamẽ ſatis apta ſint, vtpotè nimio gelu conſtricta, vel vſque adeò vetuſtate alterata, vt ſine horrore, nauſea, detrimentoq; multo comedi non poſſint. Aut demùm ſi offendantur, quæ comedi queant, non ſint tamẽ pro reſumptione virium, humidiq́ue radicalis inſtauratione, virtutis ſufficientis. Vt enim in cæteris rebus, ita & in ouis, diſcrimen reperiri eſt. Alia enim ſunt alijs meliora, virtute, ſapore, natura. Itaque ſi forſan aliqua ſufficiant, non tamen omnia: quod carnes effice-

efficere queunt. Adde quod nõ ſunt omni tempore oua bonitatis eiuſdem ac virtutis, quod & in piſcibus & carnibus contingit. Itaque non poſſunt aliquo tẽpore efficere, quod ſatis alio, præſtare poſſent. Denique ſi nihil alterius cibi, præter carnes, poſſit ipſe languens habere, debebit haud dubiè carnes edere. Quibus animaduerſis, luculentur perſuadetur, languidum Cartuſianum interdum ad carnes edendas aſtrictum eſſe. Sed iam caſus certæ neceſſitatis extremæ, quæ & in morbo & ſanitate vſuvenire poteſt, ſubnectamus. Enimuerò contingere multi caſus poſſunt, in quibus ſine carnium eſu non poteſt vel à morbo graui, vel interitu, vita ipſa vindicari. Sit in primis Cartuſianus in manibus cruēti tyranni, qui mortem indubiam ei minitetur, ſi carnes non edat. Aut etiam ſit in carcere potentis hominis, qui Cartuſianum ipſum, vel Ordinem ſuum tam graui odio proſequatur, vt nihil præter carnes ei ſinat miniſtrari. Aut denique ſit in deſerto, aliove loco conſtitutus, in quo nihil præter carnes inuenire liceat, quo periclitã tem vitam à mortis poſſit iniuria defendere: palam eſt, eum in his, aliiſq; id genus caſibus, carnes edere debere. Quod vel ipſe ſpontè fateri habes. Non enim te ingenio ita proteruo eſſe crediderim, vt id velis inficiari. Quamobrem omnibus diligenter luſtratis, mirum non eſt, ſi huius abſtinentiæ cauſa totus in veſtrum ſtatum mundus oblatret, ſi vos quoque ſtolidos, imò & inhumanos vocitet, cùm votum faciatis indiſcretum, ſtatuta habeatis improba, abſtinentiam obſeruetis immoderatam, quæ propter eà multifariam improbata eſt, quippè quæ ſæpiùs teneatur, vbi reiicienda eſſet, vitam breuiat, detri-

Quid in iſtis caſib' faciẽdum ſit. vide in fine ſequentis cap.

menta

menta grauia parit & adfert, & demùm in caſu morbi certæque neceſſitatis extrmæ ſuos cultores perimit. Quibus animaduerſis, ſi famam ſalutemque veſtram curatis, profectò tantis incommodis atque periculis erit protinus conſulendum.

CAPVT VIII.

Oſtenditur primum, Cartuſianos votum de abſtinentia à carnibus minimè habere: deinde ipſa à carnibus abſtinentia cum Statutis Cartuſianis ſtabilitur ac roboratur, tum in cauſa ſanitatis, & languoris, tum in articulo extremæ neceſſitatis.

Petrvs.

IAm ſatis ſuperque tuarum carnium (quas nimis audenter faucibus inferre conatus es) nidorem inuitis naribus hauſimus. Quem longiùs arcere, falſamque vulgi opinionem funditùs delere geſtientes, in primis agere curabimus de voto, quod de nunquam edendis carnibus facere paſſim dicuntur Cartuſiani. Deinde quid ſtatutis Cartuſianis de re huiuſmodi contineatur, poſtmodum tertio loco, quàm æqua ſit & ſtatutorum cenſura, & abſtinentiæ ipſius obſeruatio, præſertim in ſtatu ſanitatis: cuius rei gratia tractabitur, an pro ſanitate conſeruanda, vel vita prolonganda, vitandiſque detrimentis ſit carnibus opus. Ad hæc de ipſa quoque perpetua conſuetudinariaque abſtinentia in caſu languoris: vbi & veſtigare certum eſt, dabilis ne ſit morbus quiſpiam, qui carnium eſum ita flagitet, vt citra eum curari nequeat. Inſuper de caſibus certæ neceſſitatis extremæ, qui extra morbum contingere poſſunt, in quibus carniũ eſus

interdum videtur omninò neceſſarius eſſe. Poſtremò diſſoluere conabimur rationes illas, quę maiorem in modum ſuperiùs adunatæ ſunt. His enim ſeriatim digeſtis, huic famoſo negotio ſatisfactum videbitur.

Cartuſiani abſtinentiam à carnibus non vouent.

Primùm igitur adorientes, dicamus (id quod res eſt) Cartuſianos nullum prorſus votum de non edendis carnibus habere, quod luculenter probat ipſa viuẽdi formula, quam in profeſſione ſolenni quiuis eorum tenet ac ſequitur. Ea enim eſt huiuſmodi.

Forma profeſſionis Cartuſianæ.

Ego frater N. promitto ſtabilitatẽ, & obedientiam, & conuerſionẽ morum meorum coram Deo, & Sanctis eius, & reliquijs iſtius heremi, quæ conſtructa eſt ad honorem Dei, & Beatæ ſemper Virginis Mariæ, & Beati Ioãnis Baptiſtæ, in præſentia Domini noſtri Prioris. In ipſius aũt profeſſionis calce profitens ſignum Crucis depingere ſolet, nihilq́ue aliud prorſus à quoquam adijcitur, niſi fortè tẽpus, quo fit ipſa Profeſſio. Quàm ſanè formam cuncti profitentes obſeruare, eamq; apertè, ac diſtinctè, cunctis audientibus, legere habent, quippè quæ ſtatutis ipſis expreſsè indicitur ſingulis obſeruanda. Cur autem de caſtitate & paupertate nulla mentio fiat alias diſſerendum eſt. Interim verò ne ſcrupum quiſquam faciat, forſan arbitratus, præfatam profeſſionis formã non ſatis aptam eſſe, vtpotè quæ de alijs eſſentialibus votis nihil expreſsè complectatur, legat ille diligentius, quæ in Regula diui Benedicti capite 58. habentur.

Benedictus in reg. c. 58.

Ibi enim videbit, Patrem illum ſapientiſsimũ de illis duobus nihil expreſsiùs meminiſſe. Ita enim habet. Suſcipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum ſuorum,

& obe-

& obedientia, coram Deo & Sanctis eius. Quo ex loco præfatum vouendi modum partim deſumpſiſſe putantur Cartuſiani. Quapropter in re huiuſmodi nulla debet eſſe ambiguitas. Sed ad inſtitutum redeuntes, conficiamus (vt cœpimus) nullum à Cartuſianis votum de nunquam edendis carnibus fieri ſolere: quandoquidem nihil in Ordine Cartuſiano reperire eſt, quod ad votum huiuſmodi faciendum quempiam aſtringat. Quæ cùm ita ſe habeant, ridiculus planè ille cenſeri debet (quiſquis author ille fuerit) qui primus omnium ſomniauit, ſparſitque in vulgus, Cartuſianos de carnibus, vel in extrema neceſſitate, nunquam edendis votum facere ſolere. Cui falſæ opinioni mirũ eſt & doctos quoque viros aliquando aſſenſiſſe. In quibus eſt Martinus, qui de temperantia quæſtione 3. aſſerit, Cartuſianos ſe ad id obligare, etiam cum extremæ neceſſitatis incluſione expreſſa. Quibus in verbis (quamuis paucis) duo à veritate prorſus aliena protulit, vnum quidem, quòd ſe voto aſtringant, alterum verò, quòd extremæ neceſſitatis articulum complectantur: vtrunq; enim falſum eſt. Quamobrem debuerat prius Cartuſianos ſeu veritatem ipſam conſulere, quàm leuiter opinionem vulgi ſectando, tam imprudẽter aſtruere, quod falſum erat. Sed iam ſecundo loco tangamus, quid de re huiuſmodi Cartuſianis in ſtatutis contineatur. In primis, quod negotio conducit, animaduertendum eſt, longo tempore Cartuſianum Ordinem perſeueraſſe, antequàm ſtatutum de non edẽdis carnibus vel fieret, vel literis crederetur. Sola etenim cõſuetudine huiuſmodi abſtinentiam obſeruabant primi Cartuſiani. Enimuerò Dominus Guigo (qui

De nunquã edendis carnibus quid in ſtatutis Cartuſian. habeatur.

(qui Cartuſienſis propoſiti inſtitutiones, quas conſuetudines vocat, primus omnium in volumen ſatis ſuccinctum conflauit, redegitq́;) nullum prorſus pœnale ſtatutum inſeruiſſe legitur, quo patenter ſuos à carnium eſu cohiberet. Sed dices: Si ita obſeruabatur, cur literis ab eo non credebatur? Nempè (vt opinor) quòd ſuperfluū putabat illud ſcribere, quod ſine controuerſia ab omnibus pro lege haberetur, inuiolabiliterque obſeruaretur. Videbat enim, monachos omnes deuotè admodum à carnium eſu temperare, imò verò eſum huiuſmodi ita exhorrere, vt ſola memoria, non autem ſcriptis, opus eſſe videretur. Itaque putauit ſuperuacaneum fore, idipſum, quod ſpōtè prorſus obſeruabatur, ſtatuto cohibere: præſertim cùm temporis illius monachi, nec tam licenter, nec tam frequenter carnes vorarent, nec ſuæ quoque profeſsionis (vt nunc cernere eſt) violatores forent. Igitur ſatis illi fuit, carnes non eſſe edendas, vtcunque inſinuare, declarando ſcilicet, quibus cibis ſui veſci deberent. Quibus conficitur, Cartuſianos multo tempore abſtinentiam huiuſmodi ſola conſuetudine, non autem expreſſo (quod certè legatur) pœnali ſtatuto, impulſos deuotè obſeruaſſe. Siquidem nec ante Guigonem ipſum, qui quintus maioris Cartuſiæ Prior fuit, nec tempore illius, nec multos quoq; poſt annos, ſtatutum aliquod de re huiuſmodi legitur editum fuiſſe. De huiuſmodi etenim obſeruantia nihil, vſque ad annum milleſimū ducenteſimum quinquageſimum quartū ſancitum fuiſſe traditur. Quo quidem tempore, omnes Cartuſiani propoſiti ſectatores, qui communi capitulo aderāt, ſpontè concorditerq́; in præſentia duorū Præſulum, *Guigo quintus Prior Cartuſiæ.*

qui tum aderant, eſui carnium perpetuò abrenunciauerunt: adijcientes, eos qui ſtatutum huiuſmodi poſtmodum temerare præſumerent, totius Ordinis ſocietate excludendos eſſe. Cum igitur Cartuſienſe propoſitum anno Domini milleſimo octogeſimo quarto ſumpſerit exordium, per legitimam ſupputationem liquet, Cartuſianum Ordinem ſine pœnali ſtatuto de non edendis carnibus ſolenniter edito, centum ſeptuaginta annos perſeueraſſe: quo tempore Priores quindecim maioris Cartuſiæ ſarcinam tulerunt. Quid autem Patres illos tùm impulerit ad huiuſmodi ſtatutum cum adiectione pœnæ faciendum, non ſatis compertum habetur. Putari tamen rectè poteſt, eos fuiſſe alienis periculis concitatos. Videbant enim, cum annis labentibus, mores quoq; probos peſſum iri, videbant etiam monachos alios iam nimis licenter carnibus vti, & quaſi monaſtici rigoris pertæſos, modicam ſui ſtatus rationē habere. Quod igitur perperam alios agere cernebant, putauerunt quoque ſuos leuiter efficere poſſe, niſi debita cenſura cohiberentur. Itaque ne licentia fierent deteriores, ordinationem illam pœnalē faciendam putauerunt, quæ tamen nec in ſtatutorum corpore collocata, nec pœna in ea contenta nunc in vſu habetur. Poſteà verò pauciſ-
44. pri. an. 4. 23. ſimis annis, ſcilicet quatuor, interiectis, edita
Secundæ an. 40. fuêre quædam ſtatuta (quæ nunc antiqua vocantur) quibus de huiuſmodi abſtinentia in hunc modum cautum eſt. Eſus carnium (cui Ordo renunciauit) nulli noſtrum conceditur, etiam
4. ſecūdæ an. 32. ſi ſit leproſus. Et rurſus alibi. Leproſis noſtri ordinis carnes comedere nulla permittitur ex cauſa, ſicut nec cuiquam infirmo. Deinde nouis ſtatu-

ſtatutis ſic habetur. Secundùm antiquiſſimã noſtri ordinis cõſuetudinem à ſanctis Patribus introductã, omnẽ eſum carniũ à noſtro propoſito abiecimus: vbi & pęna cõtra tranſgreſſores adijcitur, longè tamen ſecurior ac honeſtior, q̃ antè. Non .n. par erat Cartuſianũ ſi fortè in vetitũ niſus fuiſſet, à ſuis ſeptis perpetuũ exulare, totiusq; ordinis commercio viduari. Ecce quid in ſtatutis Cartuſianis de nõ eſu carniũ prorſus habetur. Iam verò ſtatutis ipſis in mediũ adductis, tertio loco agendũ eſt, q̃ æqua ſit eorũ cenſura, quamque huiuſmodi rigor abſtinentię rationi cõſentaneus ſit. His enim patefactis, luculenter videbitur, quã iuſtè ad integrã aſſiduamq; eius abſtinẽtiam, hactenus impulſi ſint ipſi Cartuſiani. In primis quidẽ (vt de ſtatutis ipſis primũ agamus) nihil in eis videre eſt, quod vel rationi palàm aduerſetur, vel extremæ neceſſitatis, aut grauis alicuius periculi (quod humanæ vitæ nimis officiat) apertè detrimẽta complectatur. Quamobrem non eſt, cur ea ipſa quiſpiã vellicare debeat, præſertim cùm omnes rectè ſentientes fateantur, huiuſmodi conſtitutiones generales poſſe citra culpã temeritatis inſtitui, quando maximè neceſſitatis extremæ caſum expreſsè non ambiunt. Verùm generatim ita omnibus proponuntur, vt tamen nullis (niſi ſpontaneis) imponãtur obſeruãdæ. Quod cùm ita ſit, de huiuſmodi ſtatutis Cartuſianis, quis ea velut iniqua coarguere iuſtè poſſit? Deinde nonnullas conſtitutiones his grauiores reperire eſt, quæ tamen non reprobantur. Enimuerò difficiliùs eſt, perpetuam continentiam, quàm abſtinentiam à carnibus obſeruare: & tamen lex illa Eccleſiaſtica, quæ omnes eos, qui ſacris initiari voluerint,

Abſtinentiã à carnibus rationi conſentaneã eſſe.

ad pe-petuam continentiam aſtringit, paſſim commendatur à Latinis. Cur non etiam lex ipſa Cartuſiana de non edendis carnibus generaliter lata non probabitur, quippè quæ facilius, vel experiētia teſte, obſeruari queat? Adde, neminem prorſus Cartuſianis legib' aſtringi, niſi primùm & ſuas vires periclitatus fuerit, & ſpontè leges ipſas ſuſceperit. Porrò Ionadab prçceptū non reprobatur, quo ſuam poſteritatem obſtrinxit ad vinum non bibendum. Siquidem Rechabitæ, qui de illius familia extiterūt, voce Domini per Hieremiam commendati leguntur, quòd prçcepto ſeu voluntati paternæ obedientes, à vino prorſus temperauerint, nec ad verba Hieremiæ bibere voluerint. Cur non etiam multa laude digna putabuntur Cartuſiana inſtituta, quæ mitiorem abſtinentiam imponunt? Siquidem faciliùs eſt à carnibus, quàm vino perpetuum abſtinere. Multi etenim monachorum abſtinentiam à carnibus faciliter ſuſceperunt, quibus tamen perſuaderi non potuit, vt à vino ſe prorſus continerent. Quod & Diuus Benedictus teſtatur, qui ſui temporis monachos à vini poculo cohibere vel non potuit, vel inuitos non voluit: tanta eſt à vino iugis abſtinentiæ difficultas. Adde, ſi D. ipſe Benedictus legiſlator ſapientiſſimus, quique, nihil aſperum ſuis ſe tradidiſſe arbitratur, ſuis tamen monachis eſum carnium interdixit, & tamen laudatur vſque adeò, vt nullus adhuc (niſi demés) repertus ſit, qui Benedictinam regulam taxauerit: cur, obſecro, lex Cartuſiana, quæ ſimilem abſtinentiam indicit, à reprehenſionis nota immunis non erit? Cæterùm, vt cùm huiuſmodi ſtatutis ipſam quoque abſtinentiæ conſuetudinem ſtabiliamus, tandem

Hier. 35.

confi-

conficiamus (quod verum eſt) nec ſtatuta huiuſmodi iniqua, nec abſtinentiam quoque ipſam viribus imparem, imò verò nec aſperam nimis, nec difficilem admodùm eſſe. Enimuerò iugiter à carnibus abſtinere (quod huiuſmodi ſtatutis cauetur) non eſſe ſupra vires humanas, vel eo conſtat, quòd longiſſimo tempore genus humanum ſine carnium eſu, vixerit, quod non feciſſet, ſi abſtinentia huiuſmodi nimium difficilis hominum communitati fuiſſet. Quod autem diuturno tempore ſine carniũ eſu vixerint mortales, teſtatur Dichæarchus, qui ait, cùm omnia ſub Saturno funderet humus, nullum comediſſe carnes, ſed vniuerſos vixiſſe frugibus, & pomis, quæ ſpontè terra gignebat. Teſtatur & hoc ipsũ Boëtius, qui de prima ætate commemorans, eamq; multa laude proſequens, ſic inquit: *Boëtius.*

Fœlix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ ſera ſolebat,
Ieiunia ſoluere glande.

Cui aſtipulatus & Mantuanus de vitis Patrum, qui ante Diluuium victitârunt, ita dicit:

Tunc gula parcebat gregibus: ſecura cubabat *Mantuanus.*
Turtur, & inſidias non metuebat aper.
Si pecus occiderat ſenio, morſuùe luporum,
Forſan & audaci ſi fera capta manu:
Tergore direpto, nudatis viſcera coſtis
Dilanianda feris alitibuſq́ue dabant.

Verùm ne duntaxat aut peregrinis, aut poëticis teſtimonijs vtamur, addamus & alia maiori fide digna. Ait ſiquidem Hieronym. eſum carnium vſque ad diluuium ignoratum fuiſſe, vinumq; *Hieron.*

cum carnibus poſt diluuium fuiſſe dedicatum. Quod & diſtinctione 25. refertur. Cui & Petrus Damianus assentiens, ita inquit: Poſt mundi naſcétis exordium per mille ferè atque ſexcentos annos, humanum genus ſine vini poculo & eſu carnium vixit, nec tamen quiſpiam eorum, quos Scriptura commemorat, languore contabuit. Denique vt auctoritate Scripturæ (quę potior eſt) hoc ipſum comprobetur, legatur Geneſis capitulum primum, vbi ſolus fructuum, olerumque vſus primùm conceſſus eſt. In calce enim capitis illius ita habetur. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam.* Quo in loco dicit gloſa Ordinaria, non animantia, ſed herbas tantùm, & arborum fructus primò conceſſa fuiſſe. Quibus omnibus conficitur, genus humanum longo tempore ſine carnium vſu vixiſſe, eamque ob rem abſtinentiam huiuſmodi nec hominũ viribus ſuperiorem, nec difficilem quoque ſuprà modum eſſe. At forſan dicas, vires humanas ante diluuium fuiſſe maiores, eamque ob rem tunc facilè homines potuiſſe carnibus abſtinere, at verò nunc minimè poſſe, ideoque carnium eſum poſt diluuium fuiſſe conceſſum, quòd ſcilicet abſtinentia huiuſmodi nimis difficilis ob virium diminutionem hac tempeſtate foret. Fatemur in primis (quod negari nõ poteſt) poſt diluuium datam fuiſſe licentiam carnium edendarum: quod Geneſis cap. 9. ſatis liquet, vbi dicitur: *Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* An verò propter virium diminutionem conceſſa

Petrus Damian.

Gene. 1.

Ante diluuium nõ erat vſus carnium.

Gloſ. Ordin.

Gene. 9.

Carnium eſus cur poſt diluuium conceſſus.

ceſſa fuerit huiuſmodi facultas, non ita certum eſt. Quidam enim inficiantur, vires hominum nunc imbecilliores eſſe, quam in exordio mundi fuerint. Quos ſi roges, cur ergo facta eſt carnium edendarum poteſtas, ſi vires ęqualiter perſeuerent? reſpondebunt tibi: propter maiorem hominum cupiditatem, ac malitiam hoc indultum fuiſſe. Alij verò (quibus magis accedendum puto) aliter ſentiunt, aſſerentes, partim ob maiorem hominum fragilitatem, partim verò propter infœcunditatem terræ, huiuſmodi indulgentiam fuiſſe conceſſam. Terra enim per aquas diluuiales mirum in modum alterata, deteriorque effecta fuit, quippè quæ plures melioresq; fructus anteà proferebat: quod & gloſſa ordinaria tradit, quæ Geneſis ſexto capite, hoc modo dicit. Tradunt Doctores terræ virorem & fœcunditatem longè eſſe inferiorem poſt diluuium, & ideo hominibus eſum carniū conceſſum, cùm antea tantùm terræ fructibus victitarent. Et capite nono ita habet. Eſus carnium conceſſus videtur poſt Diluuium, propter infœcunditatem terræ, & hominis fragilitatem. Verùm eſto, demus partim conceſſum fuiſſe carnium eſum propter hominum imbecillitatem: inficiamur tamen, perpetuam à carnibus abſtinentiam poſt diluuium humanas vires exuperaſſe, vel etiam ſupra modum difficilem fuiſſe. Quod vt probemus, ſimulque & ſtatuta ipſa, & conſuetudinariam abſtinentiam adhuc roboremus, afferamus nonnihil eorum, quæ contra Iouinianum Diuus Hieronymus retulit. Narrat ſiquidem ipſe virorum doctiſſimus, antiquos AEgypti Sacerdotes carnibus & vino ſemper abſtinuiſſe, propter tenuitatem ſenſus,

Gloſſa ordinaria in ca. Gen. 6.

In cap. 9.

Abſtinentia à carnibus poſt diluuium.

Ethnicorū abſtinentia à carnibus.

& maximè propter appetitus libidinis, qui ex eis naſcuntur. Refert etiam, quoſdam Magos apud Perſas doctiſſimos eloquẽtiſſimosque fuiſſe, qui excepta farina, aliud nihil in cibum ſumebant. Citat quoque Orphæum, qui in carmine ſuo eſum carnium penitus deteſtatur. Addit & in templo Eleuſinæ apud Athenienſes, tria tantùm præcepta fuiſſe, ſcilicet honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non veſcendum. Aſſerit inſuper ea ætate, qua Pigmalion in Oriente regnabat, vſum carnium nõ fuiſſe. Denique alia multa refert, quibus ſatis conſtat, perpetuam à carnibus abſtinentiam, poſt diluuium humanas vires non tranſcendiſſe. Sed fortè contendis adhuc, & dicis, huiuſmodi Ethnicorum exempla parùm te mouere, vtpotè quorum abſtinẽtia prorſus ſtudioſa tibi non videatur. Verùm hoc nihil ad rem pertinet. Non enim certũ eſt in præſentiarum huiuſmodi priſcorum abſtinentiam vel probare, vel improbare: cùm hic ſatis ſit oſtendere, eſum carnium poſt diluuium humanis viribus importabilem non eſſe. Cæterùm, vt omnis contentionis cauſa ſubmoueatur, addam & alia quæ fidem facere debeant. In primis certum eſt, populum Iſraeliticũ ab AEgypto liberatum, & in illa vaſta horribilique ſolitudine conſtitutũ, quamuis carnibus anteà fuiſſet aſſuetus, carnibus paſtum non fuiſſe: nec tamen quiſpiam eorum, Scriptura teſte, languore

Deut. 8. contabuit. At verò poſtquàm AEgyptias car-

29 nes ſuſpirauit, à Domino percuſſus legitur. Quòd

Exod. 16. profectò factum nõ fuiſſet maximè cùm ibi iuniores eſſent atq; ſeniores, ſi iugiter à carnibus

Ioſephus. abſtinere arduũ nimis fuiſſet. Deinde Ioſephus non aſpernãdus author, multis in locis de tribus

Iudæo-

Iudæorum ſectis differens, aſtruit Eſſæos à vino & carnibus ſemper abſtinuiſſe, & quotidianum ieiunium vertiſſe in naturam. Porrò, vt de nouę legis ſuauitate quicquam afferatur, primùm occurrit Anna vidua ſemper ieiunans, eamque ob rem carnes non manducans. Occurrit & præcurſor, præcoque Domini Ioannes, qui locuſtis ſylueſtrique melle, non carnibus, paſtus inducitur. Sed & de Christo nuſquam traditur in tota Euangelij ſerie carnes comediſſe, præter Agnum Paſchalem, qui myſticus erat. Non quòd huiuſmodi abſtinentia opus illi fuerit, ſed vt ſuo nobis conſuleret exemplo. Ad hæc ſi diuinæ literæ profundius conſiderentur, ſi Sanctorum dicta legantur diligentiùs, ſi voluantur hiſtoriæ, ſi denique Maiorum exempla luſtrentur: dubio procul videbitur, innumerabiles non ſolùm viros, ſed & mulierculas ad hãc vſque ætatem perpetuam carnium abſtinentiam coluiſſe. Sed quid rationibus agimus? Cùm experientia ipſa (cui refragari nullus, niſi inſanus, poteſt) apertè doceat, abſtinentiam huiuſmodi facilem eſſe: tantùm abeſt, vt ſit humanis viribus impar. Nihilo minùs, vt abſtinentiam ipſam adhuc ſtabiliamus, & ſectatores eius Cartuſianos à temeritate vindicemus, dicamus quibus de cauſis ad eam amplexandam tenendamque perſeueranter hactenus impulſi ſint. In primis quidem animaduertentes eam nec viribus importabilem, nec difficilem quoque (quod iam probatum eſt) ſupra modum eſſe, eam vt iuſtam colere veriti non ſunt. Deinde cogitantes, carnium eſum pœnitentiæ, cui religio ſemper dedita eſſe debet, prorſus eſſe ineptum, eum à ſe reijciendum putauerunt. Porrò diligentiùs vo-

Eſſæorum abſtinentia.

Luc. 2.

Matth. 3.

Christus vti à carnibus abſtinuit.

lutantes, carnes ipſas carnis ardorem accendere ſolere (cùm dicat Hieronymus, eſum carnium ſeminarium eſſe libidinis) cenſuerunt cum vſu vini, carniũ eſum non eſſe aſſumendum, ne ſcilicet nimio calore periclitaretur continentia. Ambarum enim huiuſmodi rerum vſu, corpus nimis calidum effici ſolet. Inſuper animaduertentes, ea, quæ frigida ſunt & aſpera, ſtatum monachalem prorſus decere, prudenter carnium eſum, qui natiuum calorem accendere ſolet, à ſe relegandum decreuerunt. Ad hæc meditantes hanc abſtinendi conſuetudinem, tùm religioni, tùm diſciplinæ, tùm ſaluti congruere, non vulgariter eam iugiter ſectandam autumauerunt. Denique non rationes tantùm, ſed apertas quoque authoritates contemplati, huiuſmodi abſtinentiæ conſuetudinem ſuſcipiendam, iugiterque ac perſeueranter ſectandam, ſapienter confecêre. Enimuerò (vt authoritatum nonnihil afferatur in medium) apud Apoſtolum legitur: *Bonum eſſe carnes non manducare*. Iure quoque pontificio Diſtinct. 25. Ab exordio diſſuadetur generatim carnium eſus, peculiariter verò monachis prohibetur, de Conſ. Diſtinct. vltima, Carnem. Vbi ita habetur: Carnem cuiquam monacho, nec guſtandi, nec ſumendi eſt conceſſa licentia. Non quòd creaturam Dei iudicemus indignam, ſed quia carnis abſtinentia apta & vtilis monachis æſtimetur. Extra quoque de ſtatu Mon. Cùm ad monaſterium. In antiquis, carnium eſus monachis paſſim inhibitus legitur. Adde quòd omnes monaſticæ vitę Inſtitutores, ſuos carnibus interdixiſſe comperiuntur. Cuius rei teſtes ſunt inſtitutiones ipſe, quas literarum monimentis tradiderũt. Quibus

Rom. 4.

Carnium eſus monacho prohibetur.

aſtipu-

aſtipulati penè omnes, & docti, & ſancti, qui de re monaſtica meminêre, carnium eſum à monachis prorſus abijciendum, concorditer docuerunt.

Denique, vt de Cartuſianis peculiariter agatur, ſummi Pontifices permulti Cartuſianæ vitæ aſperitates (in quibus huiuſcemodi abſtinentiæ rigor connumeratur) probauerunt, multisque laudibus (quod ſuo loco dicturi ſumus) proſecuti ſunt. Quod & fecêre multi non paruæ authoritatis ac ſciẽtię viri. In quibus fuit D. Bernardus, qui & Cartuſianos ipſos inter opaca frigora victitantes, ſuauiter conſolatus eſt. Quibus, alijsqueid genûs animaduerſis, quis vel ſtatuta ipſa, vel abſtinentiam huiuſmodi, vel demùm obſeruatores Cartuſianos incuſare præſumpſerit? Imò verò quis non commendabit? vtpotè, qui multis tùm rationibus, tùm authoritatibus nixi, tùm priſcorum veſtigia ſectati, tâm laudabilem abſtinentiæ conſuetudinem hactenus obſeruarunt.

Sed fortè non contentus, obijcies, ea, quæ dicta ſunt, paſſim ac regulariter locum habere, nõ tamẽ obſeruari ſemper debere. Eſto enim: Cartuſianus, aliorum monachorum inſtar, regulariter debeat à carnium eſu ſe cohibere, non tamen ſemper. Et primùm quidem peculiarius agendo, in ſtatu ſanitatis videtur interdum carnibus opus, vtpotè pro ſanitate conſeruanda, ac vita prolonganda. Reſpondetur (ne ſcrupus iſte quempiam moueat) nec pro ſanitate conſeruanda, nec pro vita proroganda, nec demùm pro vitandis detrimentis eſu carnium opus eſſe. In primis ad bonam corporis valetudinem ſanitatemque conſeruandam carnium eſum mini- *An pro ſanitate*

conſeruãda carnibus opus ſit. minimè neceſſarium eſſe, ſatis oſtendit Hieronymus contrà Iouinianum vbi & authoritatibus,& exemplis luculenter probat, ad ſanitatẽ corporis vitamque fouendam carnium eſu minimè opus eſſe. Vbi inter cætera(quorum nonnulla iam tetigimus) ait, quod propoſito con-*Hierony.*ducit: Illi arbitrantur (inquit) carnes ſanitati congruas, qui volunt abuti libidine, & in cœnũ dimerſi voluptatum, ad coitum ſemper æſtuãt, Chriſtiano ſanitas abſque viribus nimijs neceſſaria eſt. Quibus in verbis Hieronymus ipſe oſtendit,carnes ſufficienti ſanitati neceſſarias nõ eſſe. Deinde ſanctus Auguſtinus miris effert laudibus monachos ſui temporis, qui vino & carnibus abſtinebant; quos ſapientiſſimus ille Pater non tantoperè commendaſſet,ſi carnes ſanitati conſeruandæ prorſus neceſſariæ forent. Laudantur præterea & ab aliis eximijs probatiſque viris greges monachorum innumeri, qui diuerſis terræ plagis perpetuam à carnibus abſtinentiam obſeruarunt. Cæterum vt Patrum ſententijs aliquid rationis addamus, ſi Cartuſiani carnibus veſcerentur, & grauioribus, & frequentioribus morbis afficerẽtur. Etenim(quòd *Gerſon.* D. Gerſon probat)vigiliæ, ſolitudo,quies, cæteraque deuotionis exercitia digeſtioni sũt impedimento non paruo, eaque de re cruditatem (quæ & libidines & detrimenta multa parit) in ſtomacho relinquunt. Deinde carnes ipſæ craſſum glutinoſumque ſanguinem(ſaltem comparatione ouorum) gignere, peritiſſimi viri tradiderunt. At verò ſanguis huiuſmodi bonæ corporis habitudini ineptus eſt, cùm oporteat bonum ſanguinem eſſe calidũ, humidum, clarumque, qualem carnes(certè communes)præſtare

non

non ſolent. Non ſunt igitur carnes ad bonã corporis habitudinem prorſus neceſſariæ, imò nec vtiles quidem, ipſis potiſſimum, qui contemplationis operibus iugiter vacant. Adde ſi languidis non ſit carnibus opus (quod probabitur) quo pacto ſanis neceſſariæ ad ſanitatem conſeruandam putabuntur? cùm, teſte Hieronymo, quibus cibis recipitur ſanitas, his & conſeruari poſſit. Porrò cernere eſt humaniſſimos Patres de re monaſtica agentes, compaſſionis affectu impulſos, languidis quidem carnium eſum tribuiſſe, ſanis tamen ſemper denegaſſe, ſatis innuentes, ſanis monachis carnes minimè neceſſarias eſſe. Inſuper nulli in negotio huiúſmodi periti legũtur, qui pro ſanitate fouenda, debitoque in tenore ſeruanda, cẽſuerint carnes prorſus neceſſarias eſſe: cùm è diuerſo multi & Catholici, & Ethnici longè aliter, tùm ſcriptis, tùm exemplis docuiſſe reperiantur: quos omnes ſi proferre nunc animus eſſet, modus in re non neceſſaria excederetur. Itaque prodeat vnus in medium Dydimus Bragmanorum Rex, dicatque nobis, quid in Epiſtola ad Alexandrũ de re huiuſmodi ſenſerit. Habebis (inquit) maximas cum voluptate opes, ſi ita mecum viuere voles, & infrà: non veſcor animalium viſceribus vt leones, nec intra pectora mea incluſæ quadrupedum aut volatilium carnes putreſcunt, nec ſum mortuorum ſepulchrum, ſed prouidentia naturalis omnes mihi fructus, vt lac mater infundit. Vides quàm aptè mordeat carnales ipſos, qui ad ollas carnium non tantùm ſuſpirent, ſed eas quoque ſanitati neceſſarias mentiuntur. Adhæc legis, Apoſtolos tempore Paſchali refectos, Domino paulò antè à mortuis ſuſcitato, partem piſ-

Dydimus Bragmanorũ Rex.

Ethnici vt à carnibus abſtinuerũt.

Luc. 24.

piſcis, fauumque mellis (quæ ſuæ menſæ ſuperfuerant (obtuliſſe. Putaſne ſi carnes comediſſent, reliquias earum Domino cibum petenti non fuiſſe daturos? Dediſſent ſanè. Sed hoc de induſtria commemorauit Scriptura, vt intelligeres, Apoſtolos Diſcipuloſque Dominicos carnibus vti ſolitos non fuiſſe. Cùm enim neceſſitas aderat, vtpotè cum aliena menſa vtendum erat, cibis illis, quæ apponebantur, ſimpliciter veſcebantur, ne ſcilicet aut inſueta vitæ aſperitate, aut ſingularitate victûs, quos ad fidem conuertendos ſuſceperant, à cõuerſione deterrerẽt. At verò cùm ſeparatim agebant, ſibiq; per facultatem licebat aſperiorem ducere vitam, proculdubio carniũ oblectamenta reijciebant. Cuius rei argumentũ eſt (vt cætera ſilentio prętereã) ꝙ Clemens in Itenerario refert, Apoſtolum Petrũ dixiſſe: Panis (inquit) mihi ſolus cum oliuis, & rarò cum oleribus in vſum eſt. Non igitur Apoſtoli, vel ſoli, vel cùm ſuis victitantes carnibus vtebantur, ſed magna ſe victus aſperitate macerabant: quinetiã illis ipſis, quibus tanquam paruulis in principio conuerſionis omnia penè indulſerant, vbi robuſtiores fuerunt effecti, multorum abſtinentiam ſuaſiſſe creduntur. Poſtmodum nulla lege interdicta legitur abſtinẽtia huiuſmodi. igitur licita cenſenda eſt: cùm (pro regula iuris) quod non inuenitur prohibitum, intelligatur eſſe conceſſum. Quod autem perpetuus non eſus carniũ nulla lege prohibitus ſit, facile eſt conficere. Non .n. lege naturali, quandoquidem prima ætas, quæ huiuſmodi legi plurimum nitebatur, carnibus non veſcebatur. Quòd ſi dicas, temporis illius viros interdum venationi deditos fuiſſe: reſpondebit tibi Augusti-

guſtinus, propter vſum pellium, non autem eium carnium feciſſe. Cui aſtipulatur Mantuanus de priſcis illis ita dicens:

Pellibus hirſutos uelabant corporis artus *Mantuanus.*
Maſſagetæ contra, Biſtoniaſq; niues

Adde, non eſſe de dictamine legis naturæ, carnibus vti, cùm & multæ nationes eſum carnium prorſus neſcierint, & plurimi natalis legis ſectatores à carnibus ſe cohibuerint: in quibus Pythagoras fuit, qui & diſcipulis ſuis prohibuit, ne carnes ederent, ſed oleribus, leguminibusque veſcerentur. Nec huiuſmodi quoq; abſtinentia lege diuina prohibita reperitur. Nuſquam enim in tota veteris nouæque legis pagina reprehenſi leguntur, qui iugiter à carnibus ſibi temperauerunt. Quod ſi dixeris, datum fuiſſe præceptum, de agno Paſchali edendo ca-que de re perpetuam carnium abſtinentiam vetitam fuiſſe, dicimus eſum agni illius non fuiſſe præceptum, quòd ad ſanitatem vitamque fouẽdam ſit carnibus opus (edebatur enim ſemel in anno duntaxat agnus ille typicus) ſed in memoriam atq; figuram hoc effectum fuiſſe creditur. In memoriam quidem, vt beneficiũ liberationis ab AEgyto, iugi mente tenerent, quod nulla deleret obliuio. In figuram verò, vt Agnus verus, *qui tollit peccata mundi*, figuraretur: quem *Ioan. 1.* ſub rebus myſticis à fidelibus edendum, eſus ille præſignabat. Eſto igitur, in eo caſu carnibus eſſe veſcendum, non tamen propterea conficitur, carnes vitæ ſanitative neceſſarias eſſe. Sed pergis, & dicis, Apoſtolum carpſiſſe quoſdam, quos ſpiritu videbat carnium eſu interdicturos. Reſpondemus: Apoſtolum ſibijpſi contrarium non fuiſſe. Cùm igitur aliàs dixerit, Bonum

Pythagoras carnium eſum diſcipulis ſuis prohibuit.

1. Tim. 4. Rom. 4. Bonum eſſe carnes non manducare, haud dubiè dictũ eius (quod in præſentiarũ citaſti) ſanè intelligendũ eſt, ne alteri prorſus aduerſari videatur. Quod vt fiat apertius, intelligendum eſt, carnium abſtinẽtiam duobus modis generatim ſuſcipi poſſe, vno quidem malo, puta cùm ſuperſtitioſè, vel inaniter à carnibus abſtinetur. Superſtitioſè quidem, cùm carnes ipſæ tanquam immundæ vitantur. Inaniter verò, cum humana laus per abſtinentiam huiuſmodi quæritur. Altero verò modo, cum debita intentione ac ſyncera deuotione (vt taceam illum non eſum carnium, qui vel earum defectu, vel neceſſitatę aliqua fit, & propterea indifferens ſuaptè natura eſſe putatur) à carnibus temperatur, ſcilicet pro diluendis piaculis, pro gignendis & virtutibus, & meritis, pro bono obedientiæ, pro libidinibus arcendis, carneq́ue domanda, ne ſcilicet caſtitas periclitetur, ſed tutior ſit, tranquilliorq́ue pax intus efficiatur, domineturq́ue ratio liberiùs, pro vitandis quoque huius vitę delitijs quò cœleſtes faciliùs habeantur, pro conſolationibus diuinis boniſq́ue ſupernis cumulatiùs aſſequendis, pro iuuandis proximis, & demùm pro alijs id genûs cauſis, quibus & Eccleſiaſtica ieiunia inſtituta ſunt. Primo igitur modo ſuſceptam abſtinentiã reprobauit Apoſtolus, quã ſecundo effectam probauit atque conſuluit. Cui & Cartuſiani aſtipulantur (Chriſtiani enim sũt) damnantes quoſdem ſuperſtitioſos hæreticos, qui ad Creatoris iniuriam carnibus veſci prohibebant, dicebantq́ue creaturas eſſe malas: propterea carnes, & vinum quoque prohibebant. Quod ſuperſtitioſum eſſe nullus fidelis hæſitat, cum omnis creatura Dei bona ſit, ſuapteq́ue natu-

Quam abſtinẽtiam reprobat Apoſtolus.

1. Tim 4.

natura cum gratiarum actione ſuſcipi poſſit. Aſtipulantur Apoſtolo Cartuſiani, commendantes omnes eos, qui ſyncera deuotione abſtinentiam huiuſmodi ſectari gaudent. Non reprobātes tamen, nec iudicantes eos (qui modo nō ſint vel communi, vel priuato vinculo cohibiti) carnibus moderatè, debitéque veſcuntur. Aſſerentes inſuper nullum eſſe vel diuinum, vel humanum præceptū, quod hac tempeſtate quempiam ſanitate fruentem, ad carnes edendas neceſſariò impellat, ſed indulgentiam quandam ac permiſſionem his, qui aliàs prohibiti non ſint, & carnibus debitè veſci voluerint, eſſe conceſſam. Concludentes denique carnes ipſas ſanitati, nec vitæ prorſus neceſſarias eſſe: eamq; ob rem iugiter in ſtatu ſanitatis ab eis abſtinere (ſi modo ſyncera deuotione fiat) plurimum laudis promęreri. Quod & eiſdem rationibus, quibus ſuperiùs abſtinentia huiuſmodi generatim fulciebatur, confici poteſt.

Quibus omnibus, licèt ſatis oſtenſum credatur, ad diuturnam vitam aſſequendam non eſſe carnibus opus, ad vberiorem tamen probationem addamus & pauca. In primis quòd nullus probatus Medicus adhuc repertus eſt, qui temerario auſu præſumpſerit affirmare, carnium eſum ad vitam prolongandam prorſus neceſſarium eſſe. Sed è regione comperiuntur viri & ingenio, & doctrina excellentes, qui aliter ſenſerunt. In quibus eſt pręſtantiſſimus ille Arnoldus de Villa noua, qui de re huiuſmodi ita meminit. Quis audet aſſerere, quod nemo vitę longitudinem conſequatur ſine vſu carnium? cum in monaſterijs Cartuſienſium octogenarij, & centenarij mundorum ſenſuum crebrò inuę- *Arnoldus.*

 nian-

niantur? Conſtat etiã, quod in prima ętate mundi vixerunt homines diutiùs, quã in aliqua aliarum. In qua tamen nulli communiter veſcebãtur carnibus, ſed terræ naſcentibus. Vides vt Arnoldus ipſe medicus eminentiſſimus dicat, ad vitam diutinam carnibus non eſſe opus. Cui a-
Marſilius. ſtipulatur Marſilius Ficinus, qui in libro de vita longa, exactè legens ac referens, quæ ad vitæ diuturnitatem conducunt, nuſpiam aſſerit carnes (vel delectas) ad vitam producendam neceſſarias eſſe, ſed oppoſitum potiùs innuit, cùm ita inquit: Porphyrius Pythagoreorũ antiquorumque authoritate fretus, eſum animaliũ deteſtatur: qui & ſubdit. Nonne homines accepimus ante diluuium lõgæuos, animalibus pepercisſe? Quibus liquet, Marſilium ipſum eiuſdem cum Arnoldo fuiſſe ſententiæ, ſcilicet carnium eſum ad vitam prorogandam minimè neceſſarium eſſe. His corporum Medicis aſſentitur Dominus
Gerſon. Gerſon Medicus & ipſe, ſed animarũ, qui Cartuſianos vel citiùs morituros, vel grauiùs ægrotaturos putat, ſi carnibus vterentur. Addit & rationem: quia vix, inquit, aut rarò temperanter, & ſobriè inter hæc gulæ incitamenta verſarentur. Nam cur ob aliud ſapiens vnus Medicorum
Seneca. dixit, plures occiſos gula, quam gladio? Quod ſi nullus diceret, tamen experientia loquente cognoſcitur. Cur aliunde præterea Religioſi & rurales à carnibus, imò & vino, & à cæteris gulæ blandientibus cibis longè facti, ſenectam maiorem ſæpius attingunt, quam alij voluptuosè, & opulentè talibus enutriti? Quibus tantorum virorum ſententijs ſatis apertè intelligitur, Cartuſianos minùs victuros, ſi carnes ederent. Cibis enim grauarentur frequentiùs, quos propterea
mor-

morbi crebriores longiorem vitam aſſequi non ſinerent.

Porrò cùm carnes ſumantur per modum cibi: quid, obſecro, plus faciunt diutinam vitam, quàm oua, quàm piſces, quàm alia id genus permulta? Præſertim cùm ad productiorem vitam conſequendam moneat ſenes Marſilius ipſe (de quo meminimus) vt eum omninò victum ſeruent, ex quo ſanguinem plurimum ſperent, ſpiritumque quamplurimum, ex vitellis ſcilicet ouorum recentibus, vinoque opportuno. Deſipit ergo, qui ad diuturnam vitam carnes neceſſarias eſſe arbitratur, præſertim cùm experientia ipſa (contra quam pugnare, inſanire eſt) longè aliter eſſe demonſtret. Age verò ſi & productior vita (quod ſemp̱ negamus) carnium eſu fieri poſſet, & earum abſtinentia breuiari ſoleret, nunquid perpetua carnium abſtinentia debitè ſuſcepta, eſſet propterea deſtituenda? Minimè quidem, cùm iuſtis de cauſis, quarum nonnullas ſuprà tetigimus, vitam breuiare liceat, modo ſyncera ſit intentio, obſeruetur q; illud prouerbij: Ne q̃d nimis. Quod & Ioannes Gerſon aſſerit, dicens: in ſex caſibus generaliter licitum eſſe vitæ huius moribundæ detrimentum ſubire, ſcilicet pro bono obedientiæ, pro ſatisfactione peccatorum facienda, pro iuuamine charitatiuo proximi, pro euitatione grauis ſcãdali, pro acquiſitione virtutum, & demùm pro exterminatione vitiorum, carniſq; ad ſpiritũ ſubiectione. Quæ omnia diffusè proſequitur in Tractatu de non eſu carniũ, ad quẽ ſit tibi recurſus. Quibus animaduerſis, cõficiendum eſt, in ſtatu ſanitatis iugem à carnibus abſtinentiam rectè ſeruari poſſe, & idcirco car-

Gerſon de non eſu carnium. *Sex caſib' vitam breuiare licitum eſſe.*

nium eſu opus non eſſe. Sed ad alia tranſeamus.

Iam verò ſtatu ſanitatis expedito, de caſu debilitatis malæque valetudinis quarto loco agendum eſt. Primùm quidem generatim, ſciſcitando, vtrum in eo caſu rectè poſſit carnium abſtinentia obſeruari. Deinde ſpeciatim, an ſit dabilis morbus aliquis, qui carnium eſum neceſſariò flagitet. Primùm aggredietes, probemus authoritate, exemplo, & ratione, abſtinentiam huiuſmodi tum rectè ſeruari à Cartuſianis poſſe, nec propterea carnib' opus eſſe. Authoritate in primis D. Hieronymi, ita dicentis. Qui ægrotat, nõ aliter recipit ſanitatem, niſi tenui cibo, & caſtigatione victus. At verò non eſſet victum caſtigare ſeu dietam tenere, ſi languens (qui præſertim carnibus inſuetus eſt) carnibus veſceretur.

Benedictus. Deinde pro D. Benedicti ſentẽtia, debent ægroti monachi ab ægrotis ſecularibus diſcrepare. Quamobrem Cartuſiani ipſi, qui ſanitate fruentes prorſus carnes neſcierunt, debẽt vel morbo, vel debilitate affecti, eas ignorare, vt ſcilicet à ſecularibus vel in ea parte diſtent. Denique ſententia eſt quorundam recentiorum Doctorum, abſtinentiam non eſſe in caſu morbi deſtituendam: quando potiſſimùm aliter, quàm per remiſſionem eius, ſatis languido conſuli poteſt. At verò per eſum aliarum rerũ (quod probabitur) ſatis poteſt languentibus (præſertim monachis) prouideri. Non igitur cauſa morbi abſtinentia huiuſmodi neceſſariò ſoluenda eſt. Iam verò exemplis idipſum conficiamus. In primis exemplo Chriſti Domini (cuius omnis actio, noſtra eſt inſtructio) qui populari turbæ comitanti atque ſequenti, non carnes, ſed panes piſceſque tribuit:

Abſtinentia languenti quando non ſoluenda.

Ioan. 6. *Matt. 14. 15.* *Marc. 8.*

tribuit: cùm tamen multi languidi forent, qui eum ſectabantur, vt à ſuis languoribus ſanarentur, eſſentque tanta debilitate confecti, vt ſi eos ieiunos in domos ſuas dimiſiſſet, in via defeciſſent. Cùm igitur Dominus ipſe, qui nec falli, nec fallere nouit, debilibus ac languẽtibus, quibus ob triduanum ieiunium virtutis vitalis defectus imminebat, carnes non dederit: ſuo ſatis exemplo nobis inſinuauit, ad virtutis vitalis defectum, mortisque periculum in languentibus euitandum, carnium eſum neceſſarium nõ eſſe. Quod & Dauidis exemplo comprobatur, qui *1. Reg. 30.* pucro Amalechitarum ægrotanti atque ieiuno, non carnes, ſed panem, aquam, fragmen maſſæ caricarum, & duas ligaturas vuæ paſſæ, dari iuſſit. Cuius ſpiritus, poſtquàm comediſſet, reuerſus refocillatusque fuit: hoc eſt, reparata virtus vitalis, ob alimenti penuriam deficiens. Paulus quoq; Timothæo diſcipulo dilecto morborũ *1. Tim. 3.* frequentia debilitato, vini quidem vſum ſuaſit, carnium verò eſum (quod legatur) non indulſit: ſatis inſinuans, languentibus ac debilibus carnes minimè neceſſarias eſſe. Si enim neceſſariæ fuiſſent, cur non earum vſum, ſicut & vini, conceſſiſſet? Inſuper Monachorum exemplo penè infinitorum, qui in AEgypto, Thebaide, Scythia, Palæſtina, Nitria alijsque diuerſis terræ regionibus victitârunt, hoc ipſum comprobatur, qui carnium eſu, vel morbo, iugiter ſibi temperârunt. Loquens etenim Hieronymus de monachis, qui ſuo tempore angelicam in deſertis vitam agebant, ita inquit: De cibis & potu taceo, cùm languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid comediſſe luxuria ſit. Non igitur carnibus veſcebantur, qui coctum nihil

Hierony. de monachis antiquis ſententiæ.

 ede-

edebant, niſi fortè (ſed ſtultè) dixeris, eos cárnes crudas comediſſe. Denique (vt de Cartuſianis peculiariter agamus) quodam exemplo mõſtratum eſt diuinitùs, Cartuſianos debiles, maleque valentes non debere propterea carnibus vti. Etenim cùm venerabiles quidã, magnaq; autoritate viri in quibus fuit Gratianopolitanus Antiſtes, non longo poſt exordium Cartuſiæ ſectæ interuallo, in maiorem Cartuſiam ſpiritalis cõſolationis gratia ſe contuliſſent, nonnulloſque monachorum debilitate, alios verò ægrotatione affectos comperiſſent, putaſſentque ob defectum eius carnium huiuſcemodi detrimenta contigiſſe: Priori ſuadebant, vt ſuis alumnis carnes, vel ſuæ præſentiæ contemplatione, miniſtraret: addentes, in caſu neceſſitatis omnes carnibus vti debere, quod & paſſim obſeruaretur ab omnibus, & docti viri ita faciendum cẽſerent, qui ob nimiam quoque aſperioris vitæ obſeruantiam Cartuſianis ipſis timerent. Quod cũ Priori minimè perſuaderi poſſet, vtpotè qui carnium eſum prorſus deteſtaretur, & tanquam nefas in Iſrael perſeueranter exhorret, miſerunt nihilominus ſeruos ſuos, qui carnes Gratianopoli emptas deferrent. Igitur audientes domini ſerui, Gratianopolim adeunt carnes emunt, fideliter deferunt, apertiſque ſaccis, quod intus latebat oſtendunt. Mira res. Non carnes, ſed veri piſces, in quos emptæ carnes animalium fuerant cœlitus commutatæ, cunctis aparuerunt. Odor enim, color, ſapor, aliaque id genûs veros eſſe piſces luculenter indicabant. At verò Domini ipſi ſeruis ſuis planè fidem non tribuẽtes, ſed humano more arbitrati non carnes, ſed piſces emptos fuiſſe curauerunt per legitimã

Exemplũ de carnibus in piſces commutatis.

inqui-

inquiſitionẽ plenius effici certiores. Quid plura? Inquiſitione diligenter effecta, compertaq; veritate pleniſſimè, diuinum numen, quod veras carnes in veros piſces conuerterat, demirantes, quos antè carnibus vti volebant, ne id facerent, prorſus adhortabantur: aſſerentes (quod verum eſt) potentiſſimum Dominum ſine carnium eſu ſeruos ſuos alere, atque in cœpto propoſito ſine vitæ grauioriſq; periculi diſcrimine conſeruare poſſe. Sed iam auctoritatibus ac exẽplis, aliquid rationis ſubnectamus. Non debent carnibus veſci, quibus propterea imminet periculoſi vomitus detrimentũ, vel quãdo probabiliter timetur aliorũ ſcandalum, vel demum vbi ſatis apparet, eſum huiuſmodi in ſtatus aſſumpti iacturam ac diſſolutionem vergere. At verò ſi carnium eſum præſumerent Cartuſiani, putatur eos in pericula huiuſmodi faciſlimè venturos. Non debẽt igitur carnibus vti. Enimuerò vt primũ probemus: ſi Cartuſiani languentes carnibus veſcerẽtur, non dubitatur, eos ob longã eſus huiuſmodi deſuetudinẽ, mox ad nauſeam prouocatũ iri. Videre enim eſt multos ſeculariũ, cum poſt quadrageſimale ieiuniũ ad carnes redeunt, cõfeſtim ad vomitũ concitari, interdumq; propterea in morbũ decidere. Quid (quęſo) de Cartuſianis, qui fracto per ieiunia corpuſco, debilitatoq; ſtomacho, & exiguis demũ viribus, lõgos admodũ annos ſine carnib' perſeuerauerũt, vſq; adeò, vt nec earũ quidem nidorẽ ſenſerint, futurũ eſſet? Enimuerò ſine vomitus horrore non creduntur poſſe inſuetis carnibus vti. Quantum verò languentibus ipſis per vomitum afferretur detrimẽti, nullus eſt qui neſciat. Deinde ſi carnes ederẽtur à Cartuſianis, dubiũ non eſt, graue ſcan-

Ob. 3. pericula Cartuſian. à carnibus abſtinendum.

ſcandalum & apud fratres abſentes, & apud probos, doctoſque ſeculares, ne ignaros prurienteſque auribus addam, protinùs ſuſcitatum iri. Mirarentur enim vehementer (nec iniuria) vnde tanta neceſſitas ſeculis inaudita prodire potuiſſet. Iam enim cùm hæc ſcriberentur, quadringentos & 36. annos Cartuſianus Ordo durauerat, nec tamen tanto tempore quiſpiam repertus eſt, cui languenti carnium eſu opus fuerit. Eſſet igitur, omnibus diligenter animaduerſis, huiuſmodi recens temeritas plurimum ſcandali dati (vt noſtrorum more loquar) dubio procul allatura: quo caſu nequaquam carnibus veſcendum eſſe, ſatis Apoſtolus edocet, cùm

Rom. 4. inquit: *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt,*

1. Cor. 8. Roman. 4. Et iterum: *ſi eſca ſcandelizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrẽ meum ſcandalizem*, ad Corin. 8. Deniq; ſi huiuſmodi eſum præſumerent Cartuſiani, quid aliud quæſo contingeret, quàm repentina totius Ordinis iactura diſſolutioque, ac nulla reparabilis arte ruina? Cùm enim perpetua carnium abſtinẽtia ſit de præcipuis Cartuſiani propoſiti obſeruantijs, vna, haud dubiè non poſſit, ea poſtergata, propoſitum ipſum ab interitu vindicari. Tam enim præceps eſt ad lapſum humana miſeria, vt duris etiam conſtricta lupatis, vix debito in tenore ſeruari poſſit. Verùm ſi quid rimatum, vel incuria, vel nimia licentia in religioſis obſeruantijs appareat, omnia protinus effluũt, & quod de ventis AEolicis, ait Virgilius:

Virgilius. *Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.*

Etiam

Etiam de ventis diſſolutionis rectè dici queat. Enimuerò ſi porta laxitatis parumper fuerit aperta, videas protinùs regulares cæremonias magno turbine concitari, & ventis ipſis (quos diſſolutiones diximus) vſque adeò turbari omnia, vt vix vnquam poſſit regularis diſciplinæ poſtmodum haberi tranquillitas. Adde, ſi huiuſmodi abſtinentia morbi cauſa paſſim ſolueretur (qua eſt imbecillitate genus humanum) multi ſtatim in vetitum nephas vel apertè niterentur. Suæ etenim auiditati ſatisfacere mollètes, languorem ſimularent, quò poſſunt impunè cócupitis carnibus veſci. Quod ſi fieret, de Cartuſiani propoſiti cenſura prorſus actú eſſet. Non igitur abs re, ſed optimo iure in omni lãguore generatim, huiuſmodi abſtinentiæ rigor à Cartuſianis obſeruatur. Sed dicis: Eſto, poſſit huiuſmodi abſtinentia in caſu morbi plerumque obſeruari, non tamen vniuerſaliter ac ſemper id ſanè fieri poteſt, cùm interdum languidus nó poſſit citra carnium eſum mortis periculum euadere, quod ſcilicet nihil aliud dari queat, quod ita ſufficiẽter, vt carnes, virtutem deficientem inſtauret, aut etiam, quòd morbus ipſe ſuaptè natura carnium eſum neceſſariò flagitet. Reſpondemus, in nullo morbo periculum mortis ob defectum eſus carnium imminere, quin ſcilicet (quantum eſt ex parte morbi) ſufficienter languido aliarum rerum iuuamine prouideri queat: ideoque nullum eſſe morbum humana ope curabilem, qui non poſſit ſine carnium eſu ſatis curari. Quod & authoritate, & ratione conficere poſſumus. Authoritate inprimis Arnoldi de Villa noua Medicorum omnium (qui ſuo tempore floruerunt) facilè principis, qui

Nullum eſſe morbum curabilem, quì non poſſit ſine carnium eſu curari.

Arnoldus

veraciter aſſerit, ſubtiliterque defendit, languidos poſſe ſine carnium eſu à mortis periculo liberari. Cui planè recentiores medicinæ profeſſores aſtipulantur. Omnes enim, quos ſuper hoc negotio rogaui, haud dubiè reſponderunt, nullum eſſe morbum, quin ſine eſu carnium curari poſſit. Quod & rationibus comprobari poteſt. In primis ſi ad vitãdum in languidis periculum mortis opus eſſet carnium eſu: hoc quidem vel ex parte virium humanarum, vel iuuaminum, vel cauſarum vitam perdere ſolitarũ, vel morborum contingeret. At verò nullum horũ rectè dari poteſt. Non enim ex parte virium humanarum confici poteſt, eſum carnium languentibus ſic neceſſarium eſſe, vt citra eam nequeant à mortis periculo liberari. Quod vt probemus, ſupponamus, pro medicorum ſententia, tres eſſe animæ vires, ſcilicet: Vitalem, per quam & anhelitus & pulſus in toto corpore exercetur, cuiusque defectum ſequitur vitę defectus: Cognitiuam, per quam fit cognitio, cæteraque propria animalium officia, cuiuſmodi ſunt ſentire, imaginari, æſtimare, memorari: Motiuam denique, per quam motus efficitur in mẽbris. Hoc ſuppoſito, probationẽ conficiamus eiuſcemodi. Nulla præfatarũ virium carnes exigit ad ſuã vel inſtaurationem vel conſeruationem, ſed quæuis earũ ſine carnium eſu poteſt ſatis in languentibus inſtaurari atq; conſeruari. Igitur poteſt & languidus ſine carnibus à mortis periculo præſeruari. Ipſis etenim virtutibus ſufficienter reparatis, conſeruatisque, nihil eſt, quod vitæ naturali timendum ſit. Quòd autem ſine carnibus poſſit in languidis virtutis vitalis ac cognitiuæ inſtauratio fieri, nullo negotio monſtrari

ſtrari poteſt: quandoquidem ad huiuſmodi virium reparationem plus proſunt alimenta, quæ in ſubtilem purumq; ſanguinem celeriter conuertuntur. Vires enim huiuſcemodi multitudine ſpirituum, qui ex tali ſanguine generantur, ſuas operationes perficiunt. Igitur cum alia ſint alimenta, quæ huiuſmodi ſanguinem ſpiritumque ſatis pariunt, imò nonnulla ſint, quę facilius ac vberius hoc ipſum præſtant, quàm carnes, non erit pro huiuſmodi virium reparatione neceſſarius carnium eſus. Quoad virtutem verò motiuam, licet carnes alijque cibi groſſi, qui denſum tenacemque ſanguinem gignunt, vtiles eſſe poſſent, quippè membris languentibus maius robur imprimerent, non eſt tamen abſolutè carnibus opus. Siquidem (pro Galeni ſententia) non eſt neceſſaria confortatio virtutis motiuæ in ægris decumbentibus, vtpotè qui parum indigeant eius operatione. Quibus omnibus ſatis monſtratum putamus, propter humanarum virium confortationem non eſſe languidis neceſſarium carnium eſum. Iam verò hoc ipſum oſtendamus, ex parte iuuaminum, ſeu remediorum, quæ duo eſſe in genere comperimus. Vnum quidem contra morbi furiam, alterum verò contrà vitalis virtutis defectum, qui ob alimentorum penuriam contingere ſolet. At verò ſine carnibus remedia ſatis opportuna vtrique detrimento adhiberi queũt. Non igitur eſt carnibus opus. Quod autem ſine carnium eſu alia quædam antidota ſufficiant, facile eſt conficere. Etenim contrà morbi furorem, non carnium eſu, ſed apto medicamine, quod ægretudinis diſſipet acerbitatẽ, opus eſt. Contrà verò vitalis virtutis defectum, qui

Alimenta alia eſſe, quæ plus proſunt, quam carnes.

Galenus.

qui ob indigentiam cibi timetur, agendum eſt cibis opportunis, qui celeriter virtutem ipſam confortare atque inſtaurare queant, cuiuſmodi ſunt oua, quæ hoc meliùs quàm carnes efficiunt. Neque verò tutum eſt, huiuſmodi remedia permutare: quandoquidē (vt clariſsimus Princeps Medicorum Hippocrates infit) ſi deficientibus præ furia morbi, cibus exhibeatur, ſuffocationis, vel alterius vexationis grauamine ſuperaddito, vitam coguntur finire celeriùs: deficientibus autem propter penuriam alimenti, ſi denegetur cibus, & medicationi ſubdantur, expirant velociùs tabefacti. Adde, ea quæ tribui ſolent ad vitalem virtutem inſtaurandam, vitamque ab interitu protegendam, vel ſunt cibi tantùm, qui ſcilicet corpus fouent ac nutriunt: vel cibi medicinales, quibus videlicet plus ineſt virtutis in cibando, quàm medendo: vel medicinæ cibales, quibus è diuerſo plus adeſt virtutis medicinalis, quàm cibalis, vel denique medicinæ. Cùm igitur carnes per modum cibi, non autem medicinæ ſumantur, valeantque tantùm ad ſuccurrendum virtutis vitalis defectui, qui ob ciborum penuriam timetur: palàm eſt, eas languidis minimè neceſſarias eſſe, cùm per alia iuuamina, puta per vitella ouorum, poſſit virtus ipſa vitalis inſtaurari ac foueri, meliùs quidem, ac ſecuriùs interdum, quàm per carnium eſum. Non ſunt igitur audiendi, qui ſomniârunt, carnibus ineſſe quandam virtutē peculiarem, quæ morbis nonnullis conducere poſſit. Dent, quæſo, virtutem illam, dent & morbum ipſum. Si dare nequeant, obmuteſcāt. Sed iam ad cauſas, quæ vitalem virtutem proſternere, ac vitam ipſam perdere ſoleant accedamus, probātes vel hoc modo carnes

Hippocrates.

lan-

languidis neceſſarias non eſſe. Enimverò cùm duæ tantùm cauſæ generales comperiantur, quæ virtutem ipſam perimere conſueuerunt, ſcilicet malitia morbi reſoluentis, & defectus alimenti ſufficientis, quod vim ipſam reſtaurare, conſeruareq; poſſet, ad neutram earum abſcindendam carnibus opus eſſe videtur. Siquidem ad pellendam morbi malitiam, non carnium eſu, ſed apta medicina opus eſt. Ad ſuccurrendum verò defectui, qui ob alimenti penuriam contingere poſſet, licèt carnes ipſæ nonnunquàm adiumento eſſe poſſint, non tamen prorſus neceſſariæ ſunt, quòd ſcilicet alijs cibis (puta ouis, piſcibus, ſorbitiunculis, ordeato, auenato, lacte amigdalino, alijsq; id genus aptè paratis) huic detrimẽto ſatis conſuli poſſit. Deniq; vel ex parte morborum, carnium eſum minimè neceſſarium eſſe probemus. Si enim quiſpiam morbus ſit, cuius furia vel mitigari, vel prorſus expelli, niſi per eſum carnium, minimè queat, detur ille quæſo, & noui aliquid proferatur in mediũ. Non enim (quod à probatis Medicis accepi) vel priſcorum vel recentiorum monimentis, de huiuſmodi languoris genere quicquam hactenus commemoratum eſt. Afferat igitur morbum eiuſmodi noſter Oblocutor, ſi vel ingenio præſtantiori, vel meliori memoria, quàm AEſculapius, quàm Hypocrates, quàm Galenus, quàm Auicenna, quàm demùm cæteri medicæ artis alumni. Afferat, inquam, vel potiùs taceat, diſcatq; nec virium naturalium, nec remediorũ, nec cauſarum lætalium, nec denique morborum contemplatione, carnium eſum languidis prorſus neceſſarium eſſe. Quod & alia ratione conficere certũ eſt. Cùm enim nec ex parte virium, nec aliorum

quo-

quoque, quæ dicta ſunt, neceſſariò exigātur carnes (vt oſtenſum eſt) igitur ſi carnium eſus languidis ipſis forſan neceſſarius foret, hoc eſſet in aliquà morbi parte, vtpotè in eius initio, vel aſcenſu, vel ſtatu, vel declinatione. Sunt enim iſta quatuor (ſcilicet initium, aſcenſus, ſtatus, & declinatio) partes, in quas morbus diuidi ſolet: ſed in nulla partiū harum carnium eſu omninò opus eſt. Non enim in prima, hoc eſt, morbi principio. Siquidem carnium eſus in exordio periculoſi languoris, puta grauis febris, à prudentibus Medicis denegatur. Nec iniuria quidē. Tūc enim ope medicinali, cibiſq; exiguis, & facilioris quidē digeſtionis, quam ſint carnes opus eſt. Non enim pro Hieronymi ſententia, languidus ſanitatem cōſequitur, niſi tenui cibo, & caſtigatione victus, quæ dieta à Medicis dicitur. Nec in aſcenſu quoq; hoc eſt, quando morbus creſcere cœpit: quod eadem ratione confici poteſt. Nec etiam in ſtatu, cùm ſcilicet morbus eſt in ſūmo. Tunc enim aut morbo victa virtus ſuccumbit, & tunc non carnibus, ſed ſepulchro opus eſt: aut virtuti morbus ipſe cedit, quando ſcilicet per vomitum, egeſtionem, ſudorem, aut aliam quamuis purgationem, morbum natura ſuperat, & tunc nec carnibus quoque opus eſt. Siquidem in illa graui lucta, quæ tunc inter vitalem virtutem, morbumq́ue mutuò conſeritur, nihil operæpretium eſt carnes intus adhibere, quippe quæ potiùs tum impedimento, quam adiumento forent, ſcilicet ipſam occupando naturam, & ne contra morbum ſe tam validè defenderet officiendo. Virtus enim vnita magis quam diſperſa, fortior, & ad debellandum hoſtem ſuum, ſcilicet morbum, aptior eſſe ſolet.

Nec

Nec denique in morbi declinatione, de qua magis videtur, carnes neceſſariæ ſunt. (licet interdum vtiles nonnullis eſſe poſſunt.) Si enim potens fuit natura morbũ vincere, cùm in ſuo feruore ac furia eſſet, totiſque viribus graſſaretur, procul dubio magis poterit in eum, cùm debilior fuerit effectus.

Adde pro Hieronymi ſententia, quibus cibis recipitur ſanitas, his & ſeruari poteſt. cùm igitur ad eius recuperationem non fuerit carnibus opus: nec ad eius plenam inſtaurationem opus erit. Sed dicas: Si in morbi declinatione carnes adhiberentur, & faciliori modo, & breuiori tempore ſanitas repararetur. Dicimus primum, alia eſſe alimenta, quæ vicem carnium ſupplere, aut certè naturam iuuare ad ſanitatem in priſtinum gradum reſtiduendam, ſatis poſſunt. *Hieronymus.*

Deinde peculiariter de Cartuſianis agendo, reſpondemus: ſi forſan in recuperanda ſanitate moleſtiam, difficultatemue ſentirent, vel tardiùs bonam valetudinem propter carnium defectum conſequerentur, non debere tamen à cõſuetudine laudabilis vitæ propterea diſcedere, inſuetamque nouitatem inducere. Ad hanc enim inſolentiam multa pericula, vtpotè ſcandali, diſſolutionis Ordinis, aliorumque id genûs imminere, dubium non eſt: quæ Cartuſianum prorſus cauere oportet, etiamſi tardiùs atq; moleſtiùs ſanitate potiri habeat. Dicimus inſuper, languidos Cartuſianos propter carniũ defectũ nec moroſiꝰ, nec lentiùs ſanitatem aſſequi ſolere, quod & experientia docet, & teſtatur, qui periculum fecerunt. Ita enim vſu venit, vt partim victûs parſimonia, partim diuino munere,

languentes Cartuſiani minus torqueantur, ne ſcilicet ad carnes edendas (aliorum Monachorum inſtar) concitentur, qui adhuc imperfecti ſunt, aut fragantur impatientia, quippè qui pauca habeant antidota, quibus longis tædioſiſque morborum incommodis ſuccurrere valeant.

Non igitur eorum morbi carnium eſum flagitant: eſtò aliorum, qui carnibus aſſueti ſunt, depoſcerent. Denique reſpondemus, Cartuſianos nec ſalubriter, nec tutè poſſe carnium eſum præſumere, cùm morbo afficiantur. Siquidem nullus rectè ſentiens dixerit, eos, qui nunquam carnibus vſi ſunt, cùm in languorem incidunt, carnibus vti debere, quemadmodum non eſſet eis vino tunc opus, qui nunquam vinum bibiſſent. Sed Cartuſiani languentes perindè ſe habent, ac ſi nunquam carnes ediſſent, quãdoquidem ipſius abſtinentiæ conſuetudinem verterunt in naturam. Eſt enim cõſuetudo altera natura. Quapropter ſi morbo preſſi carnium eſum attentarent, magis naturæ officerent, quàm prodeſſent: maximè repugnante diutina conſuetudine, quæ iam præſcripta eſt, vim legis obtinuit, tranſijt in naturam, & demùm ita priuilegiata ac confirmata eſt, vt non poſſit ſine graui periculo violari. Huiuſmodi victus mutationẽ non poſſe fieri ſine graui diſcrimine vitę, perſpiciuũ eſt, cùm periculoſum ſit, aſſuetum viuendi modum protinus relinquere, & diuturnæ conſuetudinis iura permutare. Tantæ enim eſt virtutis ac authoritatis longus vſus, vt vix ſine detrimẽto commutari poſſit. Quam ob rem vbi mutatione opus eſt, magna cautela videtur adhibenda, ne ſcilicet ex varietate huiuſmodi graue aliquod

quod(vt aſſolet)detrimentum contingat. Denique tota clamat Philoſophia, ſubitas, inſolitasq; mutationes periculoſiſsimas eſſe. Quo igitur pacto poterit languens Cartuſianus inſuetis carnibus vti, cùm etiam ſanus vix tutè poſſit eas inſumere? Sed & mirum eſſet, alimenta illa, quæ languentibus Cartuſianis hactenus data ſunt ſatiſque fuerunt, nunc minimè ſufficere poſſe. Quibus animaduerſis, planè cõficiendũ eſt, languidis Cartuſianis carnes minimè neceſſarias eſſe, quippè qui poſſint (quãtum elt ex parte morbi) ſine carnium eſu à mortis præſeruari diſcrimine. Quòd ſi dixeris, contingere poſſe, vt vel morbo affecti nihil penitus cibi, præter carnes, habeant: Dicimus, hoc neminem mouere debere. Non enim negamus, indigentiam ciborum, aliasque neceſſitates languidis, ſicut & ſanis accidere poſſe: ſed dicimus, nullum eſſe morbum, qui ſuaptè natura carnium eſum neceſſariò poſtulet, eaque de re languidis Cartuſianis (quantum ad morbum pertinet) ſatis ſine carnibus cõſuli poſſe. Vbi autem neceſſitas aliundè, quam ex morbo contingeret, tunc alius caſus eſſet, de quo ſtatim agetur. Itaque reſoluentes dicimus, languidis Cartuſianis carnes neceſſarias non eſſe, eamq; ob rem ab earum eſu ſemper ſibi temperare debere. Sed iam expeditis his, quibus nec indubia, nec ineuitabilis neceſſitas ineſt, quinto loco certæ extremæque neceſſitatis caſum ſubiungamus, veſtigantes an in caſu huiuſcemodi Cartuſianus aſtringatur carnibus veſci. Qua in re dicimus primum, Cartuſianos in extrema, certaque neceſſitate conſtitutos, ad non edendas carnes ſuis legibus aſtrictos non eſſe. Quod ne temere dicere videamur, probemus

ratione & exemplo. In primis(vt rationem tangamus)Cartuſianæ leges abſtinentiam carnium prohibentes, nihil prorſus de huiuſmodi neceſſitate extrema meminerunt. Igitur pro regula magiſtrali, debent cum illius excluſione prorſus accipi. Adde quòd non tenetur quiſpiam effectus Cartuſianus ad aliquid obſeruandum, quòd anteà ſeruare nó tenebatur niſi quantùm ſui ſtatus, ſuæq; profeſſionis, ac legis ſuſceptæ limites
D. Berna. ſe extendunt. Vt enim Diuus Bernardus in libro de præcepto & diſpenſatione inquit: Quiſquis profeſſus in quouis genere ſalutiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ legem cogendus, nec citrà eſt inhibendus, quàm ſua ipſius videtur complecti profeſſio. Non igitur (vt ibidem concludit Bernardus ipſe) Prælati iuſſio vel prohibitio præterire debet terminos profeſſionis, quippè quæ nec vltrà extendi poteſt, nec contrahi citrà. At verò (vt propoſitum ſequamur) Cartuſianus nec ſuæ profeſſionis, nec ſuorum quoq; ſtatutorum obligatione ad carnium abſtinentiam in extrema, certaque neceſſitate obſeruandam tenetur, quemadmodum ex eorum tenore accipi poteſt. Non igitur ſui ſtatus contemplatione in eo caſu obnoxius eſt Cartuſianus, ſed ab obligatione ita prorſus immunis putatur, vt cæteri monachorum. Sed iam ſubnectamus exemplum. Conſtitutus in deſerto Cartuſianus quidam, cum nihil haberet, quò vitæ periclitanti propter vehementem ſitim, quæ tùm acciderat, conſulere poſſet, tandem equi ſui venam aperuit, & quem traxerat cruorem ſiti confectus hauſit. Quod facinus vbi Patres reſciuerunt, non incuſarunt. Palam enim erat hominem ipſum non potuiſſe crudũ, equi-

numque ſanguinē ſumere (quod vel horrorem incutit narrādo) niſi extrema eum adegiſſet neceſſitas. Quam quidem cum ſuis circumſtantijs prudenter illi animaduertentes, nullumq; proptereà rationabiliter oriri ſcandalum poſſe arbitrati, nullas ei pœnas, quas alioqui dediſſent, imponendas cenſuerunt. Vides hoc exemplo, vt in extrema certaque neceſſitate, quando pręſertim ſuaptè natura nihil eſt ſcandali paritura, non interdicantur ſuis legibus Cartuſiani carnes edere,. Dicimus nihilo ſeciùs, vbi ſcandalum fratrum, vel Ordinis diſſipatio apertè aut probabiliter immineret, Cartuſianum non debere tunc carnibus vti. In eo enim caſu cùm Apoſtolo dicere haberet: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* 1.Cor. 8. Qua enim precor temeritate tunc auderet pro fouēdo corpore fœdito, quod forſitan perendiè in putredinem, vermem, cineremque, communia humani generis opprobria, reſoluetur carnibus veſci. Veſci, inquam, cum alienæ iactura ſalutis, cum inſolito ſcandalo, cùm denique periculoſo ſui Ordinis detrimento? cui ſi paruula diſſolutionis rima pandantur, de illo actum putatur. Nō debet igitur in eo caſu carniū eſum præſumere, vtpotè qui lege diuina prohibitus ſit. Cui aſtipulatus Ioānes Gerſon aſſerit, Cartuſianū in extrema neceſſitate, quam carnes edēdo Gerſon. veriſimiliter euadere poſſet, conſtitutum carnibus abſtinere poſſe, imò pro vitatione ſcandali debere. Siquidem vt, inquit, plus eſt anima proximi, quam corpus proprium. Qua in re colligimus, Cartuſianū vix vnquam licitè, ac ſalubriter poſſe carnibus veſci. Aut enim extrema neceſſitas non adeſt, aut ſi adeſt, certa atq; indubia pe- *Carnes comedere quando poſsit Cartuſianus.*

 nitus

nitus non eſt: aut ſi certa eſt, plena tamen fides (quæ ad ſcandalum, periculumq́; diſſolutionis arcendum ſufficiat) vix fieri poteſt. Conſiderata enim temporis diuturnitate, qua ſine carnium eſu Cartuſianus Ordo ita perſeuerauit, vt nec vnus quidem reperiatur, qui in neceſſitatē edendarum carnium aliquando inciderit (licet vnus quidam, vt diximus, ſanguinem crudum bibere compulſus ſit) conſideratis denique alijs permultis, vix poſſet modus reperiri, quo pręſétes futurique poſſent de ipſa neceſſitate extrema prorſus fieri certiores. Ad hanc igitur nouitatis præſumptionem graue ſcandalum, non tantum apud Cartuſianos ipſos, ſed apud probos quoq; ſeculares, ferè ſemper ſuſcitandum iri dubium non eſt, quò tamen non ſatis vitato ſéper noxius creditur carnium eſus. Dicimus inſuper, Cartuſianum in extrema, certaque neceſſitate conſtitutum, non debere prima fronte carnibus vti, ſed quod in ſe (vt noſtrorum verbis vtar) in primis efficere, antequã edere præſumat. In rebus enim grauibus, inſolitis, ac periculoſis temerarium eſt quicquam incœptare, niſi primum ea, quibus opus eſt, præmiſſa fuerint. Debet igitur Cartuſianus eſui carnium inſuetus, antequã in huiuſmodi neceſſitate ſumere tentet, diligenter animaduertere, an ille ſit indubius ac ineuitalis neceſſitatis extremæ articulus, quique vel ſuapte natura, vel alio pacto vbi reſcitus fuerit, non videatur cuiquam ſcandalum parere poſſe. Deinde plangere habet, quod in eum neceſſitatis articulum (forſan ſuorum piaculorum cauſa) venerit ſimulque pientiſſimum Dominum ſuppliciter orare, vt aliter quam per eſum carnium dignetur tantæ neceſſitati prouidere.

dere. Inſipiens etenim eſt, qui vel arduum aliquid ſine oratione moliri præſumit, vel in graui periculo conſtitutus, preces fundere negligit. Denique famem pro viribus patienter ferre, ne voluptate potiùs agi videatur, ſpemque in Domino figere, & demùm rei exitum plenus fide poſtulari debet. Qui enim carnes in piſces commutauit, poterit & ſine carnibus extremæ calamitati ſuccurrere. His enim obſeruatis, putamus Cartuſianum huiuſmodi; & quod in ſe eſt feciſſe, & carnibus syncerè veſci poſſe. Putat & idem Dominus Ioannes Gerſon, qui refert, *Gerſon.* multos Cartuſianos præſtantes viros à ſe rogatos, quidnam eſſet effecturi, ſi in carcere, deſertoue loco conſtituti, nihil haberent præter carnes ad veſcendum, protinus reſpondiſſe, ſe potiùs abſque ſcrupulo comeſturos, quam mortis detrimentũ ſubituros. *In carcere conſtituta quid faciendum.* Quibus & ego homululus non diſſentiens, ſine vllo pectoris ſcrupo tantæ neceſſitatis ãguſtia preſſus (obſeruatis potiſſimum illis, quæ ſuprà tetigimus) pro vitando mortis iaculo carnes ederent. Curarem tamen diligentiùs, vel factũ huiuſmodi latere, vel neceſſitatis illius teſtes habere, quò & ſecuriùs diſciplinæ regularis ſeueritatẽ, quæ forſan ad cautelã infligeretur, euadere, & ſcandali occaſionẽ longiùs arcere poſſem. Quod & reliquos Cartuſiani propoſiti cultores ſanè facturos puto. Sed forſan dicis, te mea verba mirari, vtpotè quibus carnes ſanis indulgeam, quas languidis anteà denegabam. Fateor, eas vt minus neceſſarias, quantum eſt ex parte morbi, languentibus denegaſſe. Nullus enim morbus ſuaptè natura carnium eſum neceſſariò flagitat. At verò ſi cuipiam languenti certiſſimè neceſſitatis extremæ

calamitas obtingeret (poſſunt enim languidis, ſicut & ſanis multa, quæ morbus non affert, detrimenta contingere) carnes tunc denegandas minimè cenſui. Poſſunt equidem & ipſi tutiùs ac liberiùs, non quidem morbi, ſed neceſſitatis huiuſcemodi cauſa, carnibus vti. Sed pergis adhuc, & quæris: an ſicut in huiuſmodi neceſſitate poſſunt, ita & teneantur Cartuſiani ipſi carnibus veſci? Multa enim vel iure poſſumus, ad quæ tamen non aſtringimur. Hæc quæſtio nullam in Cartuſianis, pluſquàm cæteris monachis, ambiguitatem habet. Eiuſdem enim ſunt in hoc verò neceſſitatis articulo conditionis. Eſſet autem maior quæſtio in eo, qui de carnibus in nullo caſu vnquàm edendis, expreſſum votum feciſſet. Verùm communis Doctorum opinio ſentit, penitus omnes in huiuſmodi neceſſitate conſtitutos, non ſolùm ſyncerè poſſe, ſed etiam debere carnibus veſci, periclitantique vitæ conſulere. Ita enim Sanctorum authoritates apertè ſonant, ita ſolidæ rationes conficiunt. Tametſi nonnulli ſingularitatis cultores aliter ſentiant, dicentes, vel potiùs ſomniantes, in eo caſu abſtinentiam huiuſmodi licitè teneri, mortemque ſuſcipi ſine culpa poſſe. Sed trita ſectari veſtigia tutius eſt, illis præſertim conditionibus, quas ſuperiùs tetigimus, obſeruatis. Qua in re videant inſani obtrectatores, quàm mendaciter ac perniciosè Cartuſianam abſtinentiam taxent, mordeant, deteſtenturque. Videant, inquam, quàm iniuriosè Cartuſianos ipſos inhumanos, crudeleſq;, & homicidas vocent, & verbis & ſcriptis inſectentur. Videant demùm, quam ſint in extremo iudicio rationem pro tantis auſis reddituri.

Non

Non enim tam aperta mendacia, tamque grauia conuicia tandem inulta manebunt. Sed de his iam ſatis.

CAPVT VIIII.

Soluuntur rationes, quæ ſtatuta Cartuſiana circa abſtinentiam à carnibus perpetuam, & ipſam quoque abſtinentiam oppugnabant.

IAM verò ſolutiones argumẽtationum principio adductarum nouiſſimo loco ſubnectamus. In primis tamen monentes, magnam ipſarum obiectionum partem ex quodam libello contra defenſionem Ordinis Cartuſiani, per ſapientiſſimum Medicum magiſtrum Arnoldum de Villa Noua confectam ſomniato, decerptam fuiſſe. Non enim obiectiones illæ, vt iacebant, poſitæ ſunt. Tantam enim Barbariem, tantaſque inuolutionum tenebras (quibus refertus eſt libellus ille) doctæ aures ferre non potuiſſent. Quis autem eius author fuerit, neſcio. Suſpicor tamẽ eum de genere fuiſſe eorum, qui ſedebant in porta, & aduerſus Ordinem Cartuſianum loquebantur. Sed vtcunque res habeat, author ille quiſquis fuerit, ſe moribus Epicurum, Barbarum verbis, ſententiarum inopem, bonarum quoque literarum neſcium, luculenter oſtendit. Oſtendit & ſe penitus arrogantiſſimũ, quippè qui Medicinæ (quod vel apertè monſtrat) ignarus, auſus ſit cum expertiſſimo, probatiſſimoque Medico pugnam inire, & demùm carpere, quod funditùs non capiebat. Sed iam reſponſiones eo ſubijciamus ordine, quo difficultates ipſæ propoſitæ fuerunt. Ad primam igitur, quę de voto erat, cùm ſatis reſponſum ſit,

vnica negatio ſatis eſt. Hoc eſt, nullum eſſe Cartuſianis votum de carnibus nunquam edendis: tantum abeſt, vt votum, quod extremam neceſſitatem complectatur, emittant.

Ad alteram verò improbationem, quæ de Cartuſianis ſtatutis agebat, in primis dicimus, te tuum (mi Oblocutor) cerebellum in ea re caſſo labore fatigaſſe, cùm ſtatuta Cartuſiana quæ de carnium abſtinentia meminerũt, extremam neceſſitatem, vt putabas, nequaquam amplexentur. Quapropter non fuerũt abs te, velut iniqua, tam leuiter laceranda. Non fuerunt quoq; Cartuſiani ipſi de charitatis defectu temerè taxandi. Non demùm vocandi crudeles aut inhumani, quippe qui ſuis languidis ea tribuant, quibus opus eſt. Sed fortaſsè aliquis tui ſimilis dicat: cur non eſt extremę neceſſitatis articulus per ſtatuta ipſa peculiariter exceptus? Multorum enim lubricam linguam expreſſa cohibuiſſet ademptio. Reſpondetur primùm, in legibus huiuſmodi non ſemper oportêre omnia verbis opertis conſequi, quę linguacibus peſſulum obdere poſſent, maximè cũ iubeatur quiſq; vel reticere ſalubriter, vel ſaniorem in partem interpretari. Adde nonnunquam, impoſſibile eſſe, caſus omnes, qui ſecludi meritò poſſent, lege ipſa peculiariter cõplecti, nec propterea tamen legem inſufficientem eſſe. Deinde reſpondetur, non ſatis conſultè exceptionem huiuſmodi fieri potuiſſe, cùm in ſtatutis humanis quandoque nimium expreſſa nocere ſoleant. Enimuerò ſi caſus huiuſmodi ſpeciatim exemptus fuiſſet, putaſſent fortè plerique, in alijs quoque caſibus carnium eſum licere, aut certè caſus alios excogitaſſent, vel neceſſitatem ſimulaſſent hi, quorũ ad carnes edendas

das appetitus, vel auiditate nimia, vel tentatione alia concitatus fuiſſet. Itaque rigor abſtinentiæ paulatim laxatus tandem à ſeptis Cartuſianis procul exulaſſet. Denique reſpondetur, non fuiſſe opus, additionem huiuſmodi efficere, quod huiuſmodi caſuum exceptio ſatis aliundè trahatur. Et primùm quidem legis naturalis rectæque rationis (quæ vitam ſeruare iubet) lumen ſatis oſtendit, caſum huiuſmodi de numero eorum eſſe, qui niſi peculiariter includantur, paſſim excepti intelliguntur. Lege quoq; diuina hoc idem ſatis cõſtat, quippe quæ in exercitijs huiuſmodi corporalibus rationabile obſequium eſſe iubet, nec ſinit huiuſmodi generales hominum cõſtitutiones, caſum extremæ certæque neceſſitatis ambire. Deniq; prudẽtia quadam ac diſcretione ſeu virtute epicheiæ poteſt ſufficienter hoc effici, quandoquidem per ſimilitudinem ac collationem ad alias leges vniuerſaliter latas, quæ extra caſum neceſſitatis extremæ paſſim interpretari ſolent, confici poteſt, & hanc quoque Cartuſianam legem cum illius neceſſitatis excluſione capiundam eſſe. Non igitur expreſſa ſecluſione opus fuit. Quoniam rurſus ſtatuta ipſa propter generalitatem carpis, dicens in primis, quò generaliora, eò peiora eſſe: Reſpondemus, & argumentationem tuam nullius eſſe momenti, & ſimilitudinẽ quoque adductam nihil propoſito conducere. Eſtò enim: bonum communius (cæteris paribus) ſit melius, & è diuerſo malum generalius, ſit peius (ſaltem extenſiuè) nihil tamen ad rem, cùm ipſæ conſtitutiones Cartuſianæ (de quibus ſermo eſt) iuſtæ ſint, & ab omnis erroris iniuria prorſ° immunes, nec generalitas quicquam officit, vt ſatis Rom. 12.

oſtenſum eſt. Supponebas igitur (quod non probaſti) conſuetudines ipſas iniquas eſſe, ꝙ falſum eſſe docuimus. Sed nec altera probatio (qua conficere nitebaris, cōſtitutiones ipſas rationi conſentaneas nō eſſe, propter varietatem eorū, quibus latæ ſunt) quicquam valet. Etenim in Republica maior eſt morū, complexionum, aliorumque id genûs diſparilitas, quàm in cōmunitate Cartuſiana: nec tamen publicas leges (quæ generatim imponūtur) propterea iniquas eſſe quiſquam, niſi mentis inops, dixerit. Eſtò, nonnulli maiorē difficultatem in earū obſeruatione patiantur, quàm alij. Vt enim in corpore humano habet vnū membrū pro alio pati, ita in corpore myſtico. Quam ob rem non eſt lex reprobanda, quæ generatim lata non poteſt æqua facilitate ab omnibus impleri. An omnes (obſecro) diuinum de ſeruanda caſtitate præceptū æquè faciliter obſeruent? Minimè quidem. At verò quis, niſi impius ac blaſphemus, præceptum ipſum vellicare præſumpſerit? Non debet igitur lex propter varietatem eorum, quibus fertur (modò aliàs iuſta ſit) iniqua cenſeri.

Dicimus inſuper, omnes eos, qui Cartuſianam ſarcinam ſuis humeris impoſuêre, primùm probaſſe ſufficienti tempore, an ſatis æqua viribus foret. Quapropter ſi ſenſerunt eam imparem atque maiorem, non debuêre ad eam perpetuò ferendam ſe aſtringere, cùm eos cogeret nemo. Ad hæc dicimus, non obſtante complexionum varietate, alimenta, quæ Cartuſianis tribui ſolent, ſatis omnibus eſſe adeò quidem, vt nihil loci iuſtæ querimoniæ relictum ſit. Vt enim arceatur, aut certè leuetur faſtidium, non ſemper idem alimentorū genus tribuitur. Singuli

gulis quoque ita ſcorſum prouidetur, vt nullus iuſtam querimoniam intentare queat. Quod ſi in communi refectorio ſingulis forſan tribuatur (quod vſu venit aliquando) quod alicui vel ingratum, vel ineptum ſit: profectò ille debebit pro ſeruanda vnitate, vel in vna refectione patiẽter ferre, prçſertim cùm ſemꝑ aliquid detur, ꝙ pro vno paſtu vitam ſuſtentare queat. Deniq; ſi duo condimenta habeantur, ſcilicet fames, & bona voluntas, nullus erit querimoniæ locus. His enim condimẽtis omnia ſapida efficiuntur. Quamobrem non eſt, cur propter complexionum, aliorumque huiuſmodi varietatem, debeant Cartuſianæ leges taxari. Quod autem poſteà non contentus reſponſione quadam, quæ inter argumentandum data aſſerebat, (& benè) ſtatuta ipſa Cartuſiana cum ſecluſione neceſſitatis extremæ capienda eſſe, cõtendebas per illam particulam (nulla ex cauſa) in ſtatutis ipſis poſitam, extremæ neceſſitatis caſum includi: Reſpõdemus in primis, falſum illud eſſe, quod garris. Iam enim ſatis docuimus, nullo in caſu, quantùm ad morbum pertinet, neceſſarium prorſus eſſe carnium eſum. quamobrem rectè nulla ex cauſa permittitur languidis carnium eſus. Deinde ſi forſan contingeret extrema, certaque neceſſitas: dicimus, particulam illam (nulla ex cauſa) duntaxat illas ſecludere, quæ per rationem rectam excludi poſſunt, vt ſit ſenſus, nulla ex cauſa, niſi rationabilis ſit (vſque adeò, vt etiam extremam neceſſitatem complectatur) languidis permittitur carnium eſus. Vides igitur, quàm ineptè locutus ſis. Sed nec prodeſt quicquam per te dixiſſe, carnibus vel extra neceſſitatem extremam, interdum opus eſſe.

Nulla ex cauſa, quid ſibi velit.

Ca. præceden.

eſſe. Non enim, vt falsò putas, carnium abſtinentia ſuprà modum difficilis eſt, nec nimiam debilitatem parit, nec vitam reddit breuiorem, nec bonis moribus detrimentum vllum affert, nec mentis obeſt puritati, nec demùm aut vitæ, aut viribus detrimentum aliquod ſuaptè natura infert, quod vel experientia ipſa comprobatur. Quod ſi corpori aut vitæ nonnihil afferret incommodi non eſſet propterea ſtatim deſtituenda, modò illud ſeruaretur. Ne quid nimis. Sed & id quod proſequeris, ſcilicet probos monachos, quando præſertim ſuam complexionem compertam habent, ſibi dimittẽdos eſſe, vt pro voto viuant, carnibusque ex animi ſententia veſcantur, nullius prorſus eſt momenti, imò verò pugnantia complectitur. Non enim fieri poteſt, vt & veri ſint monachi, & ita viuant, vt etiam vetitis ad votum carnibus licenter vtantur. Denique tale illud eſt, quod non niſi à mente prophana & inani profectum fuiſſe credatur. Palàm enim eſt eos, qui ſe vinculo religionis obſtrinxerunt, non ſuo, ſed alieno voto viuere debere, regulamque ſectari magiſtram, & demùm obſeruantiam, conformitatemq; victûs regularem ſeruare debere. Eorum enim eſt, facere quod iubetur, & abſtinere ab eo quod interdicitur.
Hieronymus. Quòd ſi mihi vera dicenti fides non tribuatur, ſaltem fideli Hieronymo credatur, qui Ruſticũ monachum inſtituens, docensque non ſuo arbitrio, ſed alieno potiùs monachum viuere debere, cùm & multa animalia ducem vnum habeant, quem ſequantur, tandem ſubiungit: Et ne plura replicando legenti faſtidium faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio relinquendum, ſed viuere debere

bere in monaſterio ſub vnius diſciplina Patris, conſortioq́ue multorum, vt ab alio diſcas humilitatem, ab alio patientiam, hic te ſilentium, ille te doceat manſuetudinem. Non facias quod vis, comedas quod iuberis, habeas quantum acceperis, operis tui penſa perſoluas, ſubijciaris cui nō vis, laſſus ad ſtratū venias, necdum expleto ſomno ſurgere compellaris. Quibus verbis luculenter oſtendit Hieronymus, monachos non ita ſibi dimittendos eſſe, vt pro voto viuant, edantque quod libuerit. Si enim quādo monachi ſunt effecti, pro ſuo deſiderio prorſus viuere decreuerant, cur iucunda libertate ſe viduârunt? Si habere omnia ad votum cupiebant, qua de re paupertatis onus ſubiêre? Si denique veſci ac viuere pro ſuo arbitrio mens erat, quidnam iugum ſuſceperunt ſtatus aſperioris? Itaque nullus ſe fallat, qui regulari ceruicem iugo ſuppoſuit. Aut enim ſuo, aut alieno voto viuendum eſt. Si ſuo vixerit monachus, præuaricatur. Monachus enim verus non eſt. Si alieno (ſicut par eſt) non ſanè carnibus vtetur, nec viuet vt volet. Ea igitur, quæ noſter Oblocutor hic deprompſit, non argumenta, ſed deliramenta ſunt reputāda. Porrò quantumuis prudentes ac boni ſint, qui religioſam ſarcinam ſuſceperunt, ſub lege ſunt, nec iuſtè ſine lege viuere poſſunt. Quo pacto igitur ita ſibi relinquendi ſunt, vt legi, cui colla ſubiecerunt, nō pareant, ſed ea neglecta carnibus veſcantur? Deniq; quoad eius fieri poteſt, ſeruanda eſt in religione vnitas: quam qui diſſipat, ſingularis ferus eſt, dominicam vineā miſerè diſperdens. Qui lacerat, inquam, membrū mortuum eſt. Vt enim membrum aliquod ſi corpori vnitum non fuerit, ſed præciſum, emortuū eſt (non

Vnitatem in religione ſeruandam.

enim

enim viuificatur humano ſpiritu) ita in vnitate corporis myſtici per vitæ conformitatem non manſerint, demortui ſunt. Diuino enim ſpiritu, qui & animæ vita, & fraternæ vnitatis author atque amator eſt, non viuificantur. Itaque illi ipſi, qui ſpiritaliter viuere, ac vnanimes in domo Dei habitare habent, nullo pacto debent per diuerſitatem victus vnitatem diſſipare. Si enim ſeruetur in cæremonijs, in ſtatutis, in veſtibus, in habitaculis, alijſque id genûs vniformitas: cur in victu (quæſo) ſine grandi neceſſitate paſſim ſcindetur? cur lex ipſa carnibus interdicens à ſingulis non ſeruabitur? Non enim, vel prudentia, vel ſtudioſa vita quempiam excuſat, ſed, vt docuimus, potiùs aſtringit. Sed (vt finem huiuſmodi garrulitatibus Cartuſiana ſtatuta improbantibus, tandem imponamus) concedimus, legẽ illam, per quàm vir innoxiùs ſibi digitum abſcindere deberet, iniquam eſſe. Sed hoc nihil ad rem, cum diuina lex prohibeat membrorum huiuſmodi mutilationem: abſtinentiam verò à carnibus minimè. Quandoquidem carnium eſum lex ipſa non præcipit: eſtò, permittat. Dicimus inſuper, probationem ibi adductam nullius ponderis eſſe, cum ſine carnib⁹ poſſit bona corporis habitudo pulchritudoque vitæ haberi: quemadmodum videre eſt in his, qui perſeueranter à carnibus ſibi temperant. Amputatio verò digiti pulchritudinem aufert, nec integris viribus corpus eſſe ſinit, quapropter argumentum illud inane eſt. Quibus animaduerſis cõficiendum eſt, Cartuſianas inſtitutiones de carnibus nunquam edẽdis iuſtas eſſe, & ad religioſam ſtudioſamque vitam plurimùm conducere. Itaque ad alia pergamus.

Ter-

Tertiam igitur obiectionem præcipuam, quæ conſuetudinariam carnium abſtinétiam in ſtatu ſanitatis oppugnabat, diſcutiamus. In primis ergò quòd carnes pro ſanitate fouenda conſeruandaque, ac vita producenda, neceſſarias eſſe cõtendebat ex parte variarum ætatum, complexionum, diſpoſitionumque, licet ſatis reſponſum videatur, dicimus tamen ad vberiorem diſſolutionem, ſi pro huiuſmodi varietate, varia quoq; alimenta tribuenda forēt, varij igitur piſces eſſent exquirendi, quandoquidem nonnulli proſunt vnius generis hominibus, qui alijs officiunt. Eſſent etiam diuerſa pulméta ac iura (quæ potagia vocant) conficienda. Tot igitur in culina ollæ quot monachi, tot condimenta, quot appetituum genera, tot demùm epulæ neceſſariæ forent, quot linguæ. Denique quoniã & piſces, & oua quibuſdam inepta, vel ingrata vidētur, eſſent tandem, & carnes ſanis, vel potiùs inſanis monachis porrigendæ, ſi ſanam agere producereque vitam cuperent. Quorſum hæc portenta verborum, niſi ad diſſipandam religionis vnitatem ad eneruandum, euertendumq; regularis diſciplinæ ſtatùm ad probos mores corrũpendos, ad diſſipandum pœnitentiæ iugũ, ad vitam diſſolutè voluptuoſeq; agendam, & demũ ad ea ſectanda, quæ nec apud probos ſeculares reperire eſt? Has itaque ineptias mittentes, agamus de his, qui Cartuſianum iugum recēter ſuſceperunt, quos Nouitios dicunt. Qua in re primũ dicimus, nullos adhuc repertos fuiſſe, quib⁹ carnium eſus neceſſarius fuerit. Eſt huiuſmodi abſtinentia de leuioribus ſeu facilioribus Cartuſiani propoſiti obſeruantijs vna, quæ ſi forſan principio durior videatur nõ propterea eis *An Nouitijs carnes ſint porrigendæ.*

car-

carnibus opus eſt, cùm eis, ſicut & profeſſis, aliâs ſatis conſuli poſſit. Quòd ſi delicatus aliquis carnibus aſſuetus ob earum defectum ſibi periculũ timeret, deberet ille prudenter ante ſacri habitus ſuſceptionẽ, tempore ſufficienti periculum facere, ſuasque vires metiri. Adde quòd pauci admodũ Cartuſianam ſarcinam primo impulſu ſuſcipiũt, verùm per longas temporis moras ſolet acceſſus differri, partim quòd grauiũ tentationum varietate nõ ſinatur faciliter bonæ conceptionis fœtus in lucem prodire, partim quòd facilis aditus non tribuatur. In hoc enim & recipiendis, & nobis conſulimus, ne leuitatis arguamur. Quod vt vitemus, & priſcorũ ſolitariorum veſtigia ſectemur, diutino tempore cenſemus probandos eſſe ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Dicimus inſuper, ſi forſan Nouitiorum aliquis nollet, aut non poſſet ſine carnibus viuere, nec ſanitatem quoque vel conſeruare, vel reparare: nos eum tanquam noſtro propoſito ineptum, minimè ad profeſſionem eſſe admiſſuros. Nec iniuria quidem. Quis enim opifex eum admiſerit (oro) quẽ ſuæ arti prorſus ineptum animaduertit? Quis Dux prudẽs, ſeculari militiæ minus opportunũ, aſcripſerit? Quis ſapiens Pontifex literarum ignarum, moribusque diſſolutum ſacris initiare tentauerit? Nullus proculdubiò cordatus hoc fecerit vnquam. Cur ergò Cartuſianis eũ, quem periclitati fuerint ſuæ profeſſioni minus idoneum, excludere non licebit? Profectò licebit, quando fuerit opus, præſertim cùm eam ſibi retineant nouitij libertatem, vt abſcedere pro voto queant. Vt ergo in optione eorum eſt abſcedere quando libet, ita & in noſtra reijcere, quãdo eorum conuerſatio nobis ingrata videbitur.

1. Ioan. 4.

De Nouitijs, qui nõ poſſent ſine carnibus viuere.

Reci-

Recipiuntur enim Nouitij, vt & probêt, & probentur. Non eſt igitur, cur nos arguas impietatis in hac parte. Non enim circuimus mare & aridã, vt vnum faciamus proſelitum, ſed cõſideramus attentius, an eos, qui noſtro iungi conſortio ſatagunt, miſerit Deus, ſintq́; & mente, & corpore, quales flagitat noſtræ profeſſionis aſperitas. Non eſt, inquam, cur queraris, & dicas, ſcandalum propterea ſuſcitari ſolêre. Taxat eos (fateor) garrulum, ignarumq́ue vulgus, qui ſuſceptum religionis habitum dimiſerunt: quibus tamen compatiendum eſt, ſi iuſta cauſa id factum ſit. Enimuerò ſi vires ſuas, vt liberiùs abſcedant, ſufficere non poſſe mentiantur, mirum non eſt, ſi ſcandalo ſint plurimo, iuſtoq́ue Dei iudicio rideãtur, & demum in multa incurrant detrimenta, quæ experientia interdũ probauit. Non eſt deniq; cur nobis timeas, quòd ineptos nouitios non retineamus. Non enim ſtatum ſæcularem, ad quem reuertuntur, ſpernimus, aut reprobamus, cùm & in ſeculo poſſint ſuam operari ſalutem, & multi quoq; ſeculari veſte operti, religioſam mentem habere credantur, qui ſi religionis iugo preſſi forent, deteriores fortaſsè tandem efficerentur. Non enim omnium eſt religio, præſertim tetrica, aſperaq́ue, qualis eſt Cartuſianorum. Itaq; non fit ei iniuria, qui cùm religioni prorſus ineptus ſit, nõ admittitur. Poteſt enim religionem (ſi placet) faciliorem adire, poteſt & in ſeculo quamuis periculoſo ſuam curare ſalutem, ita tamen, vt in mũdo ſiue ſeculo conſtitutus, non ſit de mundo, hoc eſt, mundiales vanitates non ſequatur. Sed de his iam ſatis. Quòd inſuper ais, vitam totis pro viribus eſſe producendam, atque amandam, eaq́ue de re carnium

In ſeculo qui poſsit quis ſuam ſalutem operari.

carnium abſtinentiam, quæ hoc ipſum impedit, meritò reprobandam eſſe: Reſpondemus, vtrũque falſum eſſe. Etenim ſi tanta cura ac ſolicitudine vita præſens colẽda eſſet, cur miſeriȩ huius incolatum plangebat Regius vates, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt?* Cur etiam beati lugentes à Chriſto dicuntur, qui multa plangentes, vitæ quoque huius moras iugiter deflent? Cur dicebat Paulus: *cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto?* Cur Hieronym. Iouinianum mortem ſibi minitantem ridebat, magnum ſcilicet arbitratus beneficium, ab huius miſeriæ calamitibus ſeperari? Cur demum Sancti omnes ſæculi huius inhabitationem, & cœleſtis gloriæ dilationem tantis ſunt lachrymis proſecuti, niſi quia prudenter animaduerterunt, vitam præſentem miſeram, ærumnoſamque vallem lachrymarum, vitijs obnoxiam, plenam periculis, calamitatibus refertam, tentationibusque aſſiduis expoſitam eſſe, & demùm cultores eius & exules, & peregrinos nuncupari? At verò quis durum exilium tantiſper amare debebit? Quis, inquam, à dulci patria diutiùs retardari ſine anguſtia poterit? Eſt igitur potiùs æquo animo ferenda, quam tanto ardore, tantaque ſolicitudine curanda. Ferenda, inquam, quàm diù vitæ ipſius conſeruatori Deo placuerit. Nec interim quicquam de induſtria temerè moliendum, quò vita ipſa ſupra modum breuior effici poſſit. Verùm ad vitã ipſam quo iure, quaque iniuria producendam, rebus vetitis vti nefas eſt. Cùm igitur carnibus interdicatur Cartuſianis, nec ſint quoque ad ſanitatis conſeruationem, aut vitæ longitudinem neceſſariæ: palàm eſt, eos hac de cauſa veſci non debere.

Pſal. 119. *Matth. 5.* *Phil. 1.* *Hieronymus.* *Vita hæc qualis ſit.* *Heb. 11.* *1. Pet. 2.*

Deni-

Denique cùm abſtinentia carnium vitam non reddat breuiorem, non debet Cartuſienſis à ſuæ legis tramite carnes edendo delirare. Quòd enim carnes neceſſariæ non ſint ad vitam prorogandam, iam ſatis oſtenſum eſt, præſertim Arnoldi autoritate, quem ſecutus Ioannes Andreas, idem aſſerit Dominus quoque Antoninus in Summa, dicit religioſos non debere putare, per carnium abſtinentiam vitam breuiari. Quod ſubiungis poſtmodùm, carnes & à ſacris literis concedi, & à Medicis quoque commendari: fatemur quidem, carnes à ſacris literis concedi, ſed non præcipi. Cur autem concedantur, tibi dicat Hieronym. contra Iouinianum, rationem afferens, cur animantes à Deo creatæ ſint, vt ſcilicet milites, athletæ, nautæ, metallorumque foſſores, & cæteri duro operi mancipati, haberent cibos, quibus corporum fortitudo neceſſaria eſt. Non igitur carnium eſum damnamus, nec Martionem, Tatianum, reliquosque hæreticos ſectamur, qui Creatoris opera contemnentes, carnium abſtinentiam inducebant, ſed abſtinentiā ipſam ritè, religioſeque factam, eſui carnium præferimus. Commendamus quoque cum Medicis carnes ipſas, modò licitè, ac moderatè ſumantur: ſed eis, qui peculiari lege prohibiti ſunt (cuiuſmodi ſunt Monachi) carnibus interdicimus. Sed adhuc dicis, vitæ naturali detrimentum (quod fieri non debet) per iugem carnium abſtinentiam effici. Reſpondemus, nullum profectò incommodū per non eſum carnium humanæ vitæ afferri: quod vel ipſa experientia monſtrat. Deinde dicimus, ſi forſan aliquid paruæ moleſtiæ per abſtinentiam huiuſmodi pareretur,

Hieronymus.

Carnes cur concedantur.

Abſtinentia à carnibus vitæ naturali nō nocent.

non propterea ab his relinquendam eſſe, qui ſalutis ſuæ curam gerunt, aſſumptoque propoſito reſpondere ſatagunt, & demùm ſacrarum literarum, doctorumque ſententijs adhærentes, huius vitæ delitias aſpernantur. Fateor inuiſam huiuſmodi abſtinétiam multis eſſe, qui ſcilicet delicatè, molliterque viuere, & genio indulgere ſemper cupiunt. Sed quid? Si nitida cute, ſi rubētibus genis, ſi obeſo ventre, ſi corpore craſſo, ſi demum viribus eximijs (mi delicate) prorſus eſſe volebas, inconſultè nimium egiſti, vitæ aſperioris ſtatum eligendo. Non enim qui delicatis carnibus ventrem farcire, varijsque condimentis oblectari, & lautè, ſplendideq; viuendo corpus ſaginare volunt, vt ſcilicet habeant vermes, quò paſcantur vberiùs, debent probatæ religionis iugum ſubire. Fallerentur enim, & fallerent. De grege enim verè monaſtico non ſunt huiuſmodi craſſi, nitidi, voluptuoſi, ſed pallidi, graciles, ſordidati. Quod autem poſteà dicis, Cartuſianos auxilium ſibi naturale,
1. Tim. 4. aliorum hominum inſtar, ſumere debere, cùm dicat Apoſtolus, nihil eſſe reſpuendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Reſpondemus: Si ad ſenſum tuum, nihil reſpuendum ſit: ergo (vt Hieronymus conficit) leones, vrſi, lupi, corui, milui, in cibum ſumendi erunt. Si nihil generaliter reſpuendum, igitur tempore ieiuniorum carnibus veſcendum erit. Si nihil abſolutè reſpuendum, non erit inter cibos diſcrimen faciendum, non erit, inquam, abſtinentia ciborum curanda. Fruſtrà igitur gula pruriens à delicatis cibis cohibetur. Incaſſum denique (quod tamen ſancti viri feciſſe leguntur) abſtinentijs corpus macerabitur. Sed quoniam

hæc

hæc falſa abſurdaque ſunt, fatemur quidẽ (quod iam diximus) in Creatoris iniuriam, contemptumque creaturarum, nihil reſpui debere, nec ſuperſtitioſè, aut temerè à cibis abſtinendũ eſſe. Dicimus tamen, à carnibus, delicatisque cibis optimo iure temperari poſſe, vt ſcilicet vitia diluantur, admiſſa futura arceantur, gignãtur virtutes, ſupplicia vitentur æterna, & denique vitæ huius aſperitate, cœleſtis ſemperque duratura ſuauitas pariatur. Nullus ergo ſe fallat, quoniam impoſſibile eſt, tranſire de delicijs ad delicias, & præſentibus futuriſque perfrui bonis. Denique neceſſaria quidem vitæ citra culpam capi queunt, ſuperflua verò ac illicita ſine temeritate nequeũt. Licita demùm (quibus prorſus opus nõ eſt) ſalubriter, laudabiliterq; Dei cauſa deſeri poſſunt. Quæ ſanè cùm à Cartuſianis obſeruẽtur, non eſt cur abs te culpari debeant. Quòd poſtremò dicis, pro vitandis quibuſdam detrimentis, vtpotè ſcandalis, alijſque id genũs, huiuſmodi rigorem abſtinentiæ interdum laxandum eſſe: dicimus primum, quantum ad ſcandalum virorum literatorum, nihil eis propter eà ſcandali dari: quandoquidem ille ipſe, qui penſatis omnibus circumſtantijs, agit vt debet, non eſt dicendus cuiquam ſcandalum datum inferre. Non ergo ſatis vel probos, vel doctos ſe comprobant, qui ſe propterea ſcandalizari queruntur. Si enim periti eſſent, planè intelligerent, eum, qui iuſtam legem, cui aſtrictus eſt, ſectatur, non eſſe dicendum propterea cuiquam ſcandalum dare. Quòd igitur nonnulli eorum, qui literati putantur, Cartuſianam vitam propter huiuſmodi abſtinentiam mordent, parum curãdum eſt. Non enim abſti-

Abſtinentia finis quis eſſe debet.

Doctos & probos nõ eſſe qui ſine cauſa ſcandalizari volunt.

nentia ipſa quicquam ſuaptè natura veri ſcandali parit. Qui igitur obloquuntur, vel affectionis peruerſitate, vel cæco liuore, vel ſuperba alienæ vitæ carpendæ auiditate, vel ignorantia, vel demùm linguæ lubricitate concitari credũtur, qui quanto morſu digni ſint, nullus eſt, qui neſciat. *Perſius.* Ridentur à Perſio Romulidæ, qui inter crapulandum Poëtarum dicta tractabāt, quamuis & ipſi probarent, ſi quid de Poëtis ipſis tetricum afferretur in medium. *Ecce* (inquit) *inter pocula quærunt*

Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent.

Si riſu digni erant, qui ſeria dicta inter epulas probabant: nonne (quæſo) maximā deriſionem merentur, qui grauia facta inter conuiuandum taxare, & ventre carnibus referto, abſtinētiam reprobare non verentur, cùm facilè ſit, & pleno ventre de ieiunijs diſputare, & id certè laudare, quod imitari nolis? Deniq; ſi huiuſmodi oblocutores verè docti eſſent, doctiſſimos probatiſſimosq; viros imitarentur. *Petrus Camerac. Ioan. Gerſon. Arnoldus. Ioan. Andre.* Petrum dico Cameracenſem Theologum clariſſimum, Ioannem Gerſon eius alumnum, cuius laudes totus perſonat orbis, Arnoldum de Villa noua medicum inſignem, Ioannem Andream Iuriſperitū eminentiſſimum. & demùm alios peritiſſimos, qui abſtinentiam huiuſmodi plurimùm cómendauerunt, eamque vel ſuis ſcriptis egregiè tutati ſunt. Quamobrem non eſt, cur poſthac ſciolis quibuſdam ac præſumptoribus, Cartuſianam abſtinentiam vellicantibus, fides vlla tribui debeat. Hi etenim de illorum numero cenſentur, qui ſæpè tractant, quod detrectare prorſus deberent, artes omnes, quaſi omnium cenſores eſſent, diſcutiunt, & demùm (quod magis mirabēre)

bêre) ardua periculoſaque negotia, ac Theologica (quæ funditùs ignorant) ita audenter definiunt, ac ſi in eis detriti forent, eaque cum nutricis lacte ſuxiſſent. Sed hæc miſſa faciamus, dicẽtes literarum ignaros ac plebeios abſtinentiæ Cartuſianæ parum exẽplo moueri, ad ſectandam viam arctam, quæ ducit ad vitam. Vtinam *Matt. 7.* multi facerent, quod paucos facere videmus. Vtinam multa huiuſmodi tribuerentur exempla, quæ profectò nec voto, nec iuramento ſeipſum aſtringere, nec demùm aliquid vel rationi, vel diſcretioni aduerſum facere, quenquam impellerent. Suo (fateor) modò loquuntur, deſtituendam eſſe voluptatem, amplexandamq; vitæ huius (prudentia ſemper comite) aſperitatem, quàm, qui ſapiunt, in primis colunt, perſeueranterq; ſectantur. Cæterùm (vt finem huic articulo tribuamus) dicimus, Cartuſianos ſine carnium eſu ſuis negotijs ſatisfacere poſſe. Aut enim citiſſimè, curſorum iuſtar, volandum eis eſt pro ſuis negotijs expediendis, aut maturè eundum. Neutrum verò carnes, neceſſariò flagitat. Qui enim velociſſimè currere habent (quod Cartuſianis opus non eſt) potiùs ouis ſorbilibus (& ijs quidem paucis) vtuntur, quam carnibus, ne ſcilicet tam ſubito, continuoq; curſu grauetur ſtomachus. Ad iter verò moderatè conficiendum carnes quidem aptæ ſunt, ſed neceſſariæ non ſunt. Quod & tẽporis diuturnitas probauit, & quotidiana experientia confirmat. Quãobrem nõ eſt in re tã aperta diutiùs immorandũ. Patiuntur (fateor) multam interdũ moleſtiã, qui carnibus in itinere conſtituti non vtũtur. non quidem carnium defectu, quo nemo adhuc contabuiſſe legitur, verum quod alimẽta

interdum apta ſatis non comperiantur. Sed de his hactenus. Ad quartam obiectionem, quæ de carnium abſtinentia in caſu morbi agebat, eamque quadrifariam impugnabat, dicimus in primis, quantum ad morbum attinet, nullum eſſe languorem, qui ſuaptè natura carnium eſum ita neceſſariò flagitet, quin alio modo curari, mortisque periculum vitari poſſit. Quæ reſponſio cùm ſufficiat, ad aliam improbationẽ (quæ ex parte languentis erat) accedamus, dicentes in primis (quantum ad ſaporem attinet) fieri nõ poſſe, vt languidus (præſertim carnibus inſuetus) omnẽ deteſtetur ſaporẽ, præter ſaporem carniũ. Deinde ſi hoc contingeret, non ita curandum eſſe de ſapore, cum panis & vinũ, imò & alimenta omnia ſint interdum languidis adeo ingrata, vt nihil in eis prorſus aut oblectationis, aut ſaporis percipiant: qui tamen pro vita conſeruãda, cibis penitus ſibi inſipidis ſpontè vtuntur, vel ab eis, qui curam eorum gerunt, partim blanditijs, partim terroribus ad id impelluntur. Quod & in medicinis ſumendis vſu venire ſolet. Itaq; propter ſaporem inſipidum, non ſunt alimenta, quæ licitè ſumi poſſunt ac retineri in ſtomacho, à languidis Cartuſianis deſerenda, vt carnes inſuetæ cum probabili detrimento ſumãtur. Ad hæc ſi nihil aliud obſtet quàm ſapor, poterit languidis ſine carnium eſu ſatis conſuli. Etenim ſapor, qui ſolus in hoc caſu guſtui ingratus eſt, poterit à cibis, puta ouis, virtute manente, auferri. Poſſunt ſiquidem ita oua alterari, ac miſceri condimentaq; adiũgi, vt guſtus ſiue appetitus minimè offendatur. Poteſt etiam ex vitellis ouorum, carnibusq; piſcium minutiſſimè conſciſſis, adhibitis ſpeciebus, alijsque rebus

rebus aptis, cibus fieri, qui carnium ſaporem referat. Hoc enim modo ſolet ægrotis quibuſdã, carnes ineptè deſiderantibus, ſatisfieri. Quapropter non eſt cur propter ſaporem quiſquam putare poſſit, carnes languidis Cartuſianis neceſſarias eſſe. Quantum verò ad retentionem cibi in ſtomacho, dicimus de communi lege fieri non poſſe, vt ſtomachus (præſertim carnibus diſſuetus) nihil penitus cibi præter carnes vel retinere, vel digerere queat. Quapropter ſi illi ipſi, qui aliter ſentiunt, ſuis volunt dictis fidem adhiberi, vel vnum in re huiuſmodi exemplum ab exordio mundi afferant. Afferant, & morbum, qui id efficiat. Si enim afferretur (quod à nobis fieri naturaliter poſſe non putatur) ille, qui ita affectus eſſet: in eorum numerũ, qui ſupremæ neceſſitatis premuntur articulo aſcribendus foret. De qua re iam ſatis ſuprà meminimus. Quod autem ponis languidum & cõplexionis eſſe calidæ, & feruenti quoque morbo laborare, eaque de re oua minimè ipſi conducere: reſpondemus in eo caſu piſces aptos dari poſſe, qui ſi ad inſtaurandas vires non ſufficiunt, adhiberi poterunt & oua debitè parata vtpotè in aqua, vt aſſolet decocta. Hoc enim modo plurimùm nutriunt, parumq́; vel nihil calefaciunt, adiũcto præſertim acetoſæ ſucco: quod ſi calefacerent, temperatè vtendum eis foret. Sed & cuidam tùm morbo, tùm tempore feruido languenti, qui cocta hoc modo oua vtcunque faſtidiebat, conſuluerunt prudentes medici, vt vitella ouorum cum herbis aptis, vtputà lactucis, acetoſa, cæteriſq; id genûs, adhibito omphacio, quod veriutum vocant, decoqueret, qui libenter obtemperans, tali pulmento

vires ſuprà modum debilitatas inſtaurauit. Sũt autem & alia remediorum genera, quæ prudentes expertique norunt, ad quos, vbi flagitauerit neceſſitas, propterea recurrendum erit. Deniq; quod ſubiungis, in re huiuſmodi languidi conſcientiã dictare poſſe, carniũ eſum ſibi prorſus neceſſarium eſſe, dicimus conſcientiam illam eſſe erroneam, eaque de re penitùs à languido deponendam. Qui ſi facere noluerit & ſtolidus erit, in perplexitatem non quidem veram, quæ in lege Dei nulla eſt, ſed aparentem, atque ſophiſticam incidere poterit. Sed iam aliam obiectionem, quæ de illis agebat, qui languentis curam gerunt, tangamus: dicentes, illos conſcientiam opinionemque huiuſmodi deponere debere, quemadmodum de languente diximus, maximè cum in alienum periculum vergat. Non enim digni ſunt languidos vel curare, vel cuſtodire, qui huiuſmodi ſcrupulis agitati, ſuadent eis quod noxium eſt. Sed pergis, & ſupponis medicos ibi adeſſe qui idem ſentiant, hoc eſt, languidum neceſſariò carnibus indigere. Dicimus eos hallucinari, perperamque iudicare. Quod quidem contingere poteſt vel per ignorantiã huius negotij, quod ad amuſſim compertum non habent. Fieri enim poteſt, vt quiſpiam ſit alicuius artis egregiè gnarus, in eaque detritus, qui tamen aliquam illius difficultatem nõ nouit, quòd ſcilicet neruos omnes in ea profundiùs ſcrutanda non intenderit. Poteſt etiam contingere huiuſmodi cẽſuræ temeritas per malam affectionem, quæ rectum iudicium corrumpere ſolet, vtpotè quia vel nimium carnibus affecti ſunt, qui ita cẽſent, vel quod propria, aut forſan aliena malitia impulſi, dicunt

ſunt quod ſolidiſſimis medicinæ fundamentis aduerſum eſt. Non ſunt igitur huiuſmodi Phyſici in hac re vllo pacto audiendi, cùm doctiſſimi viri, qui rem ipſam diligentiſſimè luſtrauerunt, *aliter* ſentiant. Nec eis demùm fides adhibéda eſt, quippè qui in re huiuſmodi experti non ſint. Si enim diligenti veſtigatione materiam ipſam luſtraſſent, aliter ſentirent, aliterque loquerentur. Denique ad aliam improbationem, quæ ex parte remedij ſeu alimenti fiebat, inter argumentandum ſatis reſponſum eſt, ſcilicet ad ſanitatem reparandam, fouendumq; languidum, & demùm ad euitandum mortis periculum, quod alimentorum defectu timetur, non eſſe carnibus opus cùm hæc ipſa poſſint per alimenta alia, maximè oua tremula vel ſorbilia præſtari. Quod teſtantur Medici, peculiariter verò Arnoldus de Villa noua, qui & aſſerit, languido deficienti propter alimenti penuriam, deberi alimentum velociſſimè & abundanter reparans virtutem deficientem, cuiuſmodi ſunt vinum, & vitella ouorum ſorbilia. Quod in hunc modum probat. Nihil ita abundanter, inquit, velociſſimè poteſt virtutem reparare in corde, & per conſequens in arterijs cunctorum membrorum, niſi potens fuerit velociſſimè generare ſpiritus copioſos in membris prædictis. Tale verò alimentum eſt, quod in laudabilem, & multum ſanguinem velociſſima digeſtione conuertitur, quale eſt illud quod habet qualitates naturaliter conformes ſanguini, & in ſua ſubſtantia pauciſſimas gerit fœces, imò habet ſubſtantiam adeò puram, vt quaſi tota mutetur in ſanguinem. Præ cunctis verò nutrientibus, habent in his prærogatiuam

hæc

Vini & vitellorũ prærogatiua.

hæc duo, videlicet mediocre vinum maximè aromaticum,& vitella ouorum: cæteris verò, aliqua prædictarum conditionum deeſt. Nam ſi generatiua multi ſanguinis fuerint,aut non ita citò in ſanguinẽ conuertẽtur, vel non ita purũ, aut è conuerſo. Si verò adeò celeriter in ſanguinem conuertantur, vt iſta, non tantus erit, vel non tam purus. Ius quidem carnium(quod brodium vulgus appellat) & earum ſucci vel latenter,vel apparenter abundat in vnctuoſitate ſuperflua, quæ eſt potiùs pabulum caloris extranei,quam materia ſanguinis puri, & ſpirituum laudabilium. Ex his ergo manifeſtum eſt,quod languentibus,in quibus defectus virtutis vitalis cauſatus ob alimenti penuriam, mortis periculum ingerit, citiùs ac ſecuriùs ſuccurritur per exhibitionem ouorum,& vini, quàm carnium. Vnde patet, quòd non eſt neceſſarium carnes adminiſtrare languentibus, ad euitandum ſcilicet mortis periculum. Quapropter oppoſitũ aſſerens,prophanam inuenit nouitatem. Hæc Arnoldus. Cuius ex verbis vides,languidis per oua conſuli poſſe, & quidem celeriùs,copioſiùs,puriusque quam per carnium eſum. Quod autem probare contendis, quòd non celeriùs, id per oua fiat, cùm in habentibus ſymbolum facilior ſit tranſitus, dicimus illud philoſophicum dictum nihil propoſitæ obiectioni conferre. Intelligitur enim de elementis ſymbolum habentibus,hoc eſt in eadem qualitate prima conuenientibus. In quibus faciliùs quidem ac velociùs fieri tranſitus conceditur, quòd per pauciorum fiat corruptionem. Vna enim qualitate corrupta, mutuò tranſmutantur. Facilius autem eſt vnum,quam plura tranſmutare. Impro-

priè

priè tamen hoc dicitur. Itaq; ſi proprio loquendi genere vtendum fuerit, ſæpè facilior (omnibus conſideratis) tranſitus reperitur in non habentibus ſymbolum, cùm inter ea facilior ſit actio, quæ ratione diſſimilitudinis ac contrarietatis exoritur. Hinc vſu venit, vt inter ea quæ prorſus ſimilia ſunt, vtputà inter ignem & ignem, nullus ſit tranſitus, quod nulla ſit contrarietas. Deinde dicimus, mixta ſymbolizantia difficilius tranſmutari, quam ea quæ non ſymbolizant. Quapropter illa ſententia philoſophica plus aduerſario noſtro officit quam prodeſt. Denique ſi conſiderentur carnium, ouorumque conditiones, ac mutuò conferantur, quantum ad fouendi virtutem, proculdubiò inuenietur, oua facilius ac melius in edēdis ſubſtantiam, quam carnes mutari. Faciliùs enim digeruntur, vt oſtenſum eſt. Quapropter hæc obiectio nullius eſt momenti. Quòd autem poſteà contendis, oua non abundantiùs, quam carnes alere, ſed è diuerſo potiùs, cùm ex animali fiat, genereturque animal: Reſpondemus, hanc propoſitionem nihil ad propoſitum conferre, cum hîc de nutrione, non autem de generatione agatur. An verò carnes (quæ ſeminarium ſunt libidinis) aptiores ſint ad generationem, nihil meâ intereſt, cum ſatis ſit dicere, oua (cæteris paribus) languidum plus quam carnes reficere poſſe. Ipſa enim vel in praua quantitate ſumpta multi ſunt nutrimenti, quippè quæ tota in ſanguinem vertantur. Quod inſuper ais, oua nō purius nutrire quàm carnes, hoc inficiamur penitus. Tametſi carnes ipſæ, in quibus iam forma corruptionis inducta eſt, & calore, & ſapore maiorē fortè ſimilitudinē cum humanis corporibus

ribus habent, non tamen propterea conſequens eſt, eas puriùs meliusq́; nutrire: plures enim fœces habent, quã oua, vt monſtratũ eſt. Deniq; ſi non poſſunt (ꝙ negamus) oua celeriùs, vberiùs, puriùs, ideoq́; laudabiliùs humanam fouere naturam nihil tamen conficitur, quod Cartuſiano propoſito aduerſum ſit: cùm ſatis ſit oſtendere, oua ipſa ad fouendũ inſtaurandumq́; languidũ ſufficere poſſe, quod iam ſatis Arnoldi putamus authoritate probatum. Verùm ne duntaxat contemplatione Cartuſianorum, hoc eum dixiſſe quiſpiam putet, legat quæ ſcripſit in commentarijs Salernitani Regiminis, in quibus nulla de Cartuſianis mentio fit. Ibi enim ſecutus Auicennam, refert oua recentia de his eſſe, quæ in parua quantitate multum nutriunt. Poſteaque ſubdit, oua tremula & ſorbilia multi eſſe nutrimenti, & facilis bonæque digeſtionis, ſanguinemque cordi maximè proportionabilem gignere: eamq́; ob rem cõualeſcentibus, ſenibus ac debilibus plurimùm conuenire. Qui & fortè *Auicenna.* timens ne ſua paruipenderentur dicta, Auicennæ roborat authoritate, qui in tractatu de viribus cordis aſſerit, oua cor ipſum cõfortare, citò in ſanguinem verti, poſt conuerſionem paruam habere ſuperfluitatem, & demùm clarum, ſubtilemq́; ſanguinem gignere. Quibus luculenter confirmantur quæ diximus. Aſtipulatur & Mar- *Marſilius.* ſilius Ficinus, qui in libro de vita longa ſenes admonet, vt eum omnino victum ſeruent, ex quo ſanguinem plurimùm ſperent ſpiritumque quàm plurimum, ex vitellis videlicet ouorum recentibus. Quibus animaduerſis, videre eſt, quemadmodũ oua ſint optima ad fouendas, inſtaurandasq́; vires humanas. Adhuc more im-

probi

probi ſophiſtæ garris,& dicis,oua non eſſe præferenda, eſtò celeriùs, copioſiùs ac puriùs nutrirent, quandoquidem(vt ais) nō ſemper opus eſt velociori digeſtione, nec generatione ſanguinis vberioris, nec ſubtilioribus quoque alimentis. Reſpondemus, quando ſuperata morbi vehementia ſanitas incipit reuerti, aptiora eſſe alimenta,quæ celeriùs, vberiùs ac puriùs,nutrire queant. Huiuſmodi autem ſunt oua, vt iam ſuprà ſatis ac ſatis tetigimus. Deinde dicimus, vbi non eſſe opus generatione vel ſanguinis vel nutrimenti vberioris, tunc parciùs ouis vtendum eſſe. In ſumma, ſi fortè copia quicquam grauis afferret detrimenti, obſeruandum illud eſſet: Ne quid nimis. Quo prudenter obſeruato, nihil tuæ ratiunculæ loci haberent. Deniqueàd Cartuſiani propoſiti defenſionem, opus non eſt pleniùs diſputare, qui cibi ſint alijs præferendi: ſed ſatis eſt modum docuiſſe, quo languidi Cartuſiani ſufficienter foueri ac iuuari queant. Eſtò igitur oua (quod ſemper negamus) ad ea,quæ dicta ſunt, meliora præſtantioraq; non eſſent: ea tamen (quod nobis ſatis eſt) ad languidos nutriendos inſtaurandosque, opportuna ſunt,pleneq; ſufficiunt. At verò prædictis non contentus,pergis improbare, non ſemper ac vniuerſaliter in omni morbo, omnique languente oua ſuaptè natura ſufficere, eaque de re interdum carnibus opus eſſe. Reſpondemus ad primam in huiuſmodi controuerſia improbationem, carnes per modum alimenti, non autem medicinæ, propriè ſumi ſolere. Vt enim ait Arnoldus, carnes ad edendum non propinantur, niſi pro alimento. Quòd ſi contenderis,carnes nōnullas comeſtas vim habere medi-

medicinæ, & ad curandum morbum aliquem neceſſarias eſſe: da carnes illas, da morbū ipſum ſeculis inauditum, ne tuis nos ſomnijs illudere tentes. Digladiantur quidem inter ſe medici de carnibus ipſis, quæ quibus ſint præferendæ. Alij quidem porcinas, vt Galenus, alij hædinas, vt Auicenna, Raſis, Auerrois. Alij demùm vitulinas anteferunt. At verò nullus reperitur probatorum, qui carnes vel delectas aſſerat ad curandum morbum omninò neceſſarias eſſe. Fatemur (& quidem ingenuè) quadrupedibus, bipedibusque animantibus varias ineſſe virtutes ac proprietates, quibus humano generi multa tribuuntur antidota. Fatemur & eas, cum ritè ſumuntur, poſſe nutrire, cōfortare, recreare. Inficiamur tamen, eas, dum via cibi ſumuntur, aliquid habere virtutis propriè medicinalis, quæ ſcilicet vel ad curandum quempiam morbum, vel ad reparandam ſanitatem, ita ſint prorſus neceſſarię, vt citrà eas ſecus prouideri non poſſit. Eamque ob rem ſequentem obiectionem & inanem, & confictam eſſe dicimus, cum ſanitas ſatis poſſit ſine carnium eſu reuerti. Dicimus &, quod ſubnectitur, nullius eſſe momenti. Eſtò enim, humana corda ſint varia: non tamen ita, quin poſſint alijs, quàm carnium alimentis foueri. Vt enim probatum eſt, ouorum eſus cor ipſum recreat, fouetque vehementer. Addit & Auicenna, nutrimentum nullum expedire magis in diminutione ſanguinis, & diſſolutionis ſpiritus cordiaci, quàm vitellum oui gallinæ, perdicis, vel faſiani. Quod autem poſteà dicis, aſſiduum ouorū vſum plus alterare, quàm carnes, humanumque corpus ad extraneam humorum diſpoſitionem trahere: dicimus hoc falſum

eſſe.

eſſe. Non enim vel afficit alteritate, vel extraneos humores infert ouorum vſus: quippè qui aptum, laudabilemque ſanguinem, & humorem vitæ accommodatum præbeat. Debueras potiùs dixiſſe, oua quibuſdam carnalibus ac delicatis faſtidio eſſe, qui ſcilicet, non quæ nutritioni, ſed quæ voluptati conferant, anxiè quærunt. Adhuc contendis, & ais, medicos potiùs carnes, quàm cibos alios tribuere languentibus. Reſpõdemus, prudentes expertoſque medicos interdum carnibus ſuis languidis interdicere, nonnunquam verò indulgere, quando præſertim languentes ipſi carnibus aſſueti ſunt, nihilque aliud habere poſſunt, vel inſumere volunt: maximè cùm nulla lege carnibus veſci prohibētur. At verò ſi viderint hominem carnibus prorſus diſſuetum, & à carniũ eſu iuſta lege prohibitum, nunquid cum grandi periculo tùm mentis, tùm corporis carnium eſum ſuadebunt? Minimè quidem, ſi ſapiunt: cùm pro Doctorum ſententia ſine carnibus aliàs conſuli poſſit. Quòd ſi fortè tardiùs ac moleſtiùs ſanitas ſine carnibus reparetur, non debet propterea monachus inſuetum cibum præſumere, & magnarum ſe virtutum meritis viduare. Non debet inquam, cum graui fratrum ſcandalo, totiusq; ſui ſtatus probabili ruina, id audere, quod nullus adhuc, niſi præuaricator, attentauit. Denique, quòd ais Cartuſianos, cùm ſint fortis eiuſdem in hac parte cũ ſecularibus, interdũ non poſſe ſine carnibus bonam valetudinem adipiſci: dicimus imprimis, falſum eſſe, quòd ſupponis. Longa enim abſtinendi conſuetudo, Cartuſianos ipſos in hac re longè diſpares à ſecularibus reddidit, quæ & cum bona voluntate effecit, vt idipſum Cartuſia-

tuſianis languentibus per facilè ſit, quod ſecularibus multis ingratum difficileque foret. Adhęc non putauerim, ſeculares ipſos ſine carnium eſu ſanitatem nullo modo recipere poſſe. Denique falſum eſt, Cartuſianos plus cæteris carnes ipſas naturaliter eſurire. Hoc enim cõmentum quotidiana experientia reprobat. Nidor enim carnium, his qui diſſueti ſunt, grauis eſſe ſentitur. Quibus penſiculatis, luculenter conſtat oua ſuaptè natura ad ſanitatem reparandam, viresque fouendas ſufficere poſſe. Iam verò putaueram, tuarum garrulitatum finem inueniſſe, ſed adhuc præfatis non contentus, ad caſus quoſdam (quos contingere poſſe putas) recurris, aſſerens ſaltem in eis oua non ſatis eſſe. Quibus reſpondemus inprimis, patriam illam prorſus infauſtam eſſe, quæ nullas gallinas habeat. Infœlices quoque gallinas, quæ oua parere non valeant. Nihil adhuc talis detrimenti Cartuſianis domibus euenit. Dabimus operam, ne Conuentus aliquis in patria huiuſmodi poſthac extruatur. Curabimusque fœcundas habere gallinas, quas (vt omni tempore apta nobis oua faciant) aptis quoque alimentis nutriemus. Vitabimus denique in ea terræ plaga habitare, in qua oua ne pro languentibus quidem reperiri poſſint (quanquam non dicimus, oua ſemper neceſſaria eſſe, cùm alijs cibis ſat conſuli poſſit) ſed quoniam aptiora ea credimus, eam ob rem defectum eorum pro viribus euitabimus. Sed quid tantiſper ridendo moramur, cùm planè conſtet, aduerſas obiectiones deriſione potiùs, quàm reſponſione dignas eſſe? Satis enim erat illud dixiſſe: Si cœlum rueret, multæ caperentur alaudæ. Denique ſi nihil præter carnes,

inue-

inuenire per facultatem liceret, agendum eſſet, quod in extremo neceſſitatis articulo faciundum diximus. De quo quidem, quia iam ſatis in vltima præcipua obiectione (quę de illo agebat) diſſeruimus, nec verbum amplius vllum addemus. Finem igitur facientes, conficiamus nihil eſſe cauſæ (omnibus animaduerſis) cur poſteà quiſquam vel taxet, vel paruipendat perpetuam carnium abſtinentiam, quàm obſeruant Cartuſiani, ab exordio quidem mundi introductam, poſt diluuium à vetuſtiſſimis patribus cõtinuatam, laudatam ab antiquis philoſophis, in noua lege planè commendatam, obſeruatam ad vnguem à ſanctiſſimis anachoretis, monachis cunctis regulariter indictam, doctoribus vetuſtis probatam, defenſatam à poſterioribus, conſentaneam rationi, legibus conformem, aptam religioni, pœnitentiæ amicam, aduerſam vitijs, virtutum nutricem, & demùm probæ vitæ fontem baſimque ſolidiſſimã, quam qui concutiunt, ſe conturbant, qui contaminant, ſe polluunt, qui mordent, ſeipſos lacerant, qui aduerſantur, veritati contradicunt, qui denique ſupplantare moliuntur, ſeipſos miſerè deprimunt. Sed iam opus eſt, huiuſmodi negotio ſatis diſcuſſo ad aliud tranſire. Opus, inquam, eſt, poſtquam in plantatione duplici, ſcilicet materiali & corporali, ſatis laboratum eſt, de ſpiritali, hoc eſt, de Cartuſianæ vitæ qualitate diſcutere.

Ca. precedente, ſub finem.

Commendatio abſtinentiæ Cartuſianæ.

CAPVT X.

De ſpiritali plantatione, hoc eſt, qualitate vitæ Cartuſianæ, & in primis obiectiones quædam præmittuntur, quæ cõficere nituntur, Cartuſianam vitam minimè

contemplatiuam eſſe. Deinde prælibatis quibuſdam de vita humanæ partitione, contemplatione, contemplatiuaqúe vita, & modis quibus eius ſublimitas attingi poſſit, tandem oſtenditur, Cartuſianam vitam eſſe contemplatiuam, & obiectionibus reſpondetur.

Oblocvtor.

Placet de fundatione ſpiritali Cartuſianæ vitæ, hoc eſt, eius qualitate diſſerere. Qua in re velim ex te primùm quærere, vitane ipſa ſit contemplatiua an actiua, religioſa an expers religionis, monaſtica, an aliàs factitia, ſolitaria an ſocialis, anachoretica an cœnobitica, ſimplex denique an mixta? Pet. Rogas aſtutè, quaſi verò rem ipſam neſcias. Verùm tuas machinas (quas te parare iam ſentio) nihil metuens, dicam quæ ſentio liberiùs, Cartuſianam ſcilicet vitam eſſe contemplatiuam, religioſam, monaſticam, ſolitariam, anachoreticam, & nihilominùs vtcunque mixtam. Quæ omnia ſeriatim proſequi cupientes, à primo ſumendum putamus exordium. Obloc. Et nos quoque à principio exordiendum cenſemus, probare cupientes, vitam Cartuſianã optimo iure contemplatiuam dici non debere. Si enim contemplatiua foret, ſanè deberet apta contemplationis documenta depromere, illaque habere inſtrumenta, quæ ad otium huiuſmodi requiruntur. At verò nihil talium reperire eſt in vita Cartuſiana, quippè cuius omnia inſtituta ſint, vel de modo perſoluendi cultus diuini, vel labore corporali, vel alijs denique id genûs, quæ ad agendam vitam cõtemplatiuam nõ ſatis eſſe videtur. Deinde ſi contemplatiua eſſet, nulli niſi con-

Cartuſiana vita, qualis.

contemplationi apti ad eam ſanè admitti debe-rēt, qui ſcilicet vitijs iam purgati, & in actiua vi-ta exercitati, nullos certè graues paſſionū ſenti-rent cōflictus, ſed animo trāquillo poſſent mira vitæ illius ſuauitate potiri. At verò illi penè om-nes, qui Cartuſianam ſarcinam ſuſcipiunt, nihil tale conſecuti ſunt. Aut enim piacula funditus non diluerunt, aut certè grauibus tentationum procellis agitantur, cùm quibus grata cōtempla-tionis ſinceritas nihil commercij habere poteſt. Deniq; cùm rariſſimi ſint homines ad ſublimis contemplationis culmen attingendum idonei, idque muneris Cartuſiani admodùm pauci aſſe-quantur, nō debuit profectò ab illa raritate vita huiuſmodi cōtemplatiua nūcupari. PET. Mul-ta pro huiuſcemodi rationibus plenè diluendis, diſcutiendoque profundius tam grandi cōtem-plationis negotio, in medium depromenda eſ-ſent. Sed quoniam de cōtemplatione quodam tractatu diffusè egimus, ea de re pauca quædam in præſentiarum afferre conſtituimus, quæ huic loco aptiora eſſe viſa ſunt. Itaque breuitati mo-dò operam dare cupientes pauca de humanæ vi-tæ partitione, contemplatione quoque & con-templatiua vita in primis afferamus. Deinde modos addamus, quibus cōtemplationis ipſius ſublimitas haberi poſſit. Poſtremò rationum principio factarū diſſolutionem ſubiungamus.

Primùm aggredientes dicimus (quantum pro-poſito conducit) humanam, laudabilemque vi-tam bifariam diuidi ſolere. Primò quidem in actiuam, & contemplatiuam. Altero verò mo-do in actiuam, & contemplatiuam, & mixtam *Partitio* ſiue compoſitam. Quæ ſanè partitiones à viris, *humanæ* & doctis, & ſanctis traditæ, nullam inter ſe diſ- *vitæ.*

 ſonan-

ſonantiam habent. Quod enim diuiſio ſecunda expreſsè complectitur, hoc prima ſubintellexit. Siquidem Diuus Gregorius, qui primam ſectionem multis in locis retulit, alteram (quæ ſignanter ab Auguſtino doctore præcipuo ponitur) inficiari noluit. Sed quid eſt, quòd vnus bimembrē, alter verò trimembrem diuiſionē aſſeruit? Nempè quòd vnus ſimplicia humanæ vitæ membra duntaxat ambire, alter verò cum ſimplicibus, etiam mixtum ſiue conflatum ex eis, ſua diuiſione complecti voluit. Itaque ſublimis Auguſtinus, virum vndequaque doctum Varronem ſecutus nonodecimo de Ciuitate libro, tres humanæ vitæ partes poſuit, ſcillcet otioſam, negotioſam, & ex vtroque genere temperatam, quas & ibidem explicat. Otioſam, inquit, vitam diligunt, qui tantummodò ſtudijs doctrinæ vacare volunt. Negotioſam, qui rebus humanis gerendis occupantur. Ex vtroque genere temperatam, qui partim erudito otio, partim neceſſario negotio alternantia vitæ ſuę tempora tribuunt. Verùm his prętermiſſis, nunc de contemplatiua vita duntaxat agere certum eſt. At quoniam à contemplatione vita contēplatiua denominari putatur, opus eſt (quò res fiat apertior) de contemplatione aliquid prę-libare. Contemplatio vera atque Catholica (vt falſam, philoſophicam, vanamq; prætereamus) bipertita eſt. Quædam enim ſublimis, altera verò non ſublimis dici poteſt. Sublimis contemplatio pro aliquorum ſententia, eſt mentis in Deum ſuſpenſæ quædam ſuper ſe eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia prægustans. Non ſublimis verò, ea eſt mentis operatio, quæ in conſpiciendis naturæ cauſis, ſincera veritate conſideran-

Lib. de ciuit. Dei cap. 19.

Contemplatio duplex.

deranda, & alijs demùm id genûs, quæ ſuaptè natura ad actionem ſeu negotiorũ occupationem minimè pertinent, potiſſimùm verſatur. Nec tamen mentis alienationem, ſed ſuſpenſionem facit. Quo ſanè modo lectio, oratio, meditatio, & alia ſimilia contemplationis ambitu cõtinentur: eſtò mentem ſuprà ſe non rapiant, nec ſuſpenſam mira dulcedine afficiant. Sed his vtcunque prælibatis, de contemplatiua vita quippiam perſtringamus, dicentes pari modo vitam ipſam duplicem eſſe. Quædam enim eſt ſublimis, quæ ſcilicet iugiter ac potiſſimùm ſublimitati contemplationis incumbit. Altera verò non ſublimis eſt, quæ lectioni ſiue ſtudio, & inquiſitioni veritatis, orationi, meditationi aliiſque id genûs principaliter intendit. Hæc enim media quædam ſunt ac inſtrumenta, quibus ad perfectionẽ, ſuauitatem, ac ſublimitatem contemplationis perueniri poteſt, & ſub cõtemplatione generatim ſumpta comprehenduntur. Et hæc quidẽ vita, ſicut & contemplatio non ſublimis, notior atque vſitatior eſt, quàm prima, quæ in hac mortalitate rara eſſe creditur. Rari enim ſunt, qui contemplationis, ſeu vitæ contemplatiuæ culmen perfectè aſſequantur. Quod tamen cùm impoſſibile non ſit, eam ob rem paucis aperiamus, quibus modis ad id perueniri poſſit.

In primis (ne quid nos lateat) habet ipſa contemplatio ſeu vita contemplatiua ſublimis, pericula ac impedimenta quædam, quæ vitare, arcereque opus eſt. Habet & adminicula ſeu inſtrumenta, quæ obſeruare oportet. Impedimenta autem abigenda ſunt. In primis vitia quæ per dignam pœnetentiam expurgare neceſ-

 ſe eſt.

ſe eſt. Non enim vitijs amaricatus, contemplationis ſuauitatem aſſequi poteſt. Deinde arcendi ſunt paſſionum tumultus, qui & vitia inducere, & mentis tranquillitatem impedire, ſolẽt. Abigendę quoque ſunt paulatim malæ cõſuetudines, quæ ad peccata priora faciliter impellere poſſunt. Poſtmodum fugiendæ ſunt occupationes exteriores atque mundanæ. Neque verò ipſas mundiales curas ſuperfluas atque noxias (quę interdum amor mundi nuncupantur) duntaxat refellendas eſſe dicimus (hæ etenim non ſolum contemplationi, verum etiam actiuæ vitæ aduerſantur) ſed negotiorum quoque temporalium, quæ ſuggerente neceſſitate ſua vel aliena tractari licitè poſſunt, à contemplatiuo nimietatem eſſe fugiendam cenſemus. Occupatio enim modica atque temperata non ita vitanda eſt, quippè quæ vitæ contemplatiuæ conducere poſſit. Sed (vt diximus) nimietas fugienda eſt, vtpotè quæ mentis diſtractionem parit. Inſuper vitanda eſt, quantum decenter fieri poteſt, humana ſocietas. Nam cùm multa conuerſatione humana, nihil ferè ſolet habere commertij ſublimitas contemplationis. Ad hæc cauenda eſt indiſcreta nimietas. Non enim eſt corpus, vel nimiè nutriendum ſiue fouẽdum, nec è diuerſo nimis atterendum, vtrumque enim contemplationi nocet. Nec lectioni quoque, vel orationi, vel lachrymis, vel alijs huiuſmodi, quæ pia eſſe videntur, nimiè vacandum eſt. Nullum enim
Leuit. 2. ſine ſale ſecũdùm legem ſacrificium offerri debet. Itaque omnia diſcretionis ſale condienda ſunt. Porrò defœcandus eſt ab omni affectione amoreque noxio vel extraneo animus: defœcandus, inquam, ab omni amaritudine, impatien-

patientia, ſcrupuloſitate, alijsque id genûs, quæ
mentis ipſius & tranquillitatem, & ſuauitatem
impedire ſolet. Denique vitandus eſt præſum-
ptuoſus, elatus, vanusque ſpiritus. Qui enim ſuis
viribus aut virtutibus cõtemplationis montem
aſcendere ſe poſſe putat, ſeipſum fallit. Qui, inq̃,
alios deſpicit, ſe à contemplationis ſublimitate
non dubitet prorſus repellendum eſſe. Qui de-
nique inaniter gloriatur, inflatur, eleuatur, tan-
tum culmen attingere non poteſt. Itaque vitan-
da eſt peculiariter, cùm omni ſua pompa, ſupe-
ris odioſa ſuperbia. Denique vitandus eſt de-
fectus ordinis, & modi, defectus quoque conan-
di, quando tempus eſt: defectus denique lon-
ganimitatis, & perſeuerantiæ. Hæc enim omnia
(quæ diximus) ſunt ab his reijcienda, qui ad cõ-
templationis ſublimitatem aſcendere geſtiunt.
Verum enimuerò non ſatis eſt, ea quæ diximus
vitare, abigereque viriliter, ſed etiam quædam
obſeruanda ſunt, & amplexanda, quæ ad con-
templationis faſtigium prouehere queant. In
primis ſunt comparandæ virtutes morales, quę
licet ad actiuam vitam eſſentialiter pertineant,
ſunt tamen diſpoſitiones quædam ad contem-
plationẽ acquirẽdam neceſſariæ. Sedant enim
tentationũ impetus, q̃ dulcedini cõtemplatio-
nis officere omninò ſolẽt. Speciatim verò inter
virtutes cõciliãda eſt humilitas, q̃ velut baſis
quædam in hoc cõtemplationis ædificio locãda
eſt. Addẽda eſt carnis mortificatio, quæ partim
per continentiam, partim verò per victus aſpe-
ritatem fieri debet. Non enim cum fœdis vo-
luptatibus coire poteſt contemplationis hone-
ſtas. Nec ſapientia quoque inuenitur in terra
ſuauiter viuentium. At verò cum dicimus, car-

nem macerandam, & à voluptatibus cohibendam eſſe, non intelligimus quamuis mortificationem ſufficere poſſe. Eſt enim fortiter, prudenter tamen, caro ipſa conterenda, quandoquidem vſque adeò delicata eſt contemplationis ſuauitas, vt cum multis alijs oblectationibus, etiam licitis, frequenter conuenire nõn poſſit. Porrò adiungenda eſt voluntatis mortificatio, quæ tranquillam cordis munditiam pariat. Hæc autem opportunè fient, ſi per obedientiam voluntas ipſa diuino prorſus beneplacito ſubijciatur. Denique inter virtutes non eſſe prætermittenda prudẽtia, vtpotè quæ totius negotij directrix & auriga eſſe conſueuit. Ipſis autem virtutibus addenda ſunt quædam interiora, ſpiritaliaq; exercitia, quibus ad contemplationẽ proximiùs accedere valeant, qui ad eam ſuſpirant: ſcilicet lectio, oratio meditatio. Lectione enim ſine ſtudio inſtruimur, oratiõe iuuamur, meditatione cõtemplationi propinquamus. Legenda ſunt igitur pia volumina, in quibus Legendæ Sanctorum prætermittendæ non ſunt. Orandus quoque eſt Deus ipſe, vt contemplationis ſublimitatẽ largiri dignetur. Orandi quoque ſunt Angeli, cæteriq́ue Sancti, à quibus mẽdicãdum eſt auxilium, petendaq́ue iugiter contemplationis gratia. Denique piæ meditationi incumbendum eſt. Siquidem plurimùm huic negotio conducit, vitam paſſionemq́ue Chriſti iugiter meditari. Similiter vitam, ſolennitates, ac dolores Deiparæ virginis volutare. Itidem vitas recolere Sãctorum, & demùm iudicia Dei nouiſſimaq́ue ipſa meditari, quæ ſunt in hac mortalitate metuenda. Cæterum quædam exteriora adiumenta ſunt huic quoque rei adhibenda:

Spiritualia exercitia.

benda: ſcilicet oris cuſtodia, ſiue ſilentij cenſura, loci opportunitas, tẽporis aptitudo, corporis diſpoſitio, ſituatioq; debita, & demùm mentis ipſius tranquillitas. Qui enim contemplationi ſublimi vacare deſiderat, multam loquendi licentiam cohibeat, à verbisque temperet neceſſe eſt. Solet enim multa ſermonis abundantia, varia phantaſmatum ſimulachra (quæ contemplationis diſſipant vnitatem) parere. Eſt igitur ſilentij cenſura pro viribus obſeruanda. Loci quoque opportunitas quærenda eſt. Opportunior autem locus (cæteris paribus) ſolitarius eſſe videtur. Qui enim ſolitudinem amat, colitque decenter, magnum habet ad contemplationem acquirendam, conſeruandamque præſidium. Tempus quoque aptum, quantum humanam reſpicit induſtriam, obſeruandum eſt. Hoc autem fiet, ſi facta digeſtione ſufficienti, hora illa deligatur, in qua obſeruator nullus aſſit, qui vel contemplantis geſtus videre, vel gemitus audire queat. Corporis quoque diſpoſitio curanda eſt diligentiùs. *Corporis diſpoſitio.* Non enim vel oppleto humoribus cerebro, vel defatigato corpore, aut ſuprà modum attenuato, contemplationis feruori incumbendum eſt. Sed & conſiderandum, quando corpus ipſum probè diſpoſitum ſit. Non enim opus egregium cóficiet, qui apto carebit inſtrumento. Mentis autem inſtrumentum corpus eſt. Cuius & ſituatio non negligenda videtur. Tametſi nulla regula certa dari poteſt, niſi vt quiſque illum obſeruet corporis ſitum, qui ſibi magis idoneus eſſe videbitur. Eſt nihilominus corpore quieſcendum, dum in contemplatione laboratur. Denique quies ſeu tranquillitas mentis, apprimè adhibenda eſt.

Non

Non enim ſufficit quies corporis, niſi aſſit & mentis tranquillitas. Quæ ſanè multò vtilior, atque opportunior eſt, vtpotè ſine qua non poſſit haberi ſublimitas contemplationis. Curæ igitur rerum labentium ſeponendæ ſunt, quando ad cõtemplationem acceditur. His tandem inſtrumentis atque præambulis contemplator debitè inſtructus, poterit (adſpirante Deo) ad ipſum contemplationis actum ſeſe accingere. In quo quidem (vt ea quæ contemplationem concomitantur tangamus) varij contemplandi modi obſeruari poſſunt, tùm ex parte ipſius contemplantis animi, tùm ex parte obiectorum, hoc eſt, eſt rerum earum, in quibus contemplatio verſatur. Nam in contemplatione ipſa animus interdum ſuaui admiratione, aliquãdo iucunda dilatatione, nonnunquam alta ſuſpenſione, aliquoties verò totali alienatione ſupra ſe eleuatur, miroque modo afficitur. Ex parte verò obiectorum, ſeu modi conſiderandi obiecta ipſa contemplationis, diuerſitas etiam eſſe poteſt. Quidam enim inſtar aquilæ in ſolem iuſtitiæ, ſuæ contemplationis oculis directè figunt. Alij vero gradatim pergunt, ex creaturis creatorem cõtemplantes. Alij verò more auium per inane volitantium, quæ nunc ſurſum, nunc deorſum, modo circulariter feruntur, in altum ſubleuati, cæleſtia contemplantes, interdum verò deorſum acti, ea quæ in mundo ſunt conſiderantes, Creatoris bonitatem ſapientiamque in eis admirantur. Alij denique certo quodam ordine pergere malunt: ſcilicet rerum vniuerſitatem ſecundùm differentias poſitionum, quæ ſunt antè, retrò, dextrorſum, ſiniſtrorſum, infrà, intrà, & ſuprà contemplantur.

Contemplationẽ concomitantia.

Deli-

Deligat ſibi quiſque illum procedẽdi modum, qui ſibi aptior videbitur. Meminiſſe tamen debebit, in ipſa contemplationis hora aduentum tractumque diuinum eſſe humiliter expectandum ſequendumque. Quo enim impetus ſupernus traxerit, illo ſequatur animus contemplantis neceſſe erit. Meminiſſe quoque debebit, in *illa* maieſtate diuina ſcrutanda, ſapienter ſe habendum eſſe, ne vel hæreſes per ignorantiam miſceantur, vel curioſiùs profundiusque veſtigando, ſcrutator maieſtatis opprimatur à gloria. Tutiùs itaque erit viris parum literatis, vitã paſſionemque dominicam, cæteraque inferiora deuotè meditari. Denique (vt contemplationem ſequentia tangamus) poſtquam animus tantam, tamque ſublimem contemplationis gratiam aſſecutus, grauiſſima contemplationis ſuauitate paſtus fuerit, obſeruare quædam habebit. In primis gratiæ pro tanto munere agendæ erunt, ne turpi ingratitudine exigente tantũ munus auferatur. Erit quoq; pauliſper, poſt cõtemplationis feruorem quieſcendum. Si enim contemplator tãta dulcedine oblectatus iugiter inhærere vellet, haud dubiè & menti & corpori detrimentum immineret. Ea de re prudenter quædã monialis noſtri Cartuſiani ordinis, quæ noſtra ætate vixit, poſtquàm fuiſſet in exceſſum contemplationis rapta (quotidiè enim rapiebatur) ad ſe rediens, & mente & corpore quieſcebat. Denique perſeuerandum erit in bona ſanctaque vita. Nam quibus modis gratia contemplationis parata eſt, eiſdem conſeruari debet. Alioqui facilè à tanto culmine decidet, qui perſeuerare ſolicitè non curabit. Sed dicis: Si quæ dicta ſunt, pro contemplationis ſublimitate acqui-

Pro. 25.

Paradigma.

quirenda conſeruandaque, diligenter fuerunt obſeruata, fortaſsè gratia illa non dabitur. Non enim omnium eſt contemplatio. Cur igitur tot exercitijs, tantisque laboribus meipſum conficiam? Audi qui iſta obijcis. Si quod in te eſt plenè feceris, alterum duorum haud dubiè conſequeris: ſcilicet aut contemplationis munus tibi dabitur, tuoque voto prorſus reſpondebitur, aut ſi forſan tibi non expediat contemplationis ſublimitas (propterea enim forſan intumeſceres) alio tibi modo conſuletur. Non enim ſinet diuina clementia tuos conatus inanes permanere. Adde quod illis modis, qui dicti ſunt, vitæ perfectio, quæ tibi pro quibuſuis laboribus ſufficere debet, acquiratur. Non ergò inerti otio vaces. Non ceſſes. Non diffidas, tu præſertim Cartuſiane, qui ſtatum contemplatiuum delegiſti. Turpe tibi ſit, radicibus ſemper hærere, & nunquam tam præſtantis montis culmen aſcendere velle. Habes inſtrumenta aptiſſima, quibus facilè aſcendere poſſis, ſolitudinem videlicet, ſilentium, tempus aptum, locum opportunum, vitæ aſperitatem, orationum frequentiam, & cætera id genus, quæ te in altũ contemplationis euehere queant. Cur ergò vis ſemper verboſæ pſalmodiæ intendere, & negotiolis quibuſdam gerendis totus inſudare, vel quod turpius eſt, inerti otio langueſcere? Eia tandem reſipiſce. Nolle enim perfectum eſſe, delinquere eſt. Itaque infimis communibusque exercitijs prætergreſſis, ad altiora te (ſi te aptum ſentis) extende. Alioqui noueris, duram coram diſtricto iudice rationem te redditurum. Sed hęc tantilla de contemplatione, contẽplatiuaque vita, ac modis quibus ſublimitas eius acqui-

Hortatio ad cõtemplationẽ.

quiri conſeruarique poſſit, hactenus perſtricta ſufficiant. Iam verò tertio loco, diſſoluendæ ſunt obiectiones, quæ principio adductæ fuerunt. Ad primam enim iam ſatis reſponſum putatur, quando tactum eſt, Cartuſianum ſtatum tradere inſtrumenta ad contemplationem aſſequendam perapta. Adde quòd in exercitijs Cartuſianis nihil eſt, quod contemplationi aduerſetur, ſed omnia potiùs ad finem contemplationis referantur. Siquidem exercitatio corporalis (de qua min' videtur) ſi debitè facta fuerit, non impedit, ſed plurimùm iuuat contemplationem. Reparat enim vires interiores, quæ alias contemplationis otio admodum negotioſo, minimè ſatis eſſent. Ad alteram verò rationē dicimus in primis non ſolos eos, qui ad ſtatus alicuius ſublimitatem perfectionemque attingendam idonei ſunt, eſſe admittendos. Alioqui ſtatus ipſos deficere neceſſe eſſet. Quot enim, obſecro in Chriſtinaniſmo, quot, inquam, in particularibus ſtatibus inuenire eſt, qui ſtatuum ipſorum altitudinem perfectionemq; aſſequātur? Raros profectò comperies, ſi diligēter luſtraueris? Sunt igitur etiam admittendi illi, qui vel mediocriter ad ſtatum ipſum obſeruandum, idonei putentur, qui ſi re ipſa ſtatus culmen non aſcēdant, ſaltem deſiderando ſuſpirandoq; anhelent. Deinde dicimus, eos, qui ſublimis contemplationis otio vacare cupiunt, antè omnia debere vitijs expurgandis, virtutibus inſerendis, & alijs demum obſeruandis (quæ ſuprà diximus) intendere. Alioqui ſeipſos fallerent, ridiculique fierent. At verò huiuſmdoi præambula non ita neceſſaria eſſe putamus his, qui contemplationi non ſublimi, puta lectioni,

ora-

orationi, ac meditationi, quæ contemplationis ambitu continentur, incumbere cupiunt. Huic enim rei ſatis eſſe videtur, cum mediocri aptitudine bona volũtas. Ad tertiam verò obiectionem reſpondemus. Eſtò eſſent pauci ad culmen contemplationis attingendum idonei, non proptereà conficitur vitam ipſam contemplatiuam dici non debere. Vita enim cõtemplatiua, quod ſuprà tetigimus, bifariam dicitur. Interdum enim ea eſt, quæ ſublimitati contemplationis incumbit. Aliquando verò, quæ alijs contemplatiuis exercitijs (cuiuſmodi ſunt lectio, oratio, meditatio) dat operam. Cùm igitur Cartuſiana vita his rebus potiſſimùm inhæreat, haud dubiè contemplatiua hoc modo dici meretur. Poteſt & nihilominùs, vtcunque contemplatiua primo modo nuncupari, quòd ſcilicet aptiſſima det inſtrumenta, quibus contemplatio illa ſublimis attingi poſſit. Poſſit, in quã, illa ſcala parari, per
1.Cor.13. quam aſcendatur ad cæleſtem illam contemplationem, in qua non in ſpeculo & ænigmate, ſed
Pſal.83. facie ad faciem videbitur Devs Deorum in Syon. Sed cùm iam ſatis declaratum ſit, Cartuſianam vitam contemplatiuam eſſe, opus eſt conſequenter probare, eam religioſam meritò dici poſſe. Expectandum tamen in primis, an quicquam noſter Oblocutor mutire velit.

CAPVT XI.

Præmittuntur de Religione multa: deinde oſtenditur, Cartuſianam vitam religioſam eſſe, & tandem obiectionibus aduerſis reſpondetur.

Oblocvtor.

Cartuſianam inſtitutionem nec eſſe, nec dici debere religioſam, dicto faciliùs oſten-

ſtendi poteſt. Ad vitam enim propriè religioſam, trium votorum exigitur profeſſio, ſcilicet obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis. At verò, cæteris omiſſis, ſolam obedientiam ſpeciatim profitetur Cartuſianus. Deinde quælibet religioſa vita, ſaltem probata, ſub Baſilio, Auguſtino, Benedicto, vel Franciſco agitur (illæ enim quatuor probatæ ſunt) aſt Cartuſiana vita nullius illorũ quatuor patrum veſtigia ſectatur. Inſuper eſtò, ſit religioſa, tamen ſuperflua videtur. Nonnè Chriſtiana religio plenè ſatis eſt ad benè beateque viuendum? Cur ergò iſtud humanum, factitiumque negotium adinuentum eſt? Cur etiam tot varia factitiarum religionum genera ſuborta ſunt? Sed & huiuſcemodi inuenta otioſitas reprobatur luculentiùs. Etenim cùm vita ipſa ſit (vt dicitur) monaſtica, debuit ſanè Benedictinam ſumere inſtitutionem, quæ pro monachis plenè imbuendis ſufficiens eſt. Porrò vita quælibet religioſa regularis eſt, ſed Cartuſianam vitam non eſſe regularem vel eò conſtat, quod à regula regularis vita dicatur. Nullam autem regulam habet vita Cartuſiana. Denique cum religio Chriſtiana ſit præcipua, nimis temerarium videtur, illam decoram nuncupationem Cartuſianæ vitæ peculiariter aſcribere: quaſi verò religioſi propriè non ſint, qui ſanctiſſimam Chriſti religionem imitantur. Itaque debueratis vos Cartuſiani, ſi veri humileſq; religioſi eſſe cupiebatis, illam phariſaicã præſumpſionem à vobis abijcere, & præclarum religionis verbũ (quod cæteri quoque vſurpârunt) à vobis prorſus relegare. PET. Cartuſianam vitam eſſe religioſam oſtendere cupientes, de religione nõnulla depromamus oportet.

A religione enim dicitur aliquid religioſum. In primis verò ne nos fallat multiplicitas, non ignorandum eſt religionis vocabulum variè accipi ſolere. Primo quidem modo generaliter, pro cultu numini exhibito ſignis quibuſdam, certoque ritu honorationis declarato, quem ita Cicero deſcripſit. Religio eſt, quæ naturæ diuinæ cultum cæremoniamque affert. Quo nempè modo, & veram, & falſam complectitur religionem. Si enim vero Deo famulatus decenter exhibitus fuerit, vera Religio eſt. Sin autem vel falſo Deo, vel indebito modo, cultus fuerit attributus, vana vtrq; eſt Religio. Hoc autem modo capta Religio, per cunctas nationes diffuſa eſſe creditur. Nulla enim tam barbara natio adhuc reperta eſt, cuius mentem non imbuerit alicuius numinis Religio. Sed hac generalitate dimiſſa, ad veram Religionem accedamus. Hæc autem ſolet interdum diſtrictè accipi, & bifariè quidem. Quandoq; enim dicitur cultus, non ſolùm fide, ſed pijs quoque operibus Deo ritè exhibitus, quo modo ſoli fideles benè viuentes, religioſi nuncupantur. Quandoque verò peculiariter dicitur ſtatus clericalis, quòd ſcilicet ſit ſacris rebus, obſequioque diuino ſpecialiter addictus. Sed, huiuſmodi ſignificantias ſatis anguſtas relinquentes, dicamus (quantum ad noſtrum attinet inſtitutum (veram Religionem eſſe, cultum Deo debitum ſignis quibuſdã, certoque ritu reuerentiæ declaratum. Hoc modo falſus, vanus, ſuperfluuſque cultus, Religio dici non poteſt. Chriſtiana autem religio ſola, cum illis quæ ex ea pẽdent, hoc pacto Religio nuncupatur: quandoquidem nec extra, nec citra eam verus cultus eſſe poteſt. Huiuſmodi autem vera

Religionem variè accipi.

Cicero.

Vera religio Chriſtiana.

vera religio (de qua nobis ſermo) pro communi vſu bipertita eſt. Quædam eſt Chriſtiana ſiue Catholica : altera verò eſt conſiliaria, quæ & votiua, particularis, ſeu factitia quandoque vocatur. Chriſtiana religio eſt, cultus Deo debitus ſecundùm traditionem Euangelicam, & vniuerſalis Eccleſiæ traditionem. *Hæc* in præceptorum Eccleſiaſticarumque cæremoniarum obſeruatione, & alijs ad ſalutem neceſſarijs conſiſtit, & idcirco dicta eſt Catholica, id eſt vniuerſalis, quod ad omnes ſpectet, omnesque aſtringat. Dicta eſt etiam Chriſtiana, quòd à Chriſto fuerit ſacro ore inſtituta, cùm ſcilicet humanæ carnis trabea indutus, in terris conuerſaretur. Dicta denique eſt fundamentalis & radicalis, quandoquidem omnes veræ religiones in ea fundantur: nec extra, nec citra eam poteſt (vt dictum eſt) vera Religio ſubſiſtere. Religio autem conſiliaria eſt, cultus Deo debitus ſecũdùm traditionẽ conſiliorum, quibuſdam regularibus ſignis, certoque ritu peculiari declaratus. Hæc autem (quantum ſufficit) bifariam capi poteſt. Vno quidem modo, largè pro omni votiua religione, ſiue ſit triplici votorum funiculo obſtricta, ſiue non. Altero verò modo, appropriatè: ſcilicet pro illa ſola, quæ tribus votis præcipuis religata eſt. Et hæc quidem interdum dicitur conſiliaria, quòd ad Euangelica conſilia, quæ ſuſcepit obſeruanda, ſuos cultores aſtringat. Dicitur & votiua, quòd ſcilicet voluntariè ſuſcipitur, nullique inuito paſſim imponitur. Quanquã & votiua dici poſſit, quòd ipſa propriè certis ſit votis aſtricta. Dicitur & peculiaris, quòd non omnes generatim obliget, inſtar Chriſtianæ religionis,

Religio vera duplex.

Religio Catholica, qua.

Religio particularis, quæ, & quotuplex.

Conſiliaria.

Votiua.

Peculiaris.

ſed eos duntaxat, qui ad eius obſeruationem ſe liberiùs obſtrinxerunt. Dicitur quoque factitia, non quia ſanctis Patribus non ſit inſpirata diuinitus(hoc enim impiũ eſt dicere) ſed quia certis regulis, ſtatutis, cæremonijs, & alijs id genũs ad diuinum famulatum ſpectantibus, religioni fundamentali ſuperadditis, ad præcepta, conſiliaque implenda ſuos alumnos deuinciat. Denique poſſet huiuſmodi religio monaſtica dici, præſertim nominis largè ſumpti ſignificantiam antiquitatemque ſectando. Olim enim illi omnes vocabantur monachi ſeu monozentes, qui ſeculum miſſum fecerant, & diuino cultui ſpecialiter ſeſe dedicauerant. Quamobrem huiuſmodi ſecedentium Religio monaſtica paſſim dicebatur. Sed quia communis vſus habet, non omnes, qui mundi turbam deſtituerunt, monachos vocitare (niſi forſan deriſionis cauſa) eam ob rem magis placuit, præfatis nominibus huiuſmodi religionem apellare, cùm monaſtica Religio propriè ſit pars huiuſmodi votiuæ religionis. Quæ quidem ad Chriſtianam religionem ſolet à nonnullis comparari, quod ſcilicet Chriſtiana ſit fundamentum, votiua autem ædificium ſuper extructum: Illa ſit radix, hæc ramus. Illa fons viuus hæc riuus. Verùm ſi huiuſmodi comparatio vera ſit, conſequens, erit à Chriſtiana votiuam (ſaltem per rationem) ſecernere, eamque pro ſtatutis Chriſtianæ legi ſuperadiunctis accipere. Quod feciſſe illi videtur, qui votiuam religionem humanitus excogitatam aſſeruerunt: è quibus nonnulli proptereà lacerare, alij paruipendere, alij denique nihil appretiare veriti non ſunt. Sed iuſtos miſſos facientes, dicamus religionem votiuam etiam

Factitia.

Monaſtica.

capi

capi poſſe, vt complectitur fundamentũ & ædificium, radicem & ramũ, & fontem & riuum. Si enim quæſo fundamentum ſeparaueris, nonne ædificiũ corruet? Si radicem, non ramus exareſcet? Si fontem, nonne riuus tandem ſiccabitur? Itaque cum nulla vera Religio, vel citrà, vel extra Chriſtianam eſſe poſſit, nullusque verus religioſus, qui Chriſtianus non ſit, operæpretium eſt, votiuam religionem vel includere, vel neceſſariò ſupponere Chriſtianam. Si capiatur, vt includit, dicetur tunc complecti præceptorum conſiliorumque Euangelicorum obſeruationem, ſimulque ſtatuta quædam inſtituta, rudimenta, adminicula, ſeu inſtrumenta Euangelicæ doctrinæ addita, ſanctisque Patribus inſpirata, quibus & ipſi, & ſui alumni poſſunt faciliùs, exactiùs, & vberiùs, illa præcepta, conſiliaque Dominica obſeruare. Non eſt ergò Chriſtianæ Religioni aduerſa, ſicut canes quidam veritatis aduerſarij oblatrauêre. Non eſt otioſa ſeu ſuperflua, quemadmodum otioſi homines ſomniauerunt. Non denique eſt humamanum duntaxat inuentum, ſed diuina pariter & humana eſt huiuſmodi ſancta viuendi inſtitutio. Quæ omnia fient apertiora, ſi de ipſius interpretatione, origine, laude, vtilitate, & demùm inſtitutionis multiplicitatisq; ratione, vel pauca in medium protulerimus. In primis ergò, vt interpretationem tangamus, dicta eſt huiuſmodi Religio à reeligendo, religando, relegendo, relinquendo. A reeligendo quidem, ex eo dicitur, quòd Deum reeligant, qui huiuſmodi ſarcinam obeunt, quam amiſerant negligentes. Etenim per Religionem efficitur, vt homo rurſus Deum eligat, qui per culpam al-

Religio vnde dicatur.

eo diſceſſerat. Eſt ſiquidē huiuſmodi Religio, pœnitentiæ locus, in quo Deus (qui in Baptiſmo primum electus, deinde per culpam neglectus fuerat) iterum eligitur. A religando quoque vocatur, quod ipſa ſuos vero Deo religet cultores, ad eumq́ue peculiariter colendum arctiùs aſtringat. A relegendo inſuper nuncupata putatur, quòd religionis alumni ſæpenumero debeant relegere, quæ ad puram integramq́ue ipſius obſeruationem neceſſaria ſunt. Denique à relinquendo dictam nonnulli putant, quòd ſcilicet huius inſtituti ſectatores non modò ſeculum, ſed & ſeipſos, ſuaque reliquerint, quò puriùs, feruentiùs, ſecuriusq́ue Deo incumbere poſſint. Sed quia hæc vulgata ſunt, ad huiuſmodi religionis exordium tranſeamus.

Quod quidem exactiùs veſtigare ſi cupias, ad eos potiſſimùm videtur recurrendum, qui à mundi turbinibus elongati, aut certè peculiari præ cæteris modo viuendi Deum coluerunt. Hi etenim ſpecialiter, figuraliterq; religionem votiuam inchoaſſe putantur. Verùm (ne longiùs diuagemur) hoc inceptionis decus Samueli Prophetæ vetuſtiſſimo aſcribēdum multi cenſuerunt, quod hac ratione partim verum eſſe poteſt. Ipſe enim primùm ſolus in templo cubans habitanſq́ue figuram geſſit ſolitariorum. Poſteà verò ad Deum collaudandum multos in vnum viuendi modum primus omnium adunauit, cum quibus vitam egit & religioſam, & ſocialem. Fuerunt ſiquidem huiuſmodi viri in vnum collecti, religioſi ſimul habitantes, orationique & contemplationi iugiter vacantes, qui & Prophetæ dicti ſunt, quòd eorum certè non-

Samuel. *1. Reg 3.* *Prophetæ qui ſint.*

nonnulli ſpiritu prophetiæ prædıti fuerint. Igitur ipſe Samuel, religioſorũ in congregatione viuentium primus author, figuralisque parens vtcunque dici poteſt, quippè qui vitam huiuſmodi ſocialem primus inſtituit, quam tùm verbo, tùm exemplo docuit expreſſius, & denique religioſorum Euangelicorum vnà degentium, expreſſam figuram retulit. Verùm non omnes, qui religioſi dici merentur vitam egêre ſocialem, cùm multi ſingulare propoſitũ ſectati ſint, qui ſeculares non fuerunt: quippè qui cum ipſo habitu, ſeculare n quoque vitam reliquerint. Quapropter religioſo vocabulo digni meritò putantur, quorum nonnulli Samuelem præceſſiſſe traduntur, qui ſcilicet à publica hominum congreſsione cohabitationeque ſeipſos ſequeſtrantes (quantum tempora ſinebant) ſolitariè egerunt, & votiuæ religionis ſpeciem præ ſe tulerunt. Non igitur poteſt dici omninò Samuel primus author religionis ſolitariæ, ſed nec alterius votiuæ religionis vel ſolus, vel primus figuralis parens omninò dici meretur, quandoquidem multi Patres vetuſti fuerunt, qui religionis votiuæ figuram geſſerunt, eaque de re figurales eius authores dici poſſunt: puta Leuitæ Aaronici, qui partem hæreditatis inter filios Iſrael ſortiti non ſunt. Mararitæ quoque, id eſt, amari. Nazarei etiam Moſaici, prophetæ denique filijque prophetarum. Specialiter autem Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Samſon, Samuel, Helias, Heliſæus, & alij id genus permulti, quorum nonnulli ante Samuelis tempora religiosè vixerunt, qui & ipſius votiuæ religionis figuram tenuiſſe putantur. Inter quos, qui primus omniũ fuerit, æquus 1. Reg. 10.

cenſor videat. Illud autem conſtat, à Deo Optimo bonorum omnium largitore hoc viuendi genus primùm fuiſſe inſtitutum. Sciſcitari autē exactiùs, quis mortalium primus author figuralis extiterit, ſuperuacaneum eſt. Cùm enim artificem, certò nouimus, fruſtrà de inſtrumento nimiū percunctamur. Igitur in ſumma dicamus, cœptam fuiſſe hanc vitæ rationē in antiquo populo, figuraliter quidem & imperfectè: in nouo autem perfectiùs, completiùs, vberiusque. Enimuerò in illo figurali popello fuére ſanctiſſimi Patres, qui huiuſmodi regularis vitæ inſtitutionem figuraliter inchoârunt: quibus & ſucceſſerunt Euangelici viri, qui hanc vitæ rationē perfectiùs coluerunt. In primis autem Dominus ipſe totius bonitatis origo, huiuſcemodi religioſi ædificij Euangelica fundamenta iecit, cum ardua conſilia docuit. Poſtmodum Apoſtoli parietes addidére, quippè qui tum verbo, tùm exemplo religioſa documēta poſteris tradiderunt, & obedientis, caſtæ, pauperiſque vitæ exempla reliquerunt. Denique ſanctiſſimi, Apoſtoliciq; viri (qui paſſim religionis Patres appellantur) tectum, hoc eſt, inſtituta quædam ad complendum negotium adiecerūt. Quibus factum eſt, vt ipſum myſticū religionis ædificium, pulchram perfectamque conſummationem acceperit. De laude verò huiuſmodi religionis, dixiſſe ſufficiat, eam pro ſui dignitate olim quidē (quod iam diximus) figuratam fuiſſe: ab eximijs autoribus, ſcilicet Chriſto, Apoſtolis, Diſcipulis, & potiſſimum Marco Euangeliſta, alijſque heroicis viris inſtitutam, à ſanctiſſimis æternaq; memoria dignis cultoribus arreptam, & deniq; tantis bonis refertam, vt omni laude ſuperior, nec iniuria,

eſſe

eſſe putetur. De vtilitate quoque dixiſſe ſatis ſit pauca quędam. In primis ea, quæ à Diuo Bernardo in commendationem religionis hoc modo referuntur. Ibi homo, inquit, cadit rariùs, ſurgit velociùs, purgatur citiùs, incedit cautiùs, viuit quietiùs, irroratur frequentiùs, moritur confidentiùs, & remuneratur copioſiùs: Sic ille. In *ipſius* quoque religionis commendationē, Hugonem de ſancto Victore legimus ita prolocutum: Abundans eſt pauperi religio, mediocri ſufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis cōpatiens, largioribus moderata, pœnitentibus miſericors, peruerſis ſeuera, bonis optima. Hæc (inquam) dixiſſe ſufficiat. Quoniam ſi cuncta proſequi animus foret, nimia digreſſione opus eſſet. Igitur de inſtitutionis ratione breuiter tangamus, triplicem eius rei afferentes cauſam. Prima eſt, ad faciliùs delenda piacula, quæ forſan in ſeculari vita admiſſa fuére. Eſt enim huiuſmodi religio ſtatus pœnitentium, atq; ſua aliorumque flagitia lugentium. Sed etſi vera ſint, quæ periti viri retulerunt, ſcilicet plenam omnium flagitiorum veniam in religionis ingreſſu (hoc eſt, in profeſſione) condonari, quis dubitare poſſit, religionis ſtatum ad diluenda piacula eſſe aptiſſimum? Altera cauſa eſt, ad vitanda illa mala, periculaque innumera, quæ in mundo eſſe conſpiciuntur. Quæ quidam Poëta ſub tribus eſt complexus, cùm inquit:

Ambitioſus honos & opes, & fœda voluptas:
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Sed vt maiorem poëtica authoritatem afferamus, D. Ioannes longo antè tempore teſtatus eſt, totum mūdum in maligno poſitum eſſe. Cuius quidem malitiam trifariam oſtendit, cùm

S. Bernardus.

Hugo de S. Victor.

1. Ioan 5.

1. Ioan. 2. ait: *Omne quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Quam ſententiam ſimulque experientiam quotidianam animaduertentes Patres vetuſti putauerunt, ſæculum eſſe cum ſuis periculis & amatoribus fugiendum. Non enim ſatis conſultum videbatur, vicino ſerpenti cohabitare, & illam ſectari vitam, in qua tam multæ ſunt malorum cauſæ, vt pauci admodum illæſi queant euadere. Itaque hoc peculiare viuendi genus inſtituerunt, quod & tutiùs, & ad vincēdos humani generis aduerſarios aptiùs crediderunt, vbi & contra concupiſcentiam carnis caſtitatem, contra vanitatem oculorum paupertatem, & denique contra ſuperbiam vitæ humilem obedientiam ordinauêre. Quibus ſanè arbitrati ſunt, non tantum vitiorum occaſiones, ſed facili quoque manu perfectionis impedimenta repelli poſſe. Tertia autem cauſa eſt, ad vitæ perfectionem & faciliùs, & cumulatiùs adipiſcēdam. Hoc enim modo charitatis ſeu vitæ perfectionem faciliùs acquiri poſſe, dubium non eſt. Enimuerò ſtatus ipſe religionis, diſciplina quædam eſt & exercitatio, qua faciliùs perfectionem vitæ (quæ in charitatis culmine conſiſtit) & faciliùs & breuius aſſequi mortales poſſunt. Ibi enim optima documenta traduntur, quibus perfectionis, hoc eſt, perfectæ chritatis (ad quam pro viribus aſſequendam religio ipſa finaliter inſtituta eſt) noxia impedimenta ſeu retinacula (quæ humanum animum ab ipſa perfectione ſolent impedire) arceantur ac relegantur. Sed quæ ſunt illa? Nempe occupatio, ſollicitudo, auiditasque bonorum labentium, quæ ſolent hominem à vera quiete, & mentis tran-

quil-

quillitate dimouere, Carnalium quoq; voluptatum illecebræ, quæ hominem brutalem efficere inſueuerunt. Denique voluntatis vix domabilis noxia inconditaque libertas, quæ hominem totum in ſuis operationibus incompoſitum, & à ſincero Dei amore alienum reddere nouit. Cęterùm ad vberiorem perfectionis cumulum, hunc ſtatum fuiſſe inſtitutum oſtendamus. Eſt enim velut quoddam holocauſtum, quo quis nõ ſua tantum, ſed ſeipſum quoque Deo penitus offert. Offert enim quoddammodo omnia, qui omnia propter Deum miſſa facit. Offert corpus proprium, à quo & Syreneas voluptates prorſus exterminat. Offert deniq; (quod cæteris maius eſt) omnem mentis ſuppellectilem, intellectum ſcilicet, & voluntatem. Nonne igitur putandum eſt, eos, qui omnia, quæ habent fortunę, corporis, & animæ bona Deo ſacrificant, gaudia copioſaque premia promereri? Sed iam diuerſitatis cauſas ſubiungamus, quibus ſcilicet in votiuis religionibus facta eſt varietas. In primis enim multiplicitas huiuſmodi effecta eſt ex parte inſtituentiũ. Tametſi vnus præcipuus author eſt, à quo omne rectæ vitæ genus emanauit: multi tamen fuêre ſecundarij inſtitutores, qui diuerſis temporibus, & locis ſuborti, diuerſa quoq; ingenia habuerunt; qui, licet ad eundem finem tenderẽt, ſcilicet ad præſentis vitę perfectionẽ, & futuræ gloriam aſſequendam, varijs tamen modis (non enim vno tantùm modo id muneris haberi poteſt) aſſequi tentauerunt. Hinc factum eſt, vt variæ prodierint religionum inſtitutiones. Altera cauſa eſt ex parte ſuſcipientium. Quandoquidem eorum, qui ſe votiuæ religioni obſtringere cupiunt, variæ ſunt com-

Religionẽ eſſe quoddam holocauſtum.

complexionum corporumque conditiones, variæ quoque ſunt vſque adeò mentis affectiones, vt maior ſit animorum quàm corporum diſparilitas. Denique tam diuerſæ ſunt inclinationes, vt quod vni placet, alteri gratum non eſt, quod vni conducit, alteri noxium putatur. Hũc enim videas ſolitudine oblectari, illum verò ſocietate. Hunc, ſicut videre eſt, contemplatio, illum verò actio delectat. Vt ergò omnibus illis, qui religionis votiuæ ſarcinam voluiſſent obire, cõſultum eſſet, ſancti Patres huiuſmodi varietatem in animis, corporibus, locis, temporibus, alijsque huiuſmodi animaduertentes, diuerſas inſtituerunt ſemitas, vt qui vna non poſſent, vel certè non vellent religionis molendinum adire, alia ſaltem via ingrederentur. Tertia cauſa eſt ex parte ſtatus ſeu negotij. Etenim decebat religionis ſtatum vario viuendi genere decorari. Siquidem de regina Dauidica (hoc eſt, militan-
Pſal. 44. te Eccleſia) dictum eſt, quòd Deo aſſiſtat *circundata varietate*, hoc eſt (quantum ſentio) virtutũ, meritorum, graduum, religionum, & ſtatuum diuerſitate. Cùm igitur illa fuerit à Domino circumdata varietate quò ad partem ſecularem, mirum videri non debet, ſi & in religioſa portione decorata ſit. Sed iam ad religionem Cartuſianam flectamus habenas, probãtes breuiter, eam verè religioſam eſſe. In ea ſiquidẽ ſunt tria vota, quæ dicuntur propriè religionis eſſentialia, quibus ipſi Cartuſiani religantur. Sunt cæremoniæ peculiares, ad diuinum cultum pertinentes. Sunt ſtatuta ſeu documẽta quædam ſpecialia, ad finem religionis aſſequendum ordinata. Sunt ibi religioſi mores, & habitus. Sunt denique ea omnia, quæ ad votiuam propriæq;
dictam

dictam religionem exiguntur. Ita enim author ipſe Cartuſianę religionis ea omnia, quę religionis ſunt, obſeruare curauit, vt nihil ad religioſam vitam neceſſarium prætermiſiſſe videatur. Enimuerò pro ſuæ domus foribus pro cuſtode religionem poſuit, ne quicquam immundum aut religioſæ vitæ aduerſum ſubintraret. Intra verò ſepta, charitatem vbiq́ue adeſſe iuſſit, cuius & vinculo fratres vniri, & imperio agi omnia voluit. Etenim ſine charitate, nihil planè religioſum eſſe poteſt. Eccleſiæ verò peculiariter reuerentiam, deuotionem, cæremoniamq́ue adhibuit. Capitulo præfecit humilitatem, æquitatemq́ue iuſtitiæ, vt & vitia humiliter agnoſcantur, & pœna piaculis impoſita feratur patienter. Colloquio præpoſuit cautelam, ne ſcilicet lubrica lingua ſinatur effręnatè in verba prorumpere. Refectorio voluit adeſſe temperantiam, vt & à refectionis exceſſu, & à murmure temperetur. Coquinæ appoſuit diligētiam munditiamq́ue: diligentiam quidem in prouidendis neceſſarijs, munditiam in parandis. Infirmariæ compaſſionem adiunxit, vt qui languentes curant, omnem eis humanitatem exhibeant. Galilæis clauſtralibus ſilentij cenſuram, honeſtatemq́ue inceſſus. Cellæ amorem, cuſtodiam, ſanctamq; conuerſationē. Debet enim cellicola vſque adeò cellam amare, vt exitum timeat, regreſſum deſideret, iugis inhabitatio delectet. Porrò gratam hoſpitio ſociauit hilaritatem, vt in hoſpitibus & ſuſcipiendis & tractādis ſeruetur iucunditas. Denique eleemoſynæ piam diſcretamq; impertiuit largitatem, vt pro facultate Chriſti pauperibus conſulatur. Itaque religioſè omnia admodum ſunt in vita Cartuſiana ordinata. Sed de his ſatis.

ſatis. Iam verò ad rationum principio adductarum diſſolutionem tranſeamus. Ad primam dicentes, triplici ſubſtantialium votorum funiculo Cartuſianos (inſtar aliorum) obligari, quæ ſanè vincula cuiuis religioni propriè dictæ communia ſunt & præcipua. Quibus adduntur alia duo, ſcilicet ſtabilitas, & morum correctio, quæ ad monaſticam profeſſionem attinent. Monaſtica etenim profeſſio ex quinque præcipuis votis conſiſtere putatur, ſcilicet obedientia, caſtitate, paupertate, ſtabilitate, correctioneque morum. Quæris autem cur (expreſſis alijs) taceantur caſtitas, & paupertas. Ad quod tibi redditur cauſa duplex. Prima eſt, quoniam illum profitendi modum animaduerterunt in Benedictina regula Capitulo LVIII. contineri, quam magna ex parte ſectari voluerunt Cartuſiani. Altera verò eſt, quod ſtatum aliquem ſuſcipiens nimirum ad omnia illa, quæ ſunt eius eſſentialia (ſcilicet ſine quibus ſtatus ille non eſſet) ſeipſum adſtringit. Quamobrem ſolennem faciens profeſſionem, ſatis caſtitatem paupertatemque profitetur. Sed dices: Cur ergò obedientia, quæ eſt tertium cuiuslibet religionis votum, mentio tantùm fit in profeſſione? Nempè, quòd ipſa ſit vniuerſalis, & quodam modo cæteras ſubſtantiales complectens habenas. Adde quòd tanta eſt obedientiæ dignitas, tanta præſtantia, vt peculiarem (nec iniuria) mereatur expreſſionem. Denique hoc effectum eſt, vt iugis haberetur eius memoria. Sed cur ita? Quòd ſanè iugiter ſe offerat obedientiæ materia, cuius vel tanta eſt neceſſitas, vt citrà eam nihil agatur in clauſtro ſalutare. Omnes igitur ſpiritales religio-

Obedientiæ vis & præſtantia.

ligioſorum cibi hoc ſale condiri debent, aliàs prorſus inſipidi efficientur. De ſtabilitate aũt, & morũ correctiõe opus eſt in monachali profeſſione meminiſſe, quoniã duo hęc vota, non cuilibet votiuæ religioni, ſed monachali peculiari cõgruere putantur. Ad alteram verò ratiunculã breuiter reſpõdentes, inficiamur, omnem religioſam vitã tantùm agi ſub illis quatuor patribus aut aliquo illorum. Nonne ante illos patres fuère monachi præſtantiſſimi ferè innumerabiles? Sed etſi hoc verũ eſſet, de vita merè cęnobitica tantùm foret accipiendum. Cartuſiana autẽ vita anachoretica eſt, quanquã & ipſa magna ex parte Benedictinã regulam deſumpſerit. Quòd autem tertiò argumentaris de ſuperfluitate votiuarum religionum, allegans Chriſtianam religionem ſufficere: pulchra ſcilicet argumentatio tua eſt, quaſi verò factitia religio nõ ſit Chriſtiana, aut certè illam non includens vel ſupponens. Nonne & dictum eſt, Chriſtianam eſſe præcipuam & fundamentalem? Quæ licet ſufficiat ad ſalutẽ, ad vitæ tamẽ perfectionẽ breuiùs, faciliùs, & vberiùs aſſequendam, addita ſunt quædam inſtrumenta religioſa, quibus & meliùs ipſa radix in ſuo vigore iugiter conſeruari poſſit. Non igitur otioſæ ſunt huiuſmodi religiones, quæ vel ad hoc inſtitutæ ſunt, vt relictis omnibus, quæ Apoſtoli reliquerunt, ſcilicet retibus, hoc eſt, retinentibus opibus, & patre, id eſt, parentibus carnalibuſque amicis ſalutem impedientibus, & naui, hoc eſt, fluxis mundi vanitatibus, in quibus homo velut in naui agitatus fluctuat. valeant religionis amatores ſuum ſequi redemptorẽ, largiſſima præmia ſuis ſectatoribus tribuentem, cur autem tam variæ inſti-

Cartuſiana vita qualis.

inſtitutæ ſunt iam dictum eſt, non omnibus omnia cōuenire, ſed cum vnuſquiſque pro gratiarum diuiſione proprium donum habeat, eam ob rem alius quidem ſic, alius verò ſic in via religionis ingredi magis oblectatur. Non negauerim tamen, tam multam eſſe religionum diuerſitatem, vt penè nimia eſſe videatur. Quā quidem nimietatem ſancti Patres iure abhorrentes (ne ſcilicet grauem in Eccleſia confuſionem induceret) inſtituerunt in Concilio generali ſub Innocentio tertio celebrato, ne quis nouam poſteà Religionem inueniret. Extrà de relig.do.Ne nimia. Sed quia temporis lapſu non ſolùm importuna petentium inhiatio illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, verùm etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diuerſorum ordinum effrœnatam quaſi multitudinem adinuenit, ea propter in Concilio generali Lugdunenſi ſub Gregorio Decimo celebrato, iterum ſancitum eſt, ne quiſquam nouum Ordinem adinueniret. Caſſati quoque ſunt ordines mendicantes poſteà ſuborti, qui nullam Sedis Apoſtolicæ confirmationem meruerant, vt habetur in vi. de reli. do. capitulo, Vnico. Fertur, ipſum Gregorium voluiſſe, ſolos duos medicantium Ordines, ſcilicet Prædicatores & Minores. cæteris excluſis relinquere, non mendicātes verò ad vnam redigere trinitatem. Si quidem (vt aiunt) volebat Ciſtercienſes, nigroſque monachos in ſuo ſtatu dimittere, & de Templarijs Hoſpitalarijſque vnum Ordinem facere. Verum non facilè crediderim, ſanctæ trinitatis numine huiuſmodi trinitatem fuiſſe excogitatam. Non enim rationi conſentaneum videbatur, tam multos diuinitùs inſtitutos ab

Eccle-

Eccleſia penitùs exulare. Non decebat quoque anachoreticam religionem (quæ per Cartuſianam reparata fuerat) ita peſſum abire, quanquam fortè ſuam trinitatem de ſolis monachis ſocialiter viuentibus efficere voluerit, quas ſanè ſi ad minorem, quam nunc ſint, numerum voluiſſet reducere, nihil à ratione aberraſſe viſus fuiſſet. Etenim tanta eſt multitudo Cœnobitarum ſub eadem etiam Regula viuentium, vt fermè confuſio quædam eſſe putetur: præſertim cum ſolis habitibus & piaculis quibuſdam inſtitutis inter ſe diſcrepare videantur. Sed de ijs ſatis. Quod autem peculiariter arguis Cartuſianam vitam ſuperfluitatis, reſpondetur faciliter eam non debuiſſe Benedictinam inſtitutionem penitus aſſumere: quandoquidem Benedictina Regula pro cœnobitis imbuendis confecta eſt: Cartuſiani autem propriè cœnobitæ non ſunt. Ad quartam autem rationem dicimus, regularem eſſe vitam Cartuſianam, eamque veram regulam habere, id eſt, formam viuendi regulariter. Habet ſiquidem ordinatiſſima, regulariaque ſtatuta, quibus monachalis ſtatus plenè imbuitur ad regulariter viuendum, & quidem aſperiùs, quàm inſtitutionibus vel Baſilij, vel Benedicti. Sed de ijs alias. Ad nouiſſimam denique ratiunculam reſpondentes, fatemur, religioſi vocabulum congruere poſſe omnibus illis, qui religionis Chriſtianæ veſtigia ſectantur. Aptiùs tamen conuenit illis ipſis, qui plus alijs ſe diuinis rebus certis præſertim votis obſtrinxerunt. Quibus & tribus de cauſis tam pręclara nuncupatio meritò donata putatur, ſcilicet ad diſcriminandum, decorandum, admonendum.

P In pri-

In primis quidem ad diſcriminandum ſeu diſcernendum regularem ſtatum à ſeculari, cuius quidem ſectatores (quia laxis habenis, imò & ſeculariter viuere ſolent) religioſam nuncupationem ſortiti non ſunt. Ad honorem quoq; regularis ſtatus hoc effectum eſt, cui & diuina gratia, & pia fidelium deuotione hoc præclarum nomen impoſitum eſt. Denique ad monendos religioſi ſtatus cultores hoc factum putatur, vt ſcilicet vel ipſo nomine moneantur, intelligantque religioſam vitam ſemper ab eis agendam eſſe. Sicut enim Chriſti ſectatores Chriſtiani vocati, vt ſcilicet iugem Chriſti memoriam habentes, admonerentur eius veſtigia ſemper ſectari: ita & hi, qui paſſim religioſi dicuntur, hoc modo nominati ſunt, vt religioſam vitam ſibi putent ſemper agendam. Non igitur hanc decoram nuncupationem arrogãter ſibi vſurparunt, ſed quod piè collatum eſt, piè ſuſceperunt. Cæterum cùm iam ſatis oſtenſum ſit, Cartuſianam vitam eſſe religioſam, operæpretium eſt monſtrare, eam quoque monaſticam eſſe. Qua in re ſi quid te mouet (mi Oblocutor) pro tuo more id ipſum proferas in medium.

CAPVT XII.

Antequam oſtendatur, Cartuſianam vitam eſſe monaſticam, præmittuntur varia monachorum genera, ſimulq; ſingulorum qualitates, & origines.

Oblocvtor.

CArtuſianam vitam nullo pacto monaſticam eſſe, faciliùs oſtendi poteſt, quandoquidẽ omnis vita monaſtica (ſaltem probata) vel

anacho-

anachoretica eſt, vel cœnobitica. At verò Carthuſiana vita nec heremitica eſt, vt probabitur, nec cœnobitica (quod tu ipſe iam confeſſus es) igitur monaſtica non eſt. Deinde omnes religioſi paſſim monachi vocantur. Cùm igitur de religioſa vita egeris, in caſſum de monaſtica agere tentas. Pergerem improbare quod cœpi, niſi ipſum Monachi vocabulum cunctis & exoſum, & execrabile, tibi tuique ſimilibus, tanquam ignominioſam nuncupationem, gratis concederem. PET. De monaſtica vita ſermonem facere volentes, afferamus in primis, religioſam, ſeu regularem vitam eſſe bipertitã. Quędam enim monaſtica eſt: altera verò non propriè monaſtica, quæ ſcilicet omnes religioſos viuendi modos (qui propriè monaſtici non ſunt) complectitur. Quam in præſentiarũ omittentes, de monaſtica tantùm dicere pergamus: primùm quidem varia Monachorum genera ab antiquis memorata, deinde ſingulorum qualitatem originemq́ue depromentes. In primis ergo pro Hieronymi ſententia tria Monachorum genera in AEgypto (vbi olim magis floruiſſe monaſtica vita putatur) reperta ſunt: videlicet Cœnobitarũ, Anachoretarum, & eorum quos Remeboth vocabant, teterrimũ ſcilicet atque neglectũ genus Monachorum. Quam Hieronymi ſententiam amplexus & Caſſianus, tria quoque retulit genera Monachorum: videlicet Cœnobitarum, Anachoretarum, & Sarabaitarum: quorum duo priora eſſe optima, tertium tepidum atque omnibus modis euitandum aſſerens, tandem quartum adiecit, eorum ſcilicet, qui anachoretarũ ſibi ſpecie atque imagine blandiuntur, quos fictos lentoſque heremitas

Diluuntur iſta capita ſequenti.

 poſſu-

poſſumus appellare. Quibus Pater Benedictus ſua in regula aſtipulatus, in primis tria genera monachorum aſtruit, cœnobitarum, anachoretarum, & Sarabaitarum. Qui & ſub Sarabaitis duo malorum monachorum genera, ſcilicet propriè Sarabaitarum, & fictorum heremitarum, complexus, tandem ipſe nouellum genus adiecit, quod girouagum nominauit. Ex quibus omnibus confici videntur quinque genera monachorũ, ſcilicet Cęnobitarum, Anachoretarũ, Sarabaitarum, fictorum heremitarum, & Girouagorum. Quibus (proh dolor) præſentis temporis calamitas ſextum genus addere impellit, quod deformatum dicitur, eorum ſcilicet, qui paſſim diſſoluti ſeu deformati vocantur. Sed iã enumeratis monachorũ generibus, eorum qualitatem originemque diſcutiamus. Cœnobitæ ſunt, pro Hieronymi ſententia, quos nos in commune viuentes poſſumus appellare. Plures enim ſimul viuunt, in commune habitant, Superioris reguntur imperio, & denique in congregationis laudabili ſubiectione perdurant. Cœnon enim Græcè, commmune Latinè interpretatur. Cui ſententiæ concordat Caſſianus dicens, cœnobitas eos appellari, qui in congregatione pariter conſiſtentes, vnius Senioris iudicio gubernantur. Quibus & pater Benedictus aſſentit, genus cœnobitarum interpretans monaſteriale militans ſub regula vel Abbate. Præfatis denique omnibus Beda non diſſentiens, eos cœnobitas vocari ait, qui ita viuunt vt ſint omnia communia in Domino. Verùm præfatis in finitionibus, cœnobitarum vocabulum largiùs accipi videtur. Quo ſanè modo, duo cœnobitarum gradus reperiuntur. Siquidem nonnulli

nulli fuêre puri cœnobitæ, qui vitam per omnia communem agêtes, paruam ſolitudinis curã habuerunt. Alij verò cœnobitæ leguntur, non ita prorſ' ſocialiter victitaſſe. Qui licet in communi viuerent, cohabitarentque ſimul, multam tamen ſilentio, ſolitudini, vitæq; aſperitati operam nauabãt. Seiunctis enim in cellulis habitantes, partemq; temporis vnã ſolitudini, alteram ſocietati tribuentes, magnam vitæ ſectabantur aſperitatem. Cuius ſanè generis, quod medium dici poteſt, maximus numerus olim in AEgypto fuiſſe refertur. Verùm, vt res ipſa fiat luculentior ipſorum cœnobitarum, & originem, & vitæ qualitatem proſequi libet vberiùs. Ergò dicamus, eos duplicem habuiſſe inceptionem: legalem ſcilicet, & Euangelicam. legalem quidem habuiſſe videntur, à cuneis ſeu conuentu prophetarum, qui per Samuelem adunati ad laudes Domino concinendas, in collo Domini habitaſſe dicuntur: quanquam & per Leuitas Aaronicos (qui partem hæreditatis inter cæteras Tribus Iſrael non ſunt conſecuti) & per Nazareos (qui à vulgo, communi hominum vita ſeparati, peculiarem ſortiti ſunt viuendi legem) anteà figuratos fuiſſe, putari poteſt. Fuêre autem alij quidem, monachorum figurales parentes, ſcilicet filij prophetarum, quos (Hieronymo ad Ruſticum Gallum teſtante) monachos in veteri teſtamento legimus, qui ædificabant ſibi caſulas propè fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agreſtibus victitabant. Sed hi magis anachoreticæ vitæ, quàm merè cœnobiticæ figuram prætuliſſe videntur. Ad cœnobitas igitur redeuntes, addamus, monaſticam obſeruantiam per

1. Reg. 10.

Deut. 18.

Num. 6.

longa temporum curricula perduraſſe. Etenim circa finem veteris legis, hoc eſt, paulò antè Aduentum Domini noſtri in carnem, Eſſeni peculiarem viuendi modum apud Iudæos obſeruantes, monaſticæ vitæ formã tenuiſſe creduntur. De quibus ita Ioſephus meminit. Eſſeni ad Deum cuncta redigunt, immortalem animam dicunt. Iuſtitiam autem rem pretioſam, pro qua etiam vſque ad mortem pugnandum eſſe prædicant. Omnes illis opes in medio ſunt, & ab eis omnia poſſidentur. Nihil amplius inter eos ditior fruitur, nihil pauperior defraudatur, ac ſi nihil omninò poſſideant. Vxores non ducunt, ſacerdotes optimos viros eligunt. Cibus illis ſimplex eſt, habitus inſumptuoſus & mundus. Se ab omni congregatione diſcernunt, remotim ſacrificia facientes. Cultu verò morum atque conuerſationibus optimi, ad colendam terram & exercendam omni ſtudio intenti: Hæc ille. Sed iam euangelicam cœnobitarum originem afferamus. Quia in re dixiſſe Caſſianum comperimus, cœnobitarum diſciplinam à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſiſſe exordium. Quod nos ita accipiendum putamus, vt monaſticam vitam ante diſceſſum Apoſtolorum cœptam fuiſſe, poſt eorum verò abſceſſum, nomen & incrementum accepiſſe intelligamus. Enimuerò ante generalem nouiſſimamque Apoſtolorum diſperſionẽ cœpta fuit monaſticæ vitæ forma, quando ſcilicet poſt Saluatoris aſcenſionem. Apoſtoli ſimul cum Diſcipulis in monte Syon habitãtes, ſimulque viuentes, & monaſticæ vitæ formam tenuerunt, & ſuo exemplo primam credentium multitudinem docuerunt. Talis enim

Act.1.2.

fuit

fuit Hieroſolymis primaria fidelium turba, quales nunc eſſe veri Monachi & nituntur, & cupiunt. Quòd ſi quis hæſitet, legat quod in Apoſtolicis Actibus habetur, vbi dicitur capite ſecundo: *Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Et capite quarto itidem dicitur: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*, & quæ ſequuntur. Plantata igitur Hieroſolymis tàm mirabili vita, poſt ipſorum authorum (ſcilicet Apoſtolorum) receſſum, cœpit tepeſcere credentium multitudo. Cuius rei cauſam ſi quæras, duplicem fuiſſe inſinuamus, ſcilicet ipſorum Paſtorum abſentiam (quâ ſæpè viuitur licentius) & libertatem, gentibus ad Chriſti fidem confluentibus, conceſſam. Siquidem in tertia Synodo Hieroſolymis celebrata, nihil amplius imponendũ gentibus ſanxerunt Apoſtoli, quàm vt ab immolatitijs idolorum, fornicatione, ſuffocatis, & ſanguine temperarent. Hanc igitur libertatem, quæ gentibus ipſis, tùm propter inueteratam gentilitatis conſuetudinem, tùm infirmitatem primæ credulitatis, indulta fuerat, ſibi quoque licitam putantes illi ipſi, qui ſub Apoſtolica vixerant diſciplina: poſt diſceſſum Apoſtolorum paulatim cœperunt ab illa diſtrictione laxari. Quod animaduertentes eorũ nonnulli quibus adhuc Apoſtolicus inerat feruor, ſe ab eorum (qui laxiùs viuere cœperant) conſortio, fidei calore concitati, ſegregârunt. Itaque ſuis è ciuitatibus ſecedentes, petenteſque ſuburbana, ſecretioraq́;

Actor. 2.

Act. 4.

Act. 15.

loca, illam vitam, qua docentibus Apoſtolis imbuti fuerãt, agere cœperunt. Proinde duo Chriſtianorum genera ſunt effecta. Quidam enim cum ſuis facultatibus fidem Chriſti ſectantes commune nomen Chriſtianorum retinuerunt. Alij verò, quod teſtatur Caſſianus, ab eo quòd à coniugijs abſtinerent, & à parentum ſe conſortio, mundiq; iſtius conuerſatione ſecernerent, monachi ſiue monazentes, à ſingularis ac ſolitariæ vitæ diſtinctione, nominati ſunt. Vnde conſequens fuit, vt communione conſortij cœnobitæ, cellæq; ac diuerſoria eorum cœnobia vocarentur. Hæc autem vitæ peculiaris diſciplina ita breui coaluit, vt non ſolùm Hieroſolymis, ſed in multis quoq; prouincijs fuerit dilatata.

S. Marcus monaſticæ vitæ plantator.

Maximè verò hanc viuendi regulam ampliauit, primusq; omnium apud Alexandriam plantauit Marcus Euangeliſta, Petri Diſcipulus. Qui aſſumpto Euangelio, quod Romæ cõfecerat, perrexit AEgyptum, vbi conſtituit Eccleſiã. Quàm (Euſebio, Hieronymoq; referentibus) Philo Iudæus vir diſertiſſimus, multis extulit laudibus, illius victum viuendiq; modum ita depromens.

Eccl hiſt. lib. 2. c. 18.

Primò omnium, inquit, renuntiant cunctis facultatibus ſuis, qui ſe ad huiuſcemodi philoſophiam dederint, & bonis ſuis, quibus intereſt, cedunt. Tum deinde omnes etiam vitæ ſolicitudines procul abijciũt, & extra vrbem egreſſi, in hortulis vel exiguis quibusq; agellulis degunt: refugientes imparis propoſiti conſortia, & vitæ diſſimilis contubernia: ſcientes, impedimento eſſe hæc, arduũ volentibus iter virtutis incedere. Porrò deſcriptis eorum habitaculis, dilationem quoque addidit. In multis, inquit, orbis terræ partibus eſt hoc genus hominum.

Opor-

Oportebat namque, perfecti huius boni participem fieri omnem Grçciam, omnemq; Barbariam. In AEgypto tamen maior eſt copia per ſingula quæque territoria, præcipuè autem circa Alexandriam. Denique de huiuſmodi virorum exercitijs, & vitæ qualitate plurima ſubnectit, inter alia hoc modo dicens: Ab ortu diei vſque ad veſperam, omne eis ſpatium in ſtudiorũ exercitijs ducitur, quibus ad diuinã Philoſophiam per ſacras litteras imbuuntur, Patrum leges in allegoricam intelligentiam deducentes. Continentiam verò velut fundamentum quoddam primò in anima collocãt, & ita demùm reliquas ſuper hanc pergunt ædificare virtutes. Cibum, potumq; nullus eorum capit ante ſolis occaſum; videlicet tempus lucis cum philoſophiæ ſtudijs, curam verò corporis cum nocte ſocIantes. Nonnulli autem etiam poſt triduum, in communionem veniũt cibi. Alij verò in eruditionibus ſapientiæ, & in profundiore intelligentia ſacrorũ voluminum adeò aſſiduè conuerſantur, vt illis tanquam copioſis dapibus inhiantes, nec quarto, imò nec quinto, ſed ſexto demùm die, non tam deſideratũ, quàm neceſſarium corpori indulgeant cibũ: Hæc ille. Ex quibus ſatis liquet, nihil cuiuſquam proprium monachis illis fuiſſe, nullũ inter eos diuitem, nullũ pauperem, à quibus & patrimonia egentibus diuidebantur, orationi vacabatur, & Pſalmis, doctrinæ quoque & continentiæ. Denique quomodo Lucas narrat, *Act. 2. 4.* Hieroſolymæ credentes omnia habuiſſe communia, ſic Philo ipſe, quod Alexãdriæ ſub Marco fieri doctore cernebat memoriæ tradidit. De his autem proſequi latiùs non intendamus, remittentes ad Hieronymum, Euſebium, & Caſ-

P 5 ſiodo-

ſiodorum, qui de hac re pleniùs meminerunt. Plantata igitur tam mirabili vita, dilatataque, & peculiare nomen ſortita, multos annos ſola durauit. Adhuc enim alia religioſæ vitæ genera nondum in lucem prodierant, ſed illi omnes, qui ſeculi turbam miſſam fecerant, monachi vocabantur, eorumq; vita, monaſtica. Quæ ſanè per multa tempora magna integritate, magnaq; gloria floruit, quandoquidem ſacri Hieronymi tempore adhuc in AEgypto admirandos cœnobitas reperire erat. De quibus Hieronymum ipſum ſecuti pauca referamus. Prima apud eos confœderatio fuit obedire maioribus, & quicquid iuberent, facere: manebant ſeparati, & ſeiunctis cellulis, vſque ad horam nonam nemo pergebat ad alium. Poſt nonam concurrebatur, in commune, Pſalmi reſonabant, ſcripturæ recitabantur. Completisque orationibus, Pater loquebatur. Quo loquente tantum fiebat ſilentiũ, vt nemo alium reſpiceret, nemo auderet excreare, voluebantur tacitæ per ora larchrymæ, & ne in ſingultus quidem erumpebat dolor. Poſt hęc ibatur ad menſam, vbi nullus ſtrepitus, nullus loquens audiebatur, viuebatur pane, leguminibus, & oleribus, quæ ſolo ſale condiebantur. Vinum tantum ſenes accipiebant, quibus cum paruulis ſæpè fiebat prandium, vt aliorum ætas feſſa ſuſtentaretur, aliorum non frangeretur incipiens. Ieiunium totius anni æquale erat, excepta Quadrageſima, in qua ſola diſtrictiùs viuere concedebatur. Denique opus diei ſtatutũ erat, quod Præpoſitis reddebatur. Quibus animaduerſis, luculenter cõſtat, cœnobitarum mirabilem fuiſſe vitam, cuius ſimilem hac temporum fœce vix reperiri poſſe crediderim.

Mirabilis vita antiquorum monachorum.

Verùm

Verùm enimuerò non ſolùm in Ægypto, ſed in occiduis quoque regionibus ea tempeſtate præcipuos cœnobitæ vitæ cultores fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Quandoquidem ſub Diuo Martino Sacerdotum gemma, gloriaque monachorum, militaſſe dicuntur monachi præſtantiſſimi, quorum habitacula iuxta Turonicam ciuitatem in quodam ſaxoſo colle ſita, monaſteria vocabantur. In quibus vnum fuit præſtantiùs, quod maius monaſteriũ eſt nuncupatum. Itaque falluntur illi, qui putant, D. Benedictum fuiſſe primarium patrẽ Monachorum. Non enim primus monaſticæ vitæ inſtitutor fuit, cùm ante illius tempora conſtet præceſſiſſe monachos admirabilis vitæ innumeros, qui cœnobiticæ vitæ puritatem per longa tempora fideliter obſeruârunt. Verùm, qui dixerit eum in occiduis partibus vitæ cœnobitæ, vtcunque lapſæ, inſtauratorem, incitatorem, legiſlatoremque præſtantiſſimum, nihil à veritate diſſentiret. Siquidem monaſticam vitam ab interitu penè vindicauit ſuoque exemplo multos concitauit ad ſectandam cœnobiticæ vitæ integritatem. Quæ cum multos annos in ſua puritate anteà perſeueraſſet, tandem à ſua gloria pedetentim decidere cœpit. Vergente enim mundi veſpere, non ſolum communis planaque vita, ſed ipſa quoque monaſtica, paulatim ad decliuium tendere cœpit: quandoquidem non ſolum Benedicti, ſed etiam Caſſiani temporibus iam cœnobiticæ, diſciplinæ vigor tepuerat. In diſtrictis enim cœnobijs, licet Caſſiani ætate adhuc cernerentur huius vitæ pura reſidere veſtigia, tamen cùm ad Diui Benedicti tempora peruentum fuiſſet, iam multum remiſ-

S. Martinus monachos habuit.

Caſſianus.

acceperat, magnaq; varietas in obſeruantia monaſtica fuerat ſuborta. Quòd pater Benedictus animaduertens, curauit monachos omnes (qui cœnobiticè viuere voluiſſent) in vnum viuendi modum adunare. Quibus & regulam fecit benedictam, temperatamque, & multa diſcretione præcipuam. Cogitans enim pater ipſe pientiſſimus, illum prioris vitæ rigorem admirabilemq; aſperitatem multos ferre non poſſe, aut certè non velle (non enim, vt alia taceantur, antiqui illi cœnobitæ, niſi ſenio confecti, vino vtebantur) cœnobiticum ipſum rigorem diſcretè temperare, cœnobiticamque diſciplinam omnibus portabilem facere curauit. Nam (vt inquit) in ſua inſtitutione nihil aſperum, nihilque graue conſtituturum ſperabat. Itaque vnam eminam vini quotidie, cibosque tùm humanos, tùm monaſticæ vitæ ſufficientes indulſit. Lecto mattam dedit, ſagum, lanam, ceruicale. Solitudinis denique tædioſum pondus, aliaque omnia ita moderatus eſt, vt iam nullus de nimia aſperitate iuſtè queri poſſit. Verùm enimuerò, qua eſt labilitate genus humanum, hanc quoq; temperatioris vitæ formam paulatim contaminare cœpit deſidia, noxiaque licentia, adeò quidem, vt hac tempeſtate vix poſſit vitæ ipſius puritas vſpiam inueniri. Sed iam ſatis declarata cœnobitarum vita, anachoretarum ſingulare propoſitum ſubnectendũ foret. At quoniam alio in loco dicturi ſumus, eam ob rem ad Sarabaitarũ conuerſationem transeamus. Sarabaitæ ſunt (pro D. Hieronymi ſententia) qui bini, vel terni, nec multò plures ſimul habitant, ſuo arbitrio ac ditione viuentes: & de eo quod laborauerunt, in medium partes conferunt, vt habeant alimenta com-

Benedictus.

communia. Habitant autem quàmplurimi in vrbibus,& caſtellis. Et quaſi ars ſit ſancta, non vita, quicquid vendiderint, maioris eſt pretij. Inter hos ſæpè ſunt iurgia, quia ſuo viuentes cibo, non patiuntur ſe alicui eſſe ſubiectos. Re vera ſolent certare ieiunijs, & rem ſecretæ victoriæ faciunt. Apud hos affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginũ, detractio clericorum. Et ſi quando dies feſtus aduenerit, ſaturantur ad vomitum: Hæc Hieronymus. Hoc autem teterrimum infideleq; monachorum genus non emerſit, quàmdiu memoriæ hominum impreſſa fuit illa Petri Apoſtoli ſeueritas, quàm in Ananiam & Saphiram exercuit. At vbi exemplum illud terrificũ longa incuria obliteratum eſt, emerſit hoc Sarabaitarum genus, qui (pro ſententia Caſſiani) ab eo quòd ſemetipſos à cœnobiorum congregationibus ſequeſtrarent, ac ſingillatim ſuas curarent neceſſitates, AEgyptiæ linguæ proprietate Sarabaitæ nuncupati ſunt. Qui & Euangelicam perfectionem potiùs ſimulare, quàm veraciter arripere malentes, cœnobiorum nullatenùs expetunt diſciplinam, non ſeniorum ſubijci dignãtur arbitrio, nec ſuas vel diſcunt, vel volunt vincere volũtates, nec vllam ſanè diſcretionis regulam legitima eruditione ſuſcipiunt, nec demùm verè, ſed ad hominum faciem ſeculo abrenũciant. Quid igitur? Nempe ſuis in domibus ijſdem occupationibus, quibus anteà, incumbunt, conſtruuntq; cellulas (quas monaſteria vocant) ſuo in eis iure ac libertate viuentes, cauentesque præcipuè, vt abſoluti à ſeniorum iugo, exercendi voluntates ſuas, ac procedendi quò placuerit, aut agendi quod libuerit,

Actor. 5.

Caſſianus.

libuerit, plenam habeant libertatem. De quibus & Diuus Benedictus in regula agens, ita inquit: Sarabaitæ ſunt, qui nulla regula approbati experientia magiſtri, ſicut aurum fornacis, ſed in plumbi natura molliti, adhuc operibus ſeruantes ſeculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur. Qui bini, aut terni, aut certè ſinguli ſine Paſtore, non diuerſis ſed ſuis incluſi ouilibus, pro lege eius eſt deſideriorum voluptas, cùm quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt ſanctum, & quod noluerint, putant non licere. Ecce quam concorditer ſancti illi Patres hanc monachorum fœcem, tanquam diram luem, deteſtandam exterminandamque cenſuerunt. Iam ad quartum monachorum genus veniamus, quos fictos hæremitas nominauimus, de quibus ita refert Caſſianus. Sanè eſt aliud quartum genus, quod nuper cernimus emerſiſſe in his, qui anachoretarum ſibi ſpecie atque imagine blandiuntur: quique in primordijs ſuis feruore quodam breui, cœnobij perfectionem videntur expetere, ſed cõtinuò tepefacti dum priſtinos mores ac vitia reſecare contemnunt, nec iugum humilitatis, ac pœnitentiæ diutiùs ſuſtinere contenti ſunt, ſubdique ſeniorum imperio dedignantur, ſeparatas expetunt cellas, ac ſolitarij ſedere deſiderant, vt ita ſcilicet à nemine laſceſſiti, patientes, manſueti, ac humiles poſſint ab hominibus æſtimari. Quæ inſtitutio imò tepor, eos quos ſemel infecerit, ad perfectionem nunquã permittit accedere. Horũ imitatores putantur heremitæ nonnulli, qui nec vitijs emaculati, nec monaſterij diſciplina probati, ſolitariã vitã arripuerunt, de quibus poſtmodum agetur vberiùs.

Heremitæ ficti, qui & quales.

Caßianus.

Cæte-

Cæterùm quibus comparabimus quoſdam barbatos, qui bini, vel terni, nec multò plures ſimul habitant, paſſimque vagantes per ſeculum heremitæ vocantur? Nunquid fictis heremitis, de quibus nuper locuti ſimus? Minimè, quoniã ſolitariè non viuunt, ſed multi ſimul habitant. An verò Sarabaitis? Neſcio an ſatis plena ſit comparatio. Dicamus igitur, eos potiùs monſtra quædam horrenda ex Sarabaitis fictiſque heremitis confecta. Ab heremitis enim falſis ſumpſerunt Barbam, à Sarabaitis verò cohabitationem communitatemque, ab vtriſque autem teterrimæ vitæ figuram. Siquidem, illorum inſtar, nec verè pauperes, nec obedientes, nec ſtabiles ſunt, nec moribus corripiendis intendunt. Non enim ſunt veri pauperes Chriſti, quippe qui omnimodam rerum labentiũ nuditatem abhorrentes, nec verè ſeculo abrenuntiant, nec Euangelicam paupertatem ſectantur, ſed interdum laborando, interdum verò manus publicè extendendo, ſtipemque petendo (maximè quando multus eſt populi concurſus) quantas poſſunt opes aggregant, eas in multorum quandoque annorum ſpatia reſeruantes, quò deficiant nunquam lautiùs viuant, ventriſque expleant ingluuiem. Nec obedientes quoque inueniuntur, vtpote qui Superiorum dedignantur imperium, qui laxis habenis, ſuaque libertate viuunt, qui ſuas nec nôrunt, nec volunt ſuperare voluntates, qui ſuo quoque iure ac voto viuentes, pergunt quò volunt, vagantur quando libet, agunt quod placet: qui denique non incumbunt morum compoſitioni, quandoquidem nec probatam viuendi normã, qua ſuos mores dirigant, ſectantur, nec priſtina vitia reſecare

curant,

curant, ſed eadem quæ prius exercent negotia. Quid plura? nihil in eis, præter Barbam & veſtẽ, mutatum inuenire poteris. Quibus animaduerſis, deberent illi ipſi, quorum intereſt, à ſuis eos finibus propulſare, aut certè ad ſuſcipiendam probatæ vitæ formam, penitus compellere. Sed his dimiſſis, ad alios æquè probos ſcilicet, accedamus, quos pater Benedictus girouagos appellauit. Hi ſunt, qui tota vita ſua ꝑ diuerſas prouincias, ternis aut quaternis diebus per diuerſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi, ſemper inſtabiles, ſemper ſuis voluptatibus, gulæque illecebris ſeruiẽtes, qui & per omnia deteriores Sarabaitis eſſe putantur: de quorum miſerrima conuerſatione meliꝰ eſt ſilere, quam loqui. Denique eos ſubnectamus, quos diſſolutos vocari diximus. Hi ſunt, qui religioſam vitam probatamque regulam profeſſi, ſuis nullo modo votis reſpondere volunt. Apud eos ſiquidem obedientiæ iura paſſim violantur, quibus ſi forſan ab eis audiatur, hoc vel timore pœnæ, vel captandi fauoris, beneuolentiæque, vel certè conſequendi officij gratia efficitur. Sed quid de paupertate? Eam ſanè, vel potiùs inſanè, velut peſtẽ exoſam habentes, quas poſſunt opes congregant, officia ambiunt, quæ vel inuidis maioribus pertinaciter retinere non verentur, peculium recondũt, ſectantur proprietatem, quam hactenus ita coluerunt, vt Chriſti patrimonium inter ſe partiti ſint, miſera tamen inæqualique partitione, cùm vnus eſuriat, alius ebrius ſit, vnus abundet, alius habeat nihil. Porrò ſi vitæ aſperitatem quæſieris, inuenies craſſos vultus, ventreſque obeſos. Nihil ibi frugalitas loci habet. At multo tùm cibo, tùm Baccho indulgetur. Carnes vel delica-

tiores

tiores ſæpe vorantur. Lineæ inſuper camiſiæ (quibus vel pontificio iure monachi interdicuntur) lecti quoque molles, veſtes prætioſæ, caligæ oblongæ, aliaque id genûs permulta(quę monaſtico rigori aduerſantur) apud quoſdam in vſu habentur. De ſilentio, cæremonijs, obſeruantijsque antiquis nulla eius cura eſt, nulla fermè in templo reuerentia, nulla deuotio. Enimuerò diuinum officium ita percurritur, vt Deus irritari potiùs, quàm mulceri videatur. Quid plura? Moroſi mores componere negligunt, regularia inſtituta non curant. Monaſticam denique obſeruantiam peroſi, præter veſtem tonſuramque, nihil habere videntur religionis præuaricatores monachi, de quibus hic ſermo eſt. Quę fortè aliaque innumera fuerant & toleranda, & reticenda, ſi ipſis in clauſtris duntaxat admitterentur. At verò cum publica ſint, quis reticere poſſit? Quis(inquam) coarguere palàm non habeat, quæ exleges monachi in propatulo peccare non verentur? Videas etenim quoſdam ex eis, breui admodum veſte, nodoque axillari decurtatos, mercatorum ſpeciem præ ſe ferre. Alios cernas non tantum marſupia, ſed ipſa quoque ſcapularia quandoque ſerica geſtare. Inuenias etiam quoſdam ſeipſos mirantes, cincinnatos habere capillos, calceos feneſtratos, veſtes ſeculariter confectas, ſuperbum inceſſum, ſermonem turgidum, quandoque etiam turpiſſimum. Inuenias(inquam) qui paſſim ſe Dominos nos Priores appellare iubent, monachi enim nomen exhorrent. Enimuerò ſi ſaperent, deberent quando monachi vocantur. Cæſarem appellare. Cur ita? Nempè quod afficiantur hoc pacto graui contumelia, non ſecus ac ſi peruer-

Religionis præuaricatores.

ſum hominem quis ſtudioſum nuncupârit. Denique ſi huiuſmodi Monachorũ portenta moneantur, vt reſipiſcant, ſtatim excandeſcunt, contumelioſis ſæpè verbis monitorem deturpantes. Sed & ſi fortè ad eos reformandos quiſpiam neruos intendere cœperit, mox lites ſuſcitant, malè ſana conſilia petunt, fauores aucupantur, argumenta conquirunt, diſtortas ſomniant interpretationes, ſuis nituntur corruptelis, & omnibus denique modis curant, vt non curentur, laborant vt fruſtrà laboretur, agunt, vt nunquã ad ſalutarem exitũ cœpta res agatur. O quis ſufficiat huiuſmodi perditos mores penitus enarrare? Enimuerò, qui omnia diligenter luſtrare voluerit, inueniet hanc prophanam viuendi licentiam cæteris, de quibus locuti ſumus, peiorẽ eſſe. Ex comparatione enim morũ ad mores, æqua cenſura fieri poteſt. Poſſemus adijcere Monachos illos, qui in monaſterijs probè directis perperàm viuunt, maioremq́ue proptereà gehennam ſibi parant: ſed nos potiſſimũ de communibus Monachorũ ſectis, non autem de priuatis aliquorũ moribus in præſentia agere inſtituimus. Hæc autem retulimus, non vt rideantur, ſed pijs defleantur lachrymulis, preceſq́ue fundantur apud Altiſſimum, quò priſtinam monaſtici ordinis dignitatem inſtaurare dignetur. Lapſa eſt enim ſuprà modum. Iam videtur
Ioel. 2. Sol obſcuratus, luna in ſanguinem verſa, obſcu-
Thren. 4. ratum aurum, mutatus color optimus, filij eius perditi, diſperſi lapides Sanctuarij in capite om-
Gen 27. nium platearũ. Iam ſenuit Iſaac, caligauerunt
Dan. 2. 4. oculi eius, cana eſt Religio. Iam cùm Nabucho-
Gen. 41. donoſor arbores, ſtatuæq́ue grandes honorum,
Gen. 40. cum Pharaone boues, diuitiarumq́ue ſpicæ, cũ
pincer-

pincerna & piſtore panis, calicesque delitiarum ſomniantur. Quid verbis opus?

Dereliquerunt plerique fontem aquarum viuentium, ſuam ſcilicet regulam, regularemque obſeruantiam, cuius vix vnum antiquum fruſtum reperire eſt. Foderunt autem ſibi ciſternas diſſipatas, excogitantes quaſdam inuentiones humanas, cæremonias ſuperuacaneas, nouellos ritus, denique grauem, tædioſamque ſeruitij ſeu orationum copiam, cum quibus religioſæ deuotionis aquæ nullo modo continere poſſe creduntur. Sed de ijs iam ſatis. *Hier. 2.*

CAPVT XIII.

Breuiter primum probatur Cartuſianam vitam eſſe monaſticam, deinde pro diluendis argumentationibus multa de monachi nuncupatione ſubiunguntur.

PETRVS.

IAM verò patefactis generaliter Monachorum ſectis, de Cartuſiana vita peculiariter agendũ eſt. Qua in re primùm oſtendamus, eam monaſticam eſſe, deinde ad rationes hoc improbantes reſpondeamus. Primùm autem breuiter tangendum, nec multo in eo labore deſudandum videtur, quippe quod ſatis apertè probat, conficitque nominis ipſius interpretatio. Monachus enim ſolus ſiue ſolitarius interpretatur. At verò Cartuſiana vita ita ſolitaria eſt, vt omnem in hac parte monaſticam vitam exuperet, quod & experientia ipſa declarat, & Cartuſianorum ſtatutorum confirmat authoritas. Ne igitur in re tam manifeſta paſſimque admiſſa caſſo labori diutiùs hæreamus, ad rationes in fronte præcedentis capitis depróptas

Diluũtur abiectiones præcedẽtis capituli.

accedamus, dicentes ad primam, Cartuſianam vitam eſſe ſolitariam ſeu hereminicam. Quod quia non impugnatur, & poſtmodùm probabitur, eam ob rem ad alteram ratiunculam accedatur. Cui vt reſpondeatur vberiùs, agendum eſt de monachi vocabulo. In primis quot modis accipi paſſim ſoleat. Deinde quam variè pro cõcordia virorum doctorũ capi debeat. Poſtremò cur ipſum olim tam glorioſum, hac tempeſtate ita exoſum habeatur. Igitur quot modis ipſum monachi nomen paſſim accipi ſoleat, afferamus. Quidam enim omnes eos, qui religioſam vitam profitentur, monachos vocant. Verùm huiuſmodi acceptionis temeritas parùm curanda eſt: quandoquidem vel liuore, vel deriſione, vel contemptu, vel indignationis vehementia id effici putatur. E diuerſo nonnulli, qui vel iuris periti eſſe putantur, eos ſolos monachos vocant, qui vitam propriè monaſticam profeſſi ſunt. Itaque illi ipſi, qui ſub religioſo habitu ſolitariam vitam agunt, nec tamen monaſticis votis obſtricti ſunt, ab eis monachi non dicerentur. Quapropter multos anachoretas ſanctiſſimos, vtpotè Paulum, Antonium, Hilarionem, & cæteros innumerabiles, à monachi nuncupatione excluderent, quos tamen veriſſimè monachos docta ſemper vocauit antiquitas. Itaque hanc duntaxat acceptionem recipientes, ſatis ſe & antiquitatis, & veræ interpretationis ignaros, & in fingendis verborum acceptionibus audaciores, oſtendunt. Qui grauiùs incuſandi eſſent, niſi & variè ipſum monachi vocabulum ab ipſa antiquitate deſumptũ fuiſſe inueniretur. Priſcorum ſiquidem nonnulli monaſticam nuncupationem quibuſdam tribue-

tribuêre, quam eiſdem alij denegârunt. In nomine diſcordia, in reipſa conſenſus fuit. Quod vt probetur, vel duo afferantur, ſcilicet Helias, & Ioannes Baptiſta. Quorum poſteriorem diuus Chryſoſtomus monachum vocat, cùm ait: *Ioannes eſt princeps monachorum*. Ipſe monachus ſtatim vt natus eſt in heremum iuit, in heremo nutritur, Chriſtum expectat in ſolitudine. Cuius ſententiæ anteà fuiſſe creditur Diuus Hieronymus, vtrunque (ſcilicet Heliam, & Ioannem) Monachum vocans. Etenim ipſe agens de anachoretica vita (quæ ſecundùm eum monaſtica eſt) ita dixit: Huius vitæ author Paulus, illuſtrator Antonius, & (vt ad ſuperiora conſcendam) princeps Ioannes Baptiſta fuit. Alibi quoque ſui propoſiti, id eſt, monaſtici, Principes appellat Paulum, Antoniũ, Iulianum Hilarionem, Macharium, Hæliam, Heliſæum filiosque prophetarum, quos & expreſsè monachos nominat. Cæterùm Hieronymus ipſe, quaſi ſibimet diffidens, in vita primi heremitę Pauli aliter ſentire videtur. Sic enim inquit: Inter multos ſæpè tractatum eſt, à quo potiſſimùm monachorum heremus habitare cœpta ſit. Quidam enim altius repetentes, à beato Helia, & Ioanne ſumpsêre principium. Quorum & Helias plus nobis videtur fuiſſe, quam monachus, & Ioãnes antè prophetare cœpiſſe, quàm natus eſt. Ad quam opinionem vulgus omne conſentit. Alij aſſerunt, Antonium huius propoſiti fuiſſe caput, quod ex parte verum eſt. Non enim tam ipſe ante omnes fuit quam ab eo omnium incitata ſunt ſtudia. Ex quibus omnibus liquet, magnam in huiuſmodi negotio prima fronte diſſonantiam inueniri, quam tamẽ ſedari poſſe putamus,

Luc. 1. 3.

Monaſticæ vitæ Principes.

tamus, ſi varias ipſius verbi ſignificantias prodiderimus. Quas omnes ſimul complecti volentes, duas iam depromptas repetamus. Interdum enim, vt diximus, vulgariter monachus accipitur, & latiſſimè quidem, pro omni eo, qui ſeculum miſſum faciens, ab hominum turba ſeipſum ſegregauit, ſiue tribus per profeſſionem votis ſe obſtrinxerit, ſiue non. Quæ acceptio de liuore, aut certè contemptu ſuſpecta, cum cæteris trãſeat erroribus. Altero verò diſtricto quodam modo capitur pro illo tantùm qui ſeculi tumultum fugiens, vitamque profeſſus regularem, monaſticis votis ſeipſum obnoxium fecit: quo modo anachoretæ à votis liberi, monachi non eſſent. Quæ ſignificantia, licet apud recentiores quoſdam vulgata ſit, anguſtior tamen videtur, ſed toleretur. Iam verò alias acceptiões ſubnectamus, ad ſedandam antiquitatis diſſidẽtiam excogitatas, ſcilicet largam, propriam, & ſtrictiorem. Monachus enim largiùs ſumpto vocabulo, ille eſt, qui vitam monaſticam verè vel apparenter agit, ſiue monaſticis votis obſtrictus, ſiue ab eis immunis ſit. Hoc modo vita monaſtica complectitur non ſolum laudabiles & probatas, ſed etiam reprobatas monachorũ ſectas: quomodo cœperunt, qui varia monachorũ genera poſuerunt, de quibus iam ſatis locuti ſumus. *Ca. præce.* Altero modo ſumitur propriè pro illo, qui ſectam probam propriéq; monaſticam (hoc eſt, verè cœnobiticam vel anachoreticã) ducit, ſiue certis ad eam votis ſe obſtrinxerit ſiue nõ, Hoc modo Sarabaitæ, & alij huiuſmodi, qui diſſuaſas reprobatasque ſectas amplexati ſunt, Monachi nomen non ſortirentur. Ipſa autem monaſtica vita hoc modo, id eſt, medio quodam, & pro-

& proprio deſumpta eſt, quæ ſecularis, communiſque vitæ commercium fugiens, & à mundi turbinibus ſeipſam ſegregans, in ſolitario ſecreto loco agitur, & contemplationi, vitæque humilitati atque aſperitati incumbit, aut certè ad huiuſmodi obſeruanda certis quibuſdam documentis ordinata eſt. Tertio denique, & ſtrictiori modo ſumitur, pro illo, qui vitam propriè monaſticam agit, & nec prophetiæ, nec alterius diuini muneris pręſtantia maiori, quam ſit monachatus, decoratus eſt. Hoc modo cœperunt, qui Prophetas eſſe Monachos inficiati sũt: qui tamen pro alijs acceptionibus ſunt ab alijs doctis viris Monachi vocitati, quales & Apoſtoli, Diſcipulique Dominici. Sed cur (inquies) huiuſmodi inſignes viri, qui monaſticæ vitæ formam tenuêre, non ſunt olim concorditer Monachi nuncupati? Nonnè illo nomine quiſque dignus eſt, cuius vitam veraciter tenet? Nonnè (inquam) illi, qui & monaſticæ vitæ diſciplinam tenuerunt, & vitæ illius normam tribuêre, deberent etiã à recentioribus Monachi extra controuerſiam vocitari? Reſpondemus, & nunc & olim morem illum obſeruari ſolitum, cum multis officijs, dignitatibus, gradibus, gratijſue quiſpiam donatus ſit à digniori nomen accipere. Hoc in primis liquet in cœleſtibus ſpiritibus quorum ſuperiores (licèt inferiorum gratias habeant) à maiori tamen nuncupantur. Hoc etiam conſtat in Prælatis, Principibus, alijſque huiuſmodi, qui diuerſis officiorum generibus decorantur. Cùm igitur Helias, Ioannes, & Apoſtoli, Diſcipulique Dominici plus quàm monachi fuerint, non mirum ſi à digniori nomen acceperint. Prophetia enim

Apoſtolatus, & doctoratus munera ſunt ſola monachatu præſtantiora. Adde quòd Apoſtoli non duxerunt vitam in monaſtico habitu, ſolitarijſque & ſilentibus locis, & ab hominum turba prorſus ſeiunctis (erant enim ad imbuendum populum inſtituti) quamobrem non ſolent paſſim monachi nũcupari. Sed iam ſatis ſedata controuerſia, dicamus cur ipſum monachi vocabulum hac tempeſtate tanto odio habeatur. Olim enim glorioſum, multoque in pretio habitum fuiſſe creditur, quãdo ſcilicet nomini vita conſonabat, & necdùm ouile monaſticum lupus deformationis inuaſerat. Illo igitur tempore, quo vita rectè agebatur, ea ipſa cum ſuo nomine cõmendabatur, efferebaturque plurimum. Quòd enim tunc laudaretur, vtpotè & præſtantiſſima, & maiorem in modum vtilis mortalibus, ſatis teſtatur Caſſianus, cùm inquit: Præcipuè inſignìſſimam Eccleſiam demonſtrauerunt, & dogma dilatauerunt vitæ virtutibus, qui conuerſatione monaſtica olim fruebantur. Vtiliſſima namque res ad homines venit à Deo iſta philoſophia. Et paulò pòſt. Hæc ergo philoſophia conuerſatione mirãda, naturali ſimpliciq; prudentia docet omninò, quę nequitiam perimant, & operentur vtilia. Subiungit quoque alia multa in laudem monaſticæ vitæ. Adde illa Eccleſiæ columina, ſanctos ſcilicet Doctores Eccleſiæ omnes, præter Ambroſium, monaſticæ vitæ ſemitas inſecutos fuiſſe. Sed & ipſe Ambroſius, cæterique pontifices, & ſanctiſſimi, & præſtantiſſimi, ſemper fuêre pręcipui fautores defenſoresq; ordinis monachalis. Deniq; illa innumera, quæ prodierunt à monachis, doctrinarum, virtutum, gratiarumq; fluenta, ſatis oſtendũt, mo-

Omnes præcipuos Eccleſiæ Doctores præter Ambroſium monachos fuiſſe.

naſti-

naſticam vitam & laudatam,& laude digniſſimã fuiſſe.Cur ergo, dices, nomen ipſum nunc tam odioſum eſt effectum? Reſpondemus,huius rei quadruplicem cauſam aſſignari poſſe, ſcilicet, liuorem dæmonis, peruerſorum dementiam, diſſolutionem malorum monachorum,& denique bonorum probationem. In primis liuore dæmonis hoc effici non inuitus crediderim, quippe qui probos monachos vehementer peroſus, diuerſis eos calamitatibus ſemper afficere curet.Itaque non ei ſatis eſt,eos ſeculo reddere exoſos,niſi & ipſam nũcupationem faciat odioſam. Videns enim in nonnullis adhuc monaſterijs vitam agi regularem, dolensque propterea vehemẽtius, totum monaſticum ordinem perturbare nititur, & quos non poteſt deformationis gladio iugulare,eos vel ipſius nuncupationis horrore ad nihilum redigere tentat. Putat enim vel ipſius nominis odio conſequi poſſe, vt qui ſubeundæ religionis ardore caleſcunt, non monaſticam, ſed aliam potius ſuſcipiant. Deinde fit hoc,hominum leuium,cupidorum inuidorumque dementia. Leues enim homines ſacra omnia rident. Cupidi verò monachorum fortunam ægrè ferentes (quia terrena bona tam faciliter parare nequeunt) nomen certè pretioſum auferre conantur. Liuidi deniq; animaduertentes,monachos, & primos omnium, & præſtantiſſimos fuiſſe,torquentur inuidia, ordinẽ monaſticum deturpant,& quo iure,quaque iniuria pueros ad ſe trahunt,monaſticum ab eis deſiderium nominis infamatione auferentes. Porrò diſſoluta malorum monachorum vita, ipſum nomen adeò ingratum reddidit, quæ & non ſolũm ipſius nominis peperit detrimentum, ſed

In malos Monachos. alia quoque plurima eis attulit incõmoda. Nec iniuria quidem. Qui enim ſuperis infenſi ſunt, qui mortem ſibijpſis conſciſcunt, qui grauiſſimam ſibi gehennam parant, qui proximis ſcandalo ſunt plurimo, qui iuuenes ſuis exemplis perditisq́ue moribus corrumpunt, qui fundatores turpiter fraudent, qui pauperum bona, infideliter abſumunt, quomodo (quæſo) clari nominis honore digni eſſent? Quo (inquam) pacto ſuarum rerum iacturam nõ facerent? Qua demùm ratione apud mortales vllo in pretio haberentur? Non mirum igitur, ſi & ipſi multo paſſim ludibrio ſint, qui ſuum & ordinem, & nomen ridiculum fecerunt. Iam enim cùm eorum aliquis in propatulo videtur mox ſuggillatur, mox dicitur: En probus Monachus, en ſanctus Benedictus iunior, & (vt barbaros mores barbaris verbis conſequar) ipſe eſt (inquiunt) vnus Monachus pro omni potagio. Sed nouiſſimam rationem afferamus. Denique ad bonorum Monachorum probationem hæc finitur calamitas, vt ſcilicet multa patientiæ argumenta habentes probi Monachi, ipſam veraciter obſeruare ſtudeant, ſcientes per infamiam & bonam famam adeundum eſſe regnum cœleſte. Scientes (inquã) magni eſſe meriti, illum ſtatum elegiſſe, quem cognouerunt, non re tantum, ſed ipſo quoque nomine ab ipſis ſecularium vanitatum ſectatoribus odio haberi. Quæ omnia prudenter animaduertentes Cartuſiani, ſcientesq́ue memoriter ea, quæ mundialibus grata, alta, glorioſaque videntur. Superis ingrata, abiecta, viliaque frequentiùs eſſe, ipſum Monachi vocabulum cœleſtibus gratũ non exhorrent, ſed totis votis amplexantur: vehementer

Patientia ſanctorũ.

geſtien-

geſtientes, non tantùm nomine, ſed ipſa quoq; re, de monachorum grege cenſeri. Itaq; nuncupationem ipſam tibi tuique ſimilibus, hoc eſt, ſtultis, ingratam (quam & eis inter arguendum deſpiciendo reliquiſti) gratāter acceptant: pientiſſimum Dominum flagitantes, vt tantæ nuncupationi reſpondentes iugiter, atque maledictionis illius (quam rabidus dœmon iamdudum probis Monachis imprecatus eſt) participes effecti, tandem cum ſanctis Monachis perennem à Domino benedictionem pro tranſitorijs maledictionibus ſuſcipere mereantur: tametſi non putent, vlla ſe affici contumelia, cum Monachi vocantur. Nihil enim vident in huiuſmodi nuncupatione, quod criminatione dignum cenſeri debeat. Quid enim (quæſo) aliud eſt Monachus, quàm vir pericula ſocietatis humanæ fugiens, & in deſertum vel clauſtrum ſe recipiens, vt ſolitudini vacare, tutiùs viuere, peccatorum cauſas vitare faciliùs, virtutes pleniùs cumulare, & demùm præmia vberiùs conſequi poſſit? Quod ſi diligenter aduerterent vanitatis ſectatores, non ita paſſim Monachi vocabulo, tanquam ludibrio quodam, vterentur. Non tam leuiter (inquam) pro cõtumelia proferrent, quod in multam laudem ſuapte natura ſonare, probis peritiſq; viris prorſus exploratum eſt. Sed dicit aliquis: Monachorum nuncupationem ipſam non deteſtor, ſed dicentis animum modumque proferendi modeſtè non fero. Fateor, imperfectis Monachis graue eſſe, quod ridiculè dicitur, æquanimiter ferre. Sed, obſecro, ſi quis ridẽdo, ſpernendo, ſubſannãdo, aureum tibi daret, num paruipendentem floccifaceres, datumq; aureũ acciperes? Cur non etiam pretioſum Monachi

Monachus quid eſt.

voca-

vocabulum, etiam ridendo tibi obiectum, accipis? pręſertim cùm etiam ea, quæ ex ſe contumelioſa ſunt, haud dubiè ſint Chriſti contemplatione patienter, à monachis potiſſimùm, tolerãda. Sed de his hactenùs. Iam verò ad Cartuſianã vitam redeuntes, oſtendamus, eam ſolitariam, anachoreticã, & vtcunque mixtam eſſe. Quod ſanè negotium, ſi abs te non improbetur, mi Oblocutor, ſolitarium erit. Nihil enim poteſt tuis è manibus intactum euadere.

CAPVT XIV.

In primis oppugnatur Cartuſiana vita, quod nec ſolitaria, nec anachoretica, nec vtcunq; mixta ſit: deinde multa de ſolitudine, ac ſolitaria vita negotio conducentia afferuntur.

Oblocvtor.

CArtuſianam vitam nec ſolitariam, nec anachoreticã, nec vtcunq; mixtam eſſe, paucis oſtendere iuuat. In primis quòd ſolitaria nõ ſit, luculenter conſtat: quandoquidem Cartuſienſes in eodem clauſtro habitant, refectionem vnà capiunt, quotidie pro cultu diuino perſoluendo ſimul conueniunt, aliaque ſectantur exercitia, quæ non ſunt ſolitariæ vitæ officia. Adde, ſi ſolitaria eſſet, & otioſè, & imprudenter ageres. Otioſè quidem ac ineptè, quoniam idem ſibi volunt monaſtica vita & ſolitaria. Monachus enim (quod dixiſti) ſolus, ſiue ſolitarius interpretatur. Cùm igitur probaueris, Cartuſianam vitam eſſe monaſticam, niteris incaſſum oſtendere, eam ſolitariam eſſe. Imprudenter quoque, quòd putes tuam vitã propterea multa laude afficere, cùm tamen palàm ſit, ſolita-

riam

riam vitam non laudabilem, ſed multo vitupe-rio dignam eſſe. Quòd autem non ſit anacho-retica ſiue heremitica, facilè quoque conficitur. Siquidē vos Cartuſiani ſimul vitam agitis: non igitur anachoretæ, hoc eſt, ſecundùm nominis interpretationem, ſine choro ſeu conſortio vi-uentes eſtis, eaque de re nec vita veſtra anacho-retica ſanè dici meretur. Denique luculenter oſtenditur, eam nullo modo mixtam eſſe. Alio-qui dicta non conſentirent. Non enim fieri po-teſt, vt eadem vitæ ſpecies ſit ſimplex, & mixta. Igitur cùm vitam Cartuſianam profiteris ana-choreticam, & propterea ſimplicem, non potes eam rectè mixtam dicere. Simplex enim & mixtum, membra ſunt inter ſe pugnantia, quæ propterea eidem conuenire non poſſunt. Adde, illud quod mixtum eſt, nullius illorum, ex qui-bus miſcetur, nomen accipere ſolere. Denique ſi Cartuſiana vita mixta eſſet, pura non eſſet.

PETR. Antequam tuis obiectionibus reſpon-deatur, aliqua videntur prælibanda, quæ huic negotio non inepta eſſe putantur. In primis de ſolitudine, ſolitariaque vita. Deinde pecu-liariter de anachoretica ſeu heremitica, quæ ſolitariæ vitæ ſpecies eſt. Poſtea quot modis ſuſcipi, quot etiam modis deſeri queat ſolita-ria vita, præſertim anachoretica, hoc enim pa-cto videbitur, quæ laudāda, & è diuerſo quæ vi-tuperanda ſit. Ad hæc de ſolitariæ vitæ laudibus, vt quantum inde Cartuſiana vita ſit efferenda, intelligatur. His enim expletis, faciliùs de Car-tuſiana vita agetur, improbationibusque factis reſpondebitur. Primum igitur aggredientes, ſupponamus in primis, ſolitudinem interdū la-tiùs accipi poſſe, pro illa, quæ non tantū homi-

num

num eſt, ſed etiam aliarum rerũ. Dicuntur enim aues quædam ſolitariæ, dicuntur & beſtiæ quædam ſoliuagæ. Interdum verò tantũ capi pro ſolitudine, quæ hominibus, aut etiam rebus quæ nonnihil habitudinis ad homines habent, conuenit: ſecundũ quam acceptioné dicitur ſolitarius homo, ſolitarius author, ſolitaria vita, ſolitaria dom⁹, ſolitaria opinio, & alia id genûs permulta. Hęc aũt ſolitudo ſocietati opponitur, aut ſecundũ rem, aut certè ſecundũ rationem, eaq; de re tot ſpecies, quot ſocietas, ſub ſe cõplecti poſſe videtur. Nihilominùs non ita paſſim communis vſus tot ſolitudinis gradus admittit, quot ſocietatis. eam ob rem ſatis ſit vnã ſolitudinis diuiſioné generalem, quæ partim apud viros peritos, partim apud vulgares in vſu eſt. Dicamus igitur, ſolitudiné eſſe tripartitã. Quędam eſt interior, exterior altera, tertia ex vtraque conflata. Interior aũt, quæ & mentis ſeu cordis ſolitudo vocatur, eſt ipſius mẽtis ab occupatione, agitationeque immunitas, ſiue vacuitas quædã, quæ & benè, & malè contingere poteſt, eaq; de re ſolitudo interior, in bonam & malam ſecerni poſſe videtur. Bona eſt, cũ humanus animus à vitiorũ turba, paſſionũ quoq; & curarũ noxiarũ ſtrepitu, & deniq; ab occupationũ cogitationumq; diſtrahentiũ tumultu liber eſt. Hoc enim modo ſolus eſt, qui pacatus atq; tranquillus eſt. Quem mentis ſtatũ ſi paſſionũ turbæ tentationumque tumultus oppugnent atq; turbent, ſi tamẽ mens ipſa nõ expugnetur, non deijciatur, non ſuperetur, huiuſmodi ſolitudo interior propterea nõ perimitur, licet agitetur atque lædatur. Quæ ſanè ad vitã ſolitariã decenter agendã, vſque adeò neceſſaria eſt, vt citra eã nec ſuauiter, nec ſalubriter

briter agi poſſit. Hinc eſt illud Gregorij: Quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo deſuerit cordis? Hanc nonnulli etiã in turbis poſiti, habent ſufficienter, pauci excellenter: hoc eſt, pauci ſunt, qui à præſentiũ rerũ ſenſu ita abſtrahantur ac rapiantur, vt quid extrà geratur, ferè non ſentiant. Hæc (inquã) ſolitudo præſtans rara eſt, præſertim apud homines occupatos, & in humana ſocietate verſantes. Quàm D. Gregor. ſecretũ cordis in Moralibus vocat, vbi in hũc modũ ait: Si prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarũ ſeculariũ tumultus in corde patiatur, nõ eſt in vrbe. De hac quoque interna ſolitudine D. Bernardus ſuper Cantica ita inquit: O ſancta anima, ſola eſto, vt ſola omniũ ſerues teipſam ei, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos. Secede ab amicis & intimis, etiam & ab illo, qui tibi miniſtrat. Secede ergo, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed deuotione, ſed ſpiritu. Et ſubdit. Solus es, ſi non cõmunia cogites. ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias quod omnes deſiderant, ſi iurgia deuites, ſi damna non ſentias, ſi non recorderis iniuriarum. Alioqui nec ſi ſolus corpore es, ſolus es. Videſne, poſſe eſſe te & ſolùm, cùm inter multos, & inter multos, cũ ſolus es? Solus es in quantacunque hominum verſeris frequentia: tantùm caue, alienæ cõuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex. Hæc Bernardus. Sed iam de mala ſolitudine agam. Solitudo interior mala dicitur, cùm à virtutum commertio, ſanctorumque cogitatuum, & cœleſtium occupationum ſocietate vacuus eſt. De qua illud rectè accipi poteſt:

Gregor.

S. Bernar. in Cant.

Va ſoli:

Eccl. 4. *Va ſoli*. Qui enim hoc modo ſolitarius eſt, nec diuinæ gratiæ, nec ſtudioſorum quoque occupationum potitur conſortio, ſed aut malè vacat, aut certè tumultuantes paſſiones, cogitationesque varias animam ipſam miſerè laniantes, habet: quæ miro quodã modo cum mala ſocietate infauſtam, miramque ſolitudinem efficiũt. Infauſtam quidem, quoniam infœlix illa mens eſt, quæ virtutum ſanctarumque occupationum commercio deſtituta eſt: miram verò, quia & in medijs vrbibus, & in multa hominũ frequentia planè frequentiſſima eſt. Quæ nihilominùs in ipſis etiam ſyluis ac deſertis inuenitur, cùm ſcilicet à ſolitario inania caſtra fabricãtur, mũdialia deſideria corde volutantur, rixantur paſſiones, & denique inſenſata cogitamina ſolitariam mentẽ infœliciter occupant, quæ & interdum ita agitant, vt in verba, geſtusque ſolitarius ipſe erumpat. Inuenire enim eſt quoſdã ſolitarios, qui plerumque cum abſentibus altercantur, iaculantur conuitia, comminantur. Alios verò reperias inanes choreas ducentes, ſaltantes, laſciuientes. Alios quoque offendas, qui ſoli loquuntur, ſolique agentes, nullum (quod mirum eſt) ſilentium obſeruant. Denique alios comperias, qui vel forenſes cauſas agant, vel acriter diſputent, vel concionentur ad plebem, vel interpretantur, vel demùm aliquid huiuſcemodi caſſo labore efficiant. Quod referente Caſſiano de inſtitutis cœnobiorum lib. 11. cuidam ſolitario in heremo Scythiæ commoranti, contigit. Cùm enim ſenex quidem ad cellam eius, gratia viſitationis, acceſſiſſet oſtioque propinquaſſet, atque audiſſet eum intrinſecus loquentem, paululùm ſubſiſtit, cognoſcere volens,

lens, quid ille de Scripturis vel legeret, vel memoriter recenſeret. Cumque aure diligenter applicata curioſiùs exploraſſet, audiſſetque eum concionantem, ac in Eccleſia exhortatoriũ plebi ſermonem faceret, poſteaque mutato officio, miſſam Cathecumenis velut celebrantem, tunc demùm ſenex pulſauit oſtium. Qui introductus & ab illo fratre rogatus, quando veniſſet, iocu lariter ſenex ipſe grateque reſpondit: Modò, inquiens, quando tu miſſam Cathecumenis celebrabas. Quo nimirum exemplo probatur, quod diximus, & ſolitudinem internam, miſeramque nonnunquam in deſertis inueniri, & cum exteriori ſolitudine infœliciter ſociari. De hac aũt mala ſolitudine, accipi myſticè poteſt illud Pſalmiſtæ: *Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo.* Quod tamen peculiariter D. Bernardus interpretatur de ſolitudine ſuperborum, dicens: Solitudo hæc ſuperborum eſt: quia ſolos ſe reputant, ſolos appetunt reputari. Literatus eſt, odit ſocium. Aſtutus in negotijs ſecularibus, neminem vellet ſibi ſimilem inueniri. Pecunioſus eſt, ſi diteſcere viderit alterum, concitatur. Fortis eſt aut formoſus: da ei parem, & contabeſcit. Solitarius eſt, ſed erroneus. Errat in ſolitudine ſua. Non enim ſolus habitare poterit ſuper terram. Poteſt nihilominùs de omni ſolitudine mala verbum illud intelligi, quandoquidem non ſolùm per ſuperbam cordis ſolitudinem, ſed etiam per quamuis aliam miſeram atque ineptam erratur ſiue peccatur. Verùm hac interna ſolitudine prætermiſſa, vtpotè à qua paſſim ſolitaria vita minimè nuncupari ſoleat, de exteriori agendũ eſt, quæ ſcilicet alterius rei, quàm mentis, vacuitas aut ſingularitas quædam eſt. Hæc autem

Pſal. 106.

Bernard.

in ſolitudinem corporis, loci, ac vtriuſque, prima fronte diuidi poteſt, & ſufficienter quidem. Quanquam nonnulli (in quibus eſt Petrarcha) alium quendam exterioris ſolitudinis modum ſiue ſpeciem ponunt, dicentes, quandam eſſe temporis ſolitudinem, quando videlicet à tumultu ventorum, aliorumque huiuſmodi aër immunis eſt, multumq; habetur ſilentiũ. Tunc tacet omnis ager, tunc ſunt ſine murmure frondes: tacent & ſtrepitus in vrbibus, tranquillaque ſunt omnia, nec clamores vſpiam audiuntur, ꝙ intempeſta nocte ſæpius euenire ſolet. Verùm hæc temporis ſolitudo in communi vſu nõ eſt. Nec immeritò quidem, cùm ab huiuſmodi ſolitudine humana vita nomen non accipiat. Alias ciues omnes, nullis flantibus auſtris, nulliſq; tumultibus reſonantibus, ſolitarij eſſent. E diuerſo cùm tẽpeſtates ſonant, perflantq; omnia venti, hi qui ſolitudinẽ colunt, ſolitarij non eſſent. Non negauerim tamen, hanc temporis ſolitudinem, quæ potius temporis tranquillitas diceretur, ad vitam ſolitariam ſuauiter agendam multùm conducere, ſine qua tamen etiam rectè acta eſt, & agi poteſt. Quapropter ea dimiſſa præfatæ diuiſionis (quam poſuimus) membra breuiter tangamus, dicentes, ſolitudinem corporis eſſe, quando quis corporaliter in aliquo loco ita conſtitutus eſt, vt nec comitem, nec pœnitentem alium tunc temporis ſocium habeat, ſiue locus ſit ſuapte natura ſolitarius, ſiue non. Quo modo dicere ſolemus de aliquo ſocietate carente, ſolus eſt. Vnde & in vrbibus huiuſmodi ſolitudo haberi poteſt, Quam quidem amaſſe creditur Imperator ille Domitianus, qui vt liberius muſcas ꝑſequeretur, in ſuo ſe cubiculo occulebat.

bat. Cuius veſaniam Criſpus orator eleganter riſit. Ab eo enim cum quæreretur, an quiſquam cum Imperatore eſſet, reſpondit: ne muſca quidem. Hæc autem ſolitudo ad lectionem, orationem, cæteraque ſpiritalia opera multũ conferre putatur. Ideoq; non citra cauſam obſeruatur ab illis ipſis, qui vel ſciētię, vel ſapientię verę prorſus incumbere volunt. Verum ſi ſola fuerit, ſcilicet, ſine ſolitudine cordis, nullius aut parui eſt momēti, iuxta illud Gregorij in Moralibus iam ſuperius allegatum: quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo deſuerit mētis? Qui enim corpore (vt idem ait) remotus viuit, ſed tumultibus conuerſationis humanę, terrenorum deſideriorum cogitationi ſe ingerit, nō eſt in ſolitudine. Hæc nihilominus, vt diximus, poteſt ſpiritalib⁹ exercitijs multum cōmoditatis afferre. Sed iam de ſolitudine loci agamus. Solitudo loci dicitur ſolitarius locus, inanis, vacuus, hoc eſt, à turba ſeu frequentia hominum, præſertim eorum, qui imparis ſunt propoſiti, ſeiugatus. Cuius quidem tres ſpecies traduntur, ſcilicet deſerti, clauſtri, & tecti. Quæ cum ſuis cultoribus per tres aues, ſcilicet pelicanum, nicticoracem, & paſſerem deſignantur, & à Pſalmiſta tanguntur, cùm inquit: *Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nicticorax in domicilio, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Per pelicanum, autem, quæ auis eſt & nimiæ maciei, & ſoliuaga, ſignificantur tum heremi, tum heremitæ ipſi, qui propter victûs aſperitatem macilenti ſunt, & in deſertis ſe continent. Per nicticoracem (qui à publico remotus, & habitans in parietibus, hoc eſt, ruinis, vbi ſcilicet parietes ſtant ſine tecto, noctem amat,

Pſal. 101.

Pelicanus.

Nicticor.

dumque aues aliæ dormiunt, vigilat, ſibiq; parat eſcas) ſignificantur tùm clauſtrales ſolitudines, tùm ſolitarij clauſtrales. Quippe qui à publico ſemoti & in tugurijs habitãtes (velut in nocte poſiti) neſciri cupiunt, dumque alij malum quandoque ſomnum dormiunt, ipſi & ſpiritaliter, & corporaliter vigilant, ſpiritales æternosq; cibos ſibi parantes. Per paſſerem verò (qui ſolitarius ſiue vnicus eſt) ſolitudo tecti, ſiue etiam ſolitarius in tecto manens intelligitur, qui ad alta virtutum euolans, laqueos vitat periculoſos.

Paſſer.

Præfatis ſolitudinibus localibus addi poteſt quarta ſpecies, quæ ſcilicet ex eis, aut aliquibus earum ſimul confici poſſit. Verùm nominalis potiùs, quam realis huiuſmodi additio videtur. Non enim ex tribus vna realiter confici, ſed vna quandoque triplici nomine denotari poſſe putatur. Exempli cauſa. Detur clauſtrum Cartuſianum in deſertis (ſicut aſſolet) extructum: Cartuſiana vtique domus & deſerti, & clauſtri ſolitudo erit, quin imò & cella Cartuſiana tunc ſimul deſerti, clauſtri, tectique ſolitudo, iure poterit vocitari, quod in deſerto, clauſtroque conſtituta, tectum ſit ſolitariæ vitæ aptiſſimum. Non igitur ſemper realis eſt huiuſmodi membrorũ diſtinctio, ſed interdum nominalis. Iam verò membrorum ipſorum tangamus deſcriptiones. Solitudo deſerti locus eſt ab hominum (præſertim eorum, qui alterius ſunt propoſiti) turba atque frequentia longiùs ſemotus. Qui quidem interdum ſaltuoſus eſt, interdum montuoſus, nonnunquam vallibus refertus, aliqãdo campeſtris & apricus. Viſus enim communis deſerta vocat loca, penè infructuoſa, & oppidis hominumque habitatione longiùs ſegregeta.

Loca

Loca enim frugefera nõ ita propriè deſerta sũt. Loca quoque arboribus glandeferis plena, ſyluas vulgus nuncupat, non deſerta. Huiuſmodi verò deſerta ſolitudo, aliquando eſt remotior, interdum verò hominum habitationi vicinior, quandoque ampla, nonnunquam anguſta. Quælibet tamen accidentariè eſt ſolitudo. Loca enim, in quibus ingentes vrbes nunc conditæ ſunt, anteà vaſtæ ſolitudines extiterunt. E diuerſo loca quædam deſerta traduntur, in quibus vrbes olim fuerunt glorioſæ. Diuina enim vindicta, vrbes nonnũquam in deſerta redactæ sũt, cuius aliquando miſericordia, quæ diruptæ fuerant, ſunt in priſtinam gloriam inſtauratæ. Non igitur intrinſecè & inſeparabiliter, ſed contingenter & reſpectiuè locus aliquis ſolitarius dici debet. Sed reliqua proſequamur. Solitudo clauſtri dicitur, clauſtralis locus, hoc eſt, muris, foſſatis, aut aliqua huiuſmodi clauſura munitus, & ad ſolitariam vitam agendam inſtitutus. Clauſtrum enim à claudendo dicitur. Igitur ſi ad agendam vitam propriè ſolitariam, qualis eſt vita Cartuſiana, clauſtrum fuerit ordinatum, tunc clauſtralis ſolitudo rectè vocabitur. Si verò ad vitam vtcunque ſolitariam, qualis eſt cœnobitica, impropriè dicetur clauſtri ſolitudo. Neque verò à ſituatione, ſed à vitæ qualitate nũcupatur ſolitudo clauſtralis. Si enim clauſtrum cœnobiticum, hoc eſt, illorum qui ſocialiter viuunt, fuerit in deſerto ſitum, clauſtrum quidem verè dicetur, ſed tamen non propterea vocabitur aptè ſolitudo clauſtri. Ad vitæ ergò cõditionem aſpiciendum eſt, ſi aptè terminis vti velimus. Ex his colligere eſt, duo hæc non omninò idem ſibi velle, ſcilicet in ſolitudine eſſe,

& ſolitariè viuere. Vnum enim ſine altero eſſe poteſt. Quando enim populus Iſrael in deſertis erat, ſolitudinem quidem incolebat, ſed tamen ſolitariè non agebat. Denique ſolitudo tecti, eſt tectum ſolitarium, hoc eſt ab alijs ſemotum, & ſolitariæ vitæ aptum, vel eſt in tecto, ſiue ſacro, ſiue prophano, locus quidem ſecretior, in quem quis aptius ſe recipere, & ab hominum conſortio ſegregare poteſt. Nonnulli enim turbas hominum, negotiorumque ſtrepitus fugere geſtiunt, quibus tamen nec deſertum, nec clauſtrum adire mens eſt. Itaque ſecretum, abditumque locum, vel in æde ſacra, vel domo priuata ſibi deligunt, vt ibi mores diſcutiant componantque, vel orent, aut contemplentur, aut otio literario indulgeant, aut ſapientiæ potiùs deguſtandæ incumbant, aut demùm libros conficiant poſteritati profuturos. Hanc multi, ſaltem pro tempore, coluiſſe creduntur. In primis

Iudith 13. coluit Iudith, quæ in ſuperioribus domus ſuę ſibi cubiculum fecerat, vbi cum puellis ſuis ſola morabatur. Coluit quoq; Sara iunior, quæ moleſtijs affecta, ſuperius domus ſuæ cubiculum

Tob 3. gratia orationis conſcendit. Coluêre etiam pro

3. *Reg.* 17 tempore Helias & Heliſæus, quibus cœnacula in

4. *Reg.* 4 ſuperioribus domus confecta fuêre. Coluit inſuper Anna, quæ non recedebat de templo, ieiu-

Luc. 2. nijs & orationibus vacans. Coluerunt denique alij permulti, interdum perpetuò, interdum verò pro tempore, vt facultas tulit, vel voluntas affuit. Qui ſibi incumbere cupientes, nec deſerti, nec clauſtri ſolitudinem ferre valentes aut volentes, ſecretiorem locum eligere, & ſpretis mundialibus curis, Deo ſibique vacare curauêre. Deniq; (vt exterioris ſolitudinis membrum tertium,

tertium, quod ſcilicet ex ſolitudine corporis & loci conflatum eſt) proſequamur, dicamus, huiuſmodi ſolitudinem eſſe, quãdo in loco ſuaptè natura ſolitario, ſolitaria vita agitur. Et hęc quidem (de qua potiſſimum agere intendimus) in extremam, & non extremã ſecerni poteſt. Quod quidem, cùm de ſolitaria vita anachoretica agetur, apertius erit. Non enim ſolitudo vel extrema, vel non extrema abſolutè dicitur, ſed reſpectiuè. Iam verò primæ diuiſiõis principalis tertium membrũ, hactenus propter ſubdiuiſiones dilatum, quod videlicet ex ſolitudine interiori ac exteriori confectum nuncupaueramus, breuiter tangamus: dicentes, illud contingere, quãdo interiorem ſolitudinem exterior comitatur: quod & benè, & malè fieri nõ dubitatur. Enimuerò ſi cum bona mentis ſolitudine fuerit exterior ſociata, dici non poteſt, quàm pulchra rerũ ſpecies ſit ad vitæ perfectionem & acquirẽdam, & conſeruandam. E regione verò nihil fœdius, nihil periculoſius mala pectoris ſolitudine, cui adiuncta fuerit exterior, præſertim extrema. Tunc enim vitia licenter admittuntur, quæ non tantùm alios, ſed & ſuum quoque authorem ſæpius latentia, ad infauſtum penitus exitium deducunt. Sed hactenus de ſolitudine. Nunc de ſolitaria vita agamus.

In primis autem, ne quid nos fallat, conſiderare opus eſt, ſolitariam vitam trifariam (quantum hic ſufficit) accipi poſſe. Primò quidem latiſſimè, pro ea quæ ſeparatim agitur, ſiue illa ſit hominum, ſiue beſtiarum. Quædam enim beſtiæ ſuaptè natura ſolitariæ ſunt, quæ & ſoliuagæ dicuntur, vt diximus: Altero verò modo non ita amplè licet impropriè, pro vita huiuſmodi,

quæ ab hominum turba ſeiugata, ſolitudini vtcunque incumbit aut certè pro ſtatu ad obſeruandā quomodocunq; ſolitudinē inſtituto. Hoc modo quælibet monaſtica vita propriè sūpta, pro nominis interpretatione diceretur ſolitaria. Monachus enim ſolitarius interpretatur. *Hieron.* Quod & Hieron. ad Paulin. ſcribens, inquit: Si autem cupis eſſe quod diceris, Monachus, id eſt, ſolus: quid facis in vrbibus, quæ vtiq; non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? Sed quoniam plerique eorum, qui de monachorū grege cenſentur, parum ſolitudini incumbunt, eam ob rem ſolitarij vulgò non dicuntur. Monachi quidem nomen, quod eis ſecundum propriam nominis interpretationem minimè tribui deberet, apud vulgus retinuerunt, non autem ſolitarij. Tertio denique modo, proprio quidem ac vulgato, capitur pro vita illa, quæ ſegregatim à multitudine ſic agitur, vt vel ſemper, vel penè ſemper, vel demū pro bona temporis parte, ſolitudini incumbat. Enimuerò, qui ſolitarij dici merentur, non ſolùm eorum, qui diſparis ſunt propoſiti, ſed etiam eorum, qui eiuſdem ſtatus ſunt, cómercia refugiunt, aut certè nō paſſim cū eis verſantur. Non enim eorum eſt ſtudiū (quod vtique ſingulare putatur) paſſim ac frequenter cum alijs, etiam ſui ſimilib⁹, conuerſari, ſed potiùs alienum vitare cóſortium, ſeiunctoq; in habitaculo victitare. Hanc autem ſolitariam vitam nónulli quibuſdam volūtarijs diuiſionibus partiti ſunt, in quibus excogitandis multū, ſed fruſtrà, laboraſſe putatur. Siquidem ipſam ſolitariam vitam partiti ſunt penes modos vel propoſita, quibus vel ſuſcipitur, vel agitur. Verùm cùm hæc ſint innumera atq; incerta, non poſſet

certa

certa diuiſio penes hæc effici. Itaque parum artificioſè proſecuti ſunt. Ea de re, potiſſima Pſalmiſtæ veſtigia (ſicut cœpimus) ſectantes, & à loco denominantes, dicimus triplicem eſſe vitam ſolitariam propriè ſumptã: ſcilicet deſerti, clauſtri, & tecti. Solitaria deſerti eſt, quæ ſeorſum à multitudine agitur in loco deſerto. Clauſtri verò eſt, qua in clauſtro ſolitario, hoc eſt, ad ſolitudinẽ colendam inſtituto, viuitur. Licet enim agatur in multitudine, non tamen cum multitudine. Tecti aũt, quæ in tecto ſeorſum à multitudine ducitur. Interdum verò ſub veſte ſeculari, nonnunquam verò ſub habitu à ſecularibus diſcreto. Hæc autem latiùs proſequi nihil neceſſe eſt cùm ſatis ex his, quę de triplici ſolitudine dicta ſunt, accipi queant. *Pſal. 101.*

CAPVT XV.

De anachoretica vita, diuiſione eius, ac multis anachoretarum generibus.

IAM verò declarata ſolitaria vita, peculiariter agendum eſt de vna eius ſpecie præcipua, ſcilicet anachoretica, ſeu heremitica. Sed dices, pro quorundã ſententia, ſolitariam, anachoreticam, heremiticamq; vitã idem ſibi velle. Etenim pro eodẽ reputant nõnulli ſolitudinẽ, anachoreſim, & heremum. Verùm ſi cõmunis loquendi modus animaduertatur, videbitur inter ea nonnihil eſſe diſcriminis. Non enim ſolitarios oẽs ſolent anachoretas, ſeu heremitas nuncupare. Non enim anachoretæ paſſim dicuntur, qui nec in deſerto, nec clauſtro, ſolitariam ſub veſte ſeculari vitam agunt. Dicamus ergo ſolitariam vitam quodammodo genus eſſe. Omnis enim anachoretica, quæ & heremitica dici-

 tur,

tur,ſolitaria eſt,& non è diuerſo. Ea enim,quæ ſub veſte ſeculari in loco quidem ſolo, non tamen deſerto vel clauſtrali agitur, ſolitaria quidem eſt,non aũt anachoretica.Dicamus ergò rectiùs,anachoreticam vitã eam eſſe, quæ ſub habitu à ſecularibus diſcreto in ſolitudine deſerti, vel clauſtri propriè ſolitarij agitur. Parum enim in hoc negotio refert, ſi locus ipſe vel clauſus, vel à clauſura immunis ſit. Sed hoc loco dices. Anachoretæ ſunt, pro antiquorum Patrum ſententia,qui ſoli per deſerta habitant: igitur ineptè ad ſolitarios clauſtrales anachoreticam vitam extendis. Reſpõdemus primum eos, qui ita anachoretas nuncupârunt,appropriatè ſeu reſtrictè vocabulum cepiſſe, & nomen genericum vni ſuarum ſpecierum,in qua ſolitudinis ratio plurimum relucet,tribuiſſe.Sunt enim anachoretæ quidam prorſus extremi, alij verò non ita. De primis ergo paſſim locuti ſunt antiquiores. Dicimus & aliter anachoreticam vitam bifariam accipi poſſe. Vno quidẽ modo generaliter,pro illa,quæ ſub habitu diſcreto, in ſolitudine deſerti,vel clauſtri propriè ſolitarij, agitur. Hoc modo anachoretæ ſunt, qui ſolitudinis amore ſuccenſi, à ſecularium ſe veſtitu ac turba ſegregantes,& diſcretis in habitaculis ſeparâtim habitantes, ſolitudini magnam operam nauant. Altero autem modo ſtrictè deſumitur,pro illa, quæ in deſerto procul ab hominibus agitur. Non enim vrbes,ſed nec villas quidem, nec loca ſecularibus mixta,colit. Hoc modo anachoretæ ſunt, qui ſolitudinis contemplationiſque amore ſuccenſi,ab hominum conſortio ſe longiùs ſeparârunt,ſolique aut penè ſoli per deſerta
Hierony. habitant. Hoc modo cepit Hieronymus, cùm ait:

ait: Anachoretæ ſunt, qui ſoli habitant per deſerta, & ab eo, quòd procul ab hominib' receſſerunt, nuncupantur. Cui aſtipulatus Rabanus, in Sermone de omnibus ſanctis, vocat anachoretarum ſingulare propoſitũ: quippe qui (vt ait) per ſingula loca heremi in ſpeluncis & exiguis cellarum tugurijs vniti, modico contenti pabulo, demorabantur: beſtijs ſociati, multi auibus ſubminiſtrati, ciborum ſpernentes delicias, luxus ſeculi calcantes, laudem temporalem nõ amantes, viſum hominum fugientes, angelorũ aſſueti loquelis, pluribus virtutum effulsêre ſignis. Primo autem modo capiunt, qui religioſos vitam propriè ſolitariã in cellulis clauſtralibus agẽtes, anachoretas ſeu heremitas vocant. Nec ineptè quidem. Tametſi clauſtralis ſolitudo non ita ſolitudinem colit, vt illa deſerti, præſertim quæ extrema eſt: nihilominus tamen vſque adeò ſolitudini vacat, vt etiã anachoretica dici mereatur. Quæ quidẽ ab illa deſerti (quæ ſcilicet clauſtralis non eſt) diſtat, quòd hæc ſit ſecurior, illa verò periculoſior. Hæc ſemper hominum paris propoſiti commercium admittit, illa quandoq; refugit. Hæc ducem habet, quem ſemper ſequatur, illa ſæpe ſine ductore agitur. Hæc videtur honeſtior, illa incultior. Hæc votorum frœno cohibetur, illa frequenter ſuo voto viuit. Hæc demùm commendabilis admodum obedientiæ merito putatur, illa ſæpè remiſſiùs acta parum frugis ſuis cultoribus affert. *Rabanus.*

Sed iam anachoreticæ vitæ deſcriptione patefacta, eius quoque diuiſionem ſubnectamus, dicentes, eam in genere bipertitam eſſe. Quædam enim, laudabilis eſt altera vituperabilis, aut certè ſuſpecta ac diſſuaſa. Cùm autem laudabilem

bilem dico vel vituperabilem anachoretarum vitam, potiùs de propoſitis ſeu ſectis, quàm de perſonarum meritis accipio. Laudabilis enim eſt, quæ debitè ſuſcipitur, debiteque agitur. Vituperabilis autem ac ſuſpecta ea eſt, quæ indebitè ſuſcipitur, aut certè agitur ineptè. Si enim vtroque modo ſe habeat, hoc eſt, ſi malè ſuſcipitur, maleque agitur, nihil tetriùs, nihilque infœliciùs eſt. Hanc vitam ſectati ſunt Sarabaitæ, fictique heremitæ, de quibus ſuprà meminimus, cùm de diuerſis monachorum ſectis ageremus. Hac igitur vituperabili dimiſſa, de laudabili tangamus: dicentes, eam generatim duplicem eſſe. Quędam enim clauſtralis nũcupari poteſt, quæ ſcilicet in ſolitudine clauſtri agitur. Alia verò exclauſtralis, quæ extra clauſtrum agitur in deſerto. Et hæc quidem tripertita eſt. Quædam enim eſt clauſtrali vtcunque ſimilis. Altera verò magis diſtans, ac penè extrema. Tertia denique prorſus extrema eſt. Quibus animaduerſis, videre eſt, anachoreticæ vitæ laudabilis duo eſſe genera tantum, ſi diuiſionem immediatam ſecteris. Si verò mediatam, quatuor. Quæ quidem, vt aptiora fiant, afferamus varios anachoretarum modos, qui ad quatuor genera reduci poſſe, & genus aliquod anachoreticæ vitæ egiſſe, videntur. Primum genus eſt eorum, qui clauſtrales dici queunt, quorum ſcilicet propoſitum eſt, cum alijs eiuſdem conditionis in eadem ſolitudine clauſtri habitare, ſeiunctis in cellis victitare, ſilentio ac ſolitudini magnam operam nauare, & demùm pro culto diuino perſoluendo certis horis vnà conuenire. Quod vitæ genus agunt Cartuſiani. Nec iniuria quidem. Eſt enim cæteris humaniùs, ſecuriùs, perfectiuſ-

Cartuſianæ vitæ commendatio.

fectiuſ-

ſectiusque, quod pleniùs monſtrabitur. Adde quod ſolitudinem coluntanguſtiorem, quippe qui non ſinantur paſſim vagari, nec pro ſuo viuere voto, ſed clauſi, ſilenteſque ſalutaribus incumbere rebus impelluntur. Iam verò alterum anachoretarum genus afferamus, eorum ſcilicet qui ſolitarijs clauſtralibus viciniores ſunt, maioremq; ſimilitudinē cum eis habent. Quod vitæ genus apud priſcos frequentiſſimum fuit. Hi etenim tota hebdomata ſolitariam vitam in deſertis agentes, Dominico die Eccleſiam diuina officia perſoluturi conueniebant. Quibus de more celebratis, ſimul refectionem ſumebāt poſtmodum verò de ſuis vel tentationibus, vel alijs huiuſcemodi negotiolis colloquebantur, & tandem alimenta ſumentes, quæ toti hebdomadæ ſufficere poſſent, ad ſua ſepta reuertebantur. Et horum quidem, duo certè gradus fuiſſe videntur. Vnus eorum, qui diutiùs in cœnobitica vita probati, vitijſque purgati, & demùm ad ſingulare certamen idonei, ad maiorem vitæ aſperitatem, ſolitudiniſque deſiderium, & demùm purioris cōtemplationis amorem eximium, clauſtra linquebant, deſertaque petentes, tota hebdomata ſolitudinis potiebantur ſecretis. Qua conſummata, ad cœnobia ſua diebus feſtis redibant, vt diuinis rebus incumberent, vitæque ſuæ neceſſaria (celebrata ſolennitate, omnibuſque ritè peractis) acciperent. De hoc numero fuit bona pars eorum, qui AEgypti ſolitudines coluerunt qui quidem (vt Hieronymus ait) de cœnobijs exeuntes (excepto pane & ſale) amplius ad deſerta nihil ferebāt. Quem viuendi modū S. Patres (qui de anachoretica vita meminerūt) multis laudib9 proſecuti ſunt, probarūt, con-

conſuluerunt ſuaſeruntque. Etenim Patres ipſi vetuſti cõcorditer cenſuerũt eum, qui ad vitam anachoreticam ſe conferre vellet, debere prius in cęnobitica vita exerceri atq; probari. Ex quibus Hieronymum in primis afferamus, ita conſulentem ac dicentẽ: De ludo monaſteriorũ huiuſcemodi volumus egredi milites, quos heremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen cõuerſationis ſuæ multo tempore dederunt, qui omnium fuerunt minimi, vt primi omniũ fierent, quos nec eſuries aliquando, nec ſaturitas ſuperauit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſt. Cui aſtipulatus Caſſianus, ait illos anachoretas eſſe, qui prius in cœnobijs inſtituti, iamq; in actuali conuerſatione perfecti, ſolitudinis elegêre ſecreta. Concordat & his D. Benedictus, eos anachoretas nũcupans, qui nõ conuerſionis feruore nouitio, ſed monaſterij probatiõe diuturna, didicerunt cõtra diabolum (multorũ iam ſolatio docti) pugnare, & bene inſtructi fraterna ex acie, ad ſingularem pugnam heremi trãſeuntes, ſoli pugnare ſufficiunt. Verùm hi pręſtantiſſimi Patres de vno ſecundi generis anachoretarum ex clauſtralium gradu (qui cæteris viſus eſt ſecurior) locuti ſunt. Cui additur & gradus alter penè ſimilis, eorum ſcilicet, qui in eadẽ ſolitudine deſerti, ſeiunctis in cellulis habitantes, Patrem vnum (& eum quidem presbyterũ) habebant, quem Abbatem nuncupabant, qui ſcilicet in communi oratorio, ſeu Eccleſia in deſerto ſita (ad quam diebus Dominicis conueniebant) rem diuinam faciebat, ſacraque eos communione donabat. Horum quidam ex cœnobijs egreſſi, ad ea poſtmodùm non reuertebantur,

Hieron.

Caſſianus.

S. Benedictus.

ſed alijs heremitici propoſiti cultoribus ſe iungentes, ſolitudinem colebant. Alij verò ex ſeculari turba fugiẽtes, atq; in heremum ſe recipientes, ſolitariæ vitæ rudimentis primùm imbuebantur, deinde ſolitariè inſtar aliorum agebant. Et huius quidem ſecundi generis anachoretarũ olim plenæ ſolitudines fuerunt, vſque adeò, vt heremi in parochias verſæ viderentur. Nam & in heremo Nitriæ quinque millia diſtinctis in cellis habitaſſe Diuus Hieronymus tradit. Adde quòd in eadem ſolitudine interdum diuerſi fuêre presbyteri, qui diuerſis Eccleſijs pręerant. Siquidem in heremo Scythiæ monachorum probatiſſimi Patres (qui perfectione ac ſcientia omnibus, qui erant in AEgypto, monachis præeminebant) fuiſſe referuntur. In quibus numeratur Paphnutius Abbas vir eximius, & presbyter congregationis illius, in qua demoratum ſe fuiſſe refert Caſſianus, cum quo in eadẽ heremo alij presbyteri tribus alijs Eccleſijs pręſidebant, quod Caſſianus ipſe Collatione decima ſatis innuit. Enimuerò pro heremorum capacitate vel plures, vel pauciores anachoretæ ſimul habitant, qui cùm eo tempore penè omnes laici forent, vnum duntaxat presbyterum, ſi ſatis illis erat, habebant: à quo velut Curato, Parochiani Sacramenta ſumebant. *Paphnutius.*

Cùm verò in eadem heremi vaſtitate ingens anachoretarum copia Abbate ſeu Patre vno contenta eſſe non poſſet, pars vna vnum, alia verò alium ſibi presbyterum ſumebat. Iſtius ergo ſecundi generis anachoretæ tota hebdomada ſolitudini iugiter incumbebant. Qua expleta è ſuis latibulis prodeuntes, diebus Dominicis (vt diximus) vnà conueniebant. Et tandem omni-

omnibus, quæ ad diei ſolennitatem requirebantur, ritè peractis, ea, quibus opus erat pro vitæ ſuſtentatione, ſecum ferebant. Quibuſdam enim pro diebus ſingulis duo proximaria, hoc eſt paruuli panes vix libræ vnius pondus habentes, pro canonica portione tribuebantur. De horum numero fuit Paphnutius (cui⁹ ſuprà meminimus) qui vel in extrema ætate cum ad cellam (quę ab Eccleſia quinque millibus diſtat) reuerti vacuus non vellet, vas aquæ, quam per totam erat hebdomadam ſumpturus ceruicibus ſuis onerans reportabat. Non enim paſſus eſt, vnquã (licèt nonagenariam exceſſiſſet ætatem) iuniorum ſibi labore deferri. Fuit quoque de huiuſmodi grege Serenus Abbas, qui propoſitam ſibi à Caſſiano quæſtionem diſtulit, quòd ad Eccleſiam eundum foret. Hoc enim facere diei Dominicæ ſolennitas commonebat. Poſtea verò conſummatis, quæ dici ſolennitas exigebat, & Eccleſiæ congregatione dimiſſa, ad cellam reuerſi, refectique, ad præmiſſam quæſtionis abſolutionem acceſſerunt. Sed iam tertium genus anachoretarum tangamus, eorum ſcilicet, qui penè extremam ſolitudinem coluerunt. Non enim ſoli in eadem heremo habitabant, ſed conſortium vtcunq; admittebãt, quibus hoc genus ſectari mens erat. Sed nec certis quoque diebus, inſtar eorum, qui nuper dicti ſunt, conueniebant: conueniebant tamen aliquoties, vt ſuppetias ſibi mutuò ferrent. In eadem ergò ſolitudine commorabantur, vt ſua vel aliena neceſſitate impellente, puta pro leuando graui tædio, vel conſilio, præſidioque habendo, vel etiam alijs dando, ſe mutuò viſere, alienaſque cellas adire poſſent. Et horum nõnulli è ſeculi turbinibus

Serenus.

nibus ad heremi ſecreta ſe conferentes, ab alijs iam exercitatis probatisque principibus, ſolitariæ vitæ inſtitutis imbui curauerunt. Non enim tantæ vitæ tramitem ſine duce primùm eſſe ſuſcipiendum, & peſſimo vtendum magiſtro, ſua ſcilicet præſumptione, in re tam ardua putabant. Itaque iure optimo extremam anachoreſim principio exhorrentes. Patribus iam probatis ſe iungebant. Alij verò ſolitudinis arctioris amore ſuccenſi, poſtquam cœnobitica diſciplina ſatis inſtituti probatique fuiſſent, ſe cum alijs eiuſdem propoſiti ſociabant, nec ad cœnobia reuertebantur. Quorum nonnulli vitam huiuſmodi perpetuò coluerunt, alij verò deſeruerunt, extremamque anachoreſim aut aliam vitæ formam ſectati ſunt. Denique huiuſmodi nonnulli vno tantùm comite, aut certè paucis ſocijs contenti extremam penè ſolitudinem tenuerunt. Aliquando verò gratia profectus maioris, diſcipulos multos ſecum admiſêre, quos viſitantes interdum rariùs, interdum frequentiùs, anachoreticæ vitæ præcepta diligẽtiſſimè eos docuiſſe dubium non eſt, vt tandem ad extremam vel penè extremam ſolitudinem colendam aptiores eſſent. Siquidem Diuum Ioannem Baptiſtam Diſcipulos tandem habuiſſe ferunt. Idem quoque de Beato Antonio, alijſque ſolitarijs præcipuis, memoriæ proditum eſt: qui interdum poſt extremam anachoreſim comites ſecum acceperunt. Quod vel vno exemplo monſtremus, ſanctiſſimum Hilarionem afferentes: qui quidem primum heremita effectus Antoniũ abbatem adiuit, quem vt duobus ferè menſibus audiſſet, manſiſſetq; iuxta eum, & deniq; contemplatus fuiſſet ordinem vitæ eius

Ioã. Bapt. *Antonius.* *Hilarion.*

morumque grauitatem, eum miſſum fecit. Non enim frequentiam populorum, qui ad Antoniũ propter varios languores concurrebant, diutius ferre voluit. Itaque vaſtam terribilemq; ſolitudinem adiuit, in qua cùm ſolus multos exegiſſet annos, ad aliud ſolitariæ vitæ genus redijt, quandoquidem multos ſecum Diſcipulos tandem admiſit. Non ſimilis Abbati Cheremoni, *Cheremõ.* qui licèt eximius anachoreta fuerit, & cum alijs duobus præcipuis heremicolis, ſcilicet Neſterote & Ioſeph, in Thebaide AEgypti heremo habitaret, nullum tamen iuniorum permiſit iuxta ſe conſedere, ne ſuo (quod humiliter ait) exemplo alterius diſtrictio laxaretur. Iam verò quartum genus anachoretarum ſubiungamus, eorum videlicet, qui ſolitudinem extremam coluerunt. Non enim vel comitem iuxta ſe habere, vel cum alijs etiam anachoretis ſe continere, ſed ſolitariè penitus agere, certum illis erat. Vt enim purius ac perfectius contemplationi, vitæque ſublimitati incumberent, ſoliusque amori Conditoris, quem ſitiebant, iugiter inhærerent, nec haberent quicquam, quod eos à tam ſancto commercio diſſeparare poſſet, mortaliũ omnium aſpectus conſortiaq; prorſus deuitabant. Et horum quidam ita latuerunt, vt penitus ab hominibus ignorarentur. Alij verò fama quidem noti, ſed vultibus incogniti, in abditis heremi latebris ſeſe occuluerunt. Denique hanc extremã vitam nõnulli perſeueranter, perpetuoq; tenuerunt. Alij verò poſtquam aſſiduo longoque tempore coluiſſent eam, tandem deſtituerunt. Quæ omnia vt fiant liquidiora, exempla vel pauca depromamus oportet.

In pri-

Inprimis occurrit Moyſes, qui bis quadraginta dies in monte cũ Deo familiariter verſatus, huius vitæ coluit ſublimitatẽ. Helias quoque Propheta omninò admirandus hanc vitam egit, cũ Iezabelem mulierem impijſſimam pertimeſcens ſolus deſerta peragrauit. Hanc duxit & alter Helias (Ioannem dico Baptiſtam) qui à teneris annis ſolitudinem petijſſe, & ſolus in primis vixiſſe creditur. Humani quoque generis inſtaurator CHRISTVS Dominus cum hoſte pugnaturus deſerta petiuit, vbi & quadraginta dies ſolus ieiunans, noſtrũ ieiuniũ conſecrauit. Solitudinem inſuper mirabilem beatiſſima peccatrix Maria Magdalena Lazari ſoror (non quidem meretrix publica. vt nõnulli putârunt, ſed mulier palam diffamata, maleq; notata) mirum in modum coluit, mortalibus quidẽ incognita, ſed angelicis ſpiritibus notiſſima. Coluit & multos annos altera Maria paſſim AEgyptiaca nuncupata. Duxit etiam hoc vitæ genus Paulus primus heremita dictus, qui ſedecim circiter annos natus ad montium deſerta confugit. Vbi ſolitariam vitã prorſus extremam atq; abditam nonaginta ſeptẽ annos (quod dictu quoque mirum eſt) inceſſanter ſine interpolatione egit. Hanc etiã vitæ modum annos viginti perſeuerãter ſectatus eſt Antonius, qui tandem diſcipulos habuiſſe legitur. Hanc quoq; vitæ ſemitam ingreſſus eſt Hilarion Antonij Diſcipulus, qui poſt rudimenta ſolitariæ vitæ ab Antonio ſuſcepta, natus annos quindecim, extremam prorſus ſolitudinem intrauit, quam viginti duos annos ita (referente Hieronymo) ſeruauit exactè, vt non tantùm ciuitatem, ſed nec villulam quoq; ingrederetur. Toto enim illo tem-

Moyſes. Exod. 24. 34. Helias. 3 Reg. 19. Ioã. Bapt. Luc. 1. 3. Chriſtus. Matt. 4. M. Magd. M. Ægyptiaca. Paulus primus heremita. Antonius. Hilarion.

pore nunquam è cella progreſſus dicitur. Huius quoque vitæ inſtitutionem imitatus eſt Diuus ipſe Hieronymus, qui quatuor annos ferarum tantùm & ſcorpionum ſocius, mirabili pœnitentia ſe confecit. Sectatus eſt & Paphnutius ipſe, de quo ſuprà meminimus, qui vaſtiora & inacceſſibilia ſolitudinis penetrans loca, multo in eis tempore ita deliteſcebat, vt ab ipſis quoq; anachoretis difficulter ac rariſſimè inueniretur, à quibus propterea bubali cognomẽtum ei fuiſſe inditum, Caſſianus refert. Porrò Diuus Benedictus hâc quoque ſuſcepit vitæ formam, quippe qui in extrema ſolitudine triennium ſe cõtinens, à Romano Monacho ſui propoſiti duntaxat conſcio, ſuſtentatus eſt. Quid plura? Sancti admodum, illuſtresque viri permulti hoc extremum ſolitariæ vitæ genus obſeruârũt. De quibus quidem, quod latiùs poſteà dicturi ſimus, in præſentiarum agere opus nõ eſt. Poſtmodum enim vitas eorum (quæ mirabiles planè abſconditæque fuerunt) proſequemur. Itaque ad ipſam ſolitudinem, quæ anachoreſeos genus eſt, reuertamur.

Hierony. *Paphnut.* *S. Benedictus.*

CAPVT XVI.

Cauſæ & modi, quibus ſolitaria vita (præſertim anachoretica) vel ſuſcipi poßit, vel deſeri.

De ipſa autem ſolitudine quamuis iam multa ſuperiùs allata ſint, nihilominus tamen de cauſis atq; modis, quibus vel ſuſcipi, agique, vel deſtitui ſoleat, ſubiũgere opus videtur. Quod aggredientes, dicamus ſolitudinẽ & benè malè ſuſcipi poſſe. Bene quidem, quando ſyncero fine, aptisque medijs ſuſcipitur. Malè verò, quando

quando horum alterum abeſt. Siquidem ad bonum ſuſceptionis officium ſolus finis non ſatis eſt. Nec congrua quoque media ſine debito fine ſufficiunt. Bonum enim ex integra cauſa reſultat. Igitur & finis rectus, & modus apt⁹ in laudabili ſuſceptiōe coire debent. Quę quidem vt peculiarius explanentur, de cauſa ſeu fine primùm tangamus, dicentes quadruplici fine in genere (ſub quo peculiares omnes comprehendi poſſe videntur) ſolitariam vitam laudabiliter ſuſcipi poſſe. Primò quidem ad flagitia liberiùs meliuſque purganda. Non enim contemplationi duntaxat, ſed & huiuſcemodi actioni vtilis admodùm eſt ſolitudo. Etenim, qui profundius mentem diſcutere, peccatorum faciliùs reminiſci, lachrymas habere liberiores, deniq; pœnitentiæ fructus digniores vberioresque facere cupiunt, loca ſola quærere aſſueuerunt. Sic ſacer Hieronymus fecit, qui vt graui miraque pœnitentia errores in ſeculo admiſſos prorſus deleret, horridam ſolitudinem adiuit. Deinde pro vitijs faciliùs ſecuriusq; vitandis, ne dicam hominibus quo iure quaq; iniuria fugiēdis, ſolitudo nō ineptè ſuſcipi poteſt. Quod multos feciſſe dubium non eſt, qui videlicet animaduertentes, neminem vix poſſe, niſi ſupra modū egregius fuerit, in conuerſatione (præſertim ſeculari) hoſtiles prorſus laqueos euadere, peccatorum fugere incitamenta, variasq; vitare illecebras, & demùm ſine contagio picem tangere, ſolitudinis elegere ſecreta. Elegere, inquam, ne quam pectoris veſtem à ſordibus emaculauerant, iterum contaminarent: ne velut canes immundi ad vomitum reuerterentur: ne deniq; illa, quæ fleuerant piacula, deinceps admitterent, priſtini ſe laboris

mercede viduantes. Porrò ſolitaria vita non abſurdè ſuſcipi poteſt, vt frequentiùs ac pleniùs ſpiritalibus exercitijs, vtpotè lectioni, meditationi, orationi magna intentione vacetur, virtutesque ipſæ faciliùs gignantur, nutriantur ſuauius, & demùm ſecurius conſeruentur. Hæc enim ſunt inſtrumenta, quibus ad ſublimitatem contemplationis, vitæque perfectionem citius perueniri poteſt. Deniq; laudabiliter petitur ſolitudo, vt vitæ perfectioni ſuauiq; cõtemplationis ſublimitati incumbatur, aut certè ad ſecuram puritatem aſſequendã nerui oẽs intendantur, & demùm mens ipſa cunctis terrenis exuta, quãtum humana ſinit imbecillitas, Chriſto intimiùs propinquet, adhæreatque perſeueranter. Qui enim finem hunc conſequi nõ tentat, fruſtrà labore torquetur heremi, vtpotè qui ſolitariæ vitæ finem, ſuæque profeſſionis virtutem præcipuam, nec adeptus ſit, nec adipiſci cõtendat. Caſſo etenim labore ſeipſum in heremo conſumit, quiſquis nec ſe ſupra ſe leuat, nec in ſupermẽtales anagogicosq; exceſſus rapitur, aut certè quod in ſe eſt, facere negligit, vt ad ſublimitatem huiuſmodi quandoq; perueniat. Qui enim benè (vt par eſt) in ſolitudine ſe habuerit, aut vitæ illius faſtigium conſcẽdet, aut ſi forſan iuſta de cauſa, quod cõtingere poteſt, prohibeatur, pientiſſimus Dominus non ſinet conatus eius inanes fore. Sed iam modos, quibus non improbè ſuſcipitur ſolitudo, depromamus, dicentes id trifariam contingere poſſe. In primis quidem, cùm poſt diutinam cœnobiticæ vitæ diſciplinam, ac ſufficientem in laudabili ſubiectione probationem, vberioris profectus gratia ſolitariæ vitæ ſublimitas expetitur.

Et hic

Et hic ſuſcipiendi modus paſſim à Sanctis(quod iam diximus) probatus fuit, vtpotè diſcretior, ſecuriorque. Olim enim qui ad ſolitariam vitam volabant, de cœnobitica vita paſſim egrediebantur. Nam & Caſſianus collatione octauadecima de tribus monachorum generibus differens, ait. De cœnobitarum numero fœcundiſſimaque radice, ſanctorum etiam anachoretarum, hoc eſt, ſeceſſorum flores, fructusq; fuiſſe prolatos. Quod ſanè de vna ſpecie anachoretarum accipiendum eſt, vt ſuprà tetigimus. Altero autem modo ſolitariæ vitæ ſemitam nonnulli ſanè corripientes, probatum aliquem, expertumque in heremitica vita patrem adierunt, cuius ſe iugo velut præceptori diſcipuli prorſus ſubijcientes, paratique demùm omnia quæ iuſſa fuiſſent explere, anachoreticæ vitæ rudimenta magno animi feruore percipiebant, quibus hoc conferebat eruditio aliena, quod alijs cœnobitica diſciplina. Poſtremò, quidem peculiari munere diuino internoque tractu ſolitudinem etiam extremam nonnunquam adierunt. In quibus vnus fuit D. Ioannes Baptiſta, qui antra deſerti teneris ſub annis petiuit. Fuit & Paulus primus heremita dictus, qui primùm timore correptus, ad montium deſerta fugiens, tandem mutato diuinitùs propoſito, ſupernæ contemplationis gratia ſolitudinē intrauit remotiorem. Fuit quoq; Antonius, qui ad vnā Euangelij vocem, quaſi pro ſe dicta fuiſſet mūdum fugiens, ſolitariæ vitæ ſecretum elegit. De hoc etiam numero fuit S. Benedictus, qui vel nutricem (quæ eum ſecuta fuerat) clāculum deſerens, in extremam heremum ſe tandem recepiſſe fertur. Verùm hic ſuſcipiendi modus prima fronte

Caſſianus. *Ioā Bapt.* *Paulus.* *Antonius.* *Benedictus.*

ſuſpectus eſt, nec proptereà paſſim vel admittēdus, vel imitandus. Hæc enim, quæ rariſſima ſunt, & paucis quibuſdam velut priuilegia donata putantur, admiranda quidem ſunt, ſed in exemplum continuò trahi non debent. Iam verò ſubnectamus cauſas quibus malè, aut certè ſuaptè natura non bene ſolitaria vita (præſertim extrema) carpi poteſt. In primis quidem naturalis inclinationis ſeu complexionis ineptitudine nonnulli ad ſolitudinem capeſſendam incitantur. Quibus non diſſimiles ſunt, qui mala quadam diſpoſitione per melancholiam, phreneſim, aut aliam quamuis affectionem vehemētem inducti, ita efferuntur, vt ſocietatem humanam ferre nequeant, eaque de re ſolitudines adeant, interdum nūquam poſteà redituri (quod ex nimia mentis deiectione, timidaque ſuprà modum puſillanimitate contingere ſolet) nonnunquam ſylueſtres, feriniquе, ac humanæ cohabitationi quidam inepti redduntur, vſque adeo, vt nec homines videre, nec ab eis coram videri conſtanter poſſint. Inſuper homines fugere, ſolitudiniſque ſecreta quandoque petere, facit mala quædam aſſuetudo cogitandi quę noxia ſunt, vanaque & curioſa. His enim animus inaniter oblectatus, ſolitudinem quærit, vt liberiùs miſeris huiuſmodi fantaſmatum graminibus ſe paſcere poſſit. Cui vanitati non ita diſſimilis eſt quorundam veſania, qui piaculum aliq̃ in imo pectore condentes, eaq; de re grauem cum ipſa conſcientia (quippè quæ iugiter flagitia coarguere ſoleat) conflictum habentes, ſolitudinem velut ſingulari certamini aptiorem adeunt, vt quod inter homines non licet inter feras liceat. Magna planè miſeria. Deberent hi

latens

latens vitium ante omnia expectorare, propte-reaque non ſolitudinem, ſed Sacerdotem adire. Porrò vt peccata licenter admittantur, admiſſa-que non videantur, nō arguantur, non puniantur, interdum ſuſcipitur ſolitudo. Suſcipitur & nonnunquam, vt ad votum totaque libertate viuatur, propriæque voluntates in omnibus ex-pleantur, & demùm ceruix indomita nullius ſe-nioris penitus iugo ſubijciatur. Quæ mala be-ſtia quondam Sarabaitas, fictosq; heremitas pe-perit: quippe qui ſeniorum iugum ferre non vo-lentes, nec eorum ſubijci arbitrio, ſeipſos à cœ-nobiorum congregationibus ſequeſtrabant ſin-gulareſque cellas expetebant, ſuo in eis iure ac libertate viuentes. Quos profectò nonnulli malè proficientes monachi totis votis æmu-larentur, ſi per facultatem eis liceret, & religio-nis iugum (quod ſponte cùm deuotionis calor ferueſceret, ſuis ceruicibus impoſuerunt) li-bentiùs excuterent. Ad hæc nonnullos ad pe-tendam ſolitudinē pulſare creditur inanis glo-riæ cupiditas, qui ſcilicet priſcorum patrum (quos propter miram ſolitariæ vitæ ſubli-mitatem celebrauit antiquitas) laudibus pro-uocâti, ſolitudinem adeunt, vt quam fugere vi-dentur gloriolam, pleniùs amplexentur. Adde quoſdam inertis otij auiditate, fugaque laboris (qui ſibi fuiſſet in laudabili ſocietate ferendus) impulſos. Quoſdam verò quæſtus vberioris (qui ſāctioris vitæ prætexu paſſim haberi ſolet) intuitu concitatos. Nonnullos verò feruore quodam non ſatis diſcreto (qui omnia ſe facere poſſe, omniaque tuta eſſe, ſi colatur ſolitudo, cō-fidunt) ſuccenſos. Alios demùm ignorantia pe-riculorum ac difficultatum, quibus abundare

heremus inſueuit, obtenebratos, ſolitudinem etiam extremam, quæ periculoſiſſima eſt, delegiſſe. Denique, vt ineptos ſuſcipiendi modos poſt cauſas tangamus, breuiter dicamus: qui nec cœnobitica, nec probatorum quoque Patrum diſciplina perfectè imbuti, nec demùm peculiari Spiritus ſancti munere, anachoreſim primum ſectati ſunt, illaudabiliter egiſſe. Itaque niſi aliqua præfatorum modorum ſuſcepta fuerit anachoretica vita (præſertim quæ exclauſtralis eſt) ſemper eſt à Patribus diſſuaſa atque reprobata. Non enim debitè vel ſuſcipitur, vel agitur ſolitaria vita ſine quodam afflatu Spiritus ſancti. Iam verò modos tangamus, quibus & deſtituta eſt, & deſtitui poteſt ſolitaria vita, præſertim anachoretica, dicentes inprimis, eam benè, & malè deſeri poſſe. Bene autem multifariam contingere putatur. Quandoque enim derelicta eſt, vt diuinæ iuſſioni reſponderetur. Nonnullos enim aliquando oportuit hac ratione ſolitudinem miſſam facere. Quod de Ioanne Baptiſta factum creditur, qui diuina iuſſione impulſus deſertis egreſſus eſt, vt ſcilicet populos ſua prædicatione ad pœnitentiam concitaret, pœnitentesq; baptizaret, quatenus & eos ad Chriſti Baptiſmum redderet idoneos, & Baptiſmum Domini ſeruus ipſe probaret. Deinde huiuſmodi vita, neceſſitate compellente, deſerta eſt, quod patuit in Antonio, q vt fidē trinitatis quā corde credebat, etiam ore apud Alexandriam profiteretur, ſolitudinem ſuam dimiſit. Inſuper hoc vitæ genus interdum dimiſſum eſt, alienæ neceſſitatis contemplatione, quod ſanè feciſſe Hilarion creditur, qui matronæ cuiuſdam preci-

Modi, quibus bene deſeri poteſt vita ſolitaria.

Matth. 3. Marc. 1.

precibus importunis exire coactus, Gazamq; ingreſſus, tres eius filios grauiter languentes mox priſtinę ſanitati reſtituit, quod præclarũ facinus ipſum Hilarionẽ multum nobilitauit. Poſtmodũ deſerta eſt aliquoties ſolitudo propter vberiorem fructum, non ſolùm ipſius ſolitarij, ſed etiam aliorum: quo pacto Hieronymũ credunt vaſtam heremum dimiſiſſe, vt literarũ diuinarum & trãſlationi & explanationi incumberet, ſicq; multam tum ſibi, tum Eccleſiæ frugem afferret. Porrò nõnunquam heremus eſt Deo inſpirante deſtituta, vt latitans ſanctimonia palam fieret, & proximorum cõſuleretur vtilitati. Sic D. Benedictus ſolitudinem dimiſit, vt ardẽs lucerna ſuper candelabrum luceſceret, ſicq; multi ad melioris vitæ frugem incitarentur. Ad hæc miſſa quandoq; facta eſt huiuſmodi vita, vt fugeretur periculum, & ſecuritati ſalutis magis prouideretur. Sic heremita quidam ſanctus ſui funeris horam diuinitùs cõpertam habens, cœnobium quoddam adiuit, in quo admitti poſtulauit. Verùm cùm propter ſeniũ optatus ei aditus non tribueretur, reſpondiſſe fertur, ſe morti vicinum nihil grauaminis eſſe allaturum, qui & adiecit, ea de cauſa in ſocietate, quàm extrema ſolitudine animam potiùs efflare ſe velle, quòd mortis tranſitus periculoſiſſimus eſſe ſoleat. Adde nonnullos miſſam feciſſe ſolitudinem propter nimiam frequentiam, quæ ipſius vitæ tranquillitatem, puritatem, ſublimitatemque impediebat. Sic Abbas Ioannes, de quo habetur apud Caſſianum Collatione XIX. heremum, in qua viginti annos laudabiliter vixerat, deſtituit, quòd maior numerus aduenientium fratrum habitationem illius ſolitudinis cępiſſet expe-

expetere, cuius rei occaſione, mens ipſa carnaliũ rerum occupatione deuicta torpebat, & diuinæ contemplationis ardor frigeſcebat. Deniq; ſuperioris præcepto ac obedientiæ gratia interdũ deſtituta eſt ſolitudo. Sic enim noſter Bruno Cartuſianam ſolitudinem ſummo Pontifice iubente, vt ad ſe veniret, deſeruit, quod & facturi eſſent Brunonis alumni, ſi caſus ſimilis contingeret. Sed iam cauſas deſtituendæ ſolitudinis nõ ſatis æquas ſubiungamus. Nonnulli enim tædio affecti, alij impatientia fatigati, alij dœmonis impulſi fallacia, alij tentationum agitati procellis, alij ſeniorum iuſſa dura ceruice contemnentes, alij virium imbecillitatem cauſantes, alij diſcretionis defectu, & deniq; leuitatis vento concitati, ac ſpiritu erroris leuiter ſuperati, ſolitariam habitationem multi deſeruerunt. Qua in re non eſt opus exemplis, quæ apud authores multa ſunt, ſed cautela diſcretioneq; præcipua, cùm in debitè ſuſcipienda, tùm in agenda (vt decet) ſolitaria vita, præſertim extrema. Hæc aũt adiecta ſunt, vt obiectionibus, quę fieri poſſent, caput abſcindatur. Poſſet enim faciliter arbitrari quiſpiam, ſolitariam vitam abſolutè carpendam eſſe, propterà quòd ineptè vel ſuſcepta, vel actitata, vel deſtituta ſit. At verò vita ipſa nõ eſt ea de re vellicanda, ſed illi ipſi tantùm, qui perperam hoc faciunt, taxandi ſunt. Enimuerò, ſi decenter ſuſcepta, actitataq; fuerit, multa laude digna eſt, quam & viri impensè docti multis præconijs extulère. Quorum & nos veſtigia ſectari geſtientes, in eius quoque laudibus verſari decreuimus.

Iniuſtæ cauſæ deſtituendi ſolitudinem.

CAPVT

CAPVT XVII.

De laudibus Solitariæ vitæ,

PETRVS.

TAMETSI me non latet, ſolitariam vitam à multis tùm ſanctis, tùm ſapientibus magnaq; authoritate viris adeo copiosè fuiſſe cõmendatam, vt ſuperfluum videatur quicquam in medium depromere: ne tamen vel obiectionem à noſtro Oblocutore propoſitam ſubterfugere, vel ingratitudinis vitio laborare iudicemur, ſi de ſolitaria vita ſermonem facientes eius laudes ſilentio prætereamus, pro virili curabimus vel pauca quædam tanquam ſpicas cùm Ruth Moabitide poſt metentium terga legentes afferre. *Ruth 2.* At verò in ipſo limine iam ſubit hæſitatio, quid de tanta re primùm proferre debeam. Neque enim me fugit, vitæ ipſius præſtabilitatem non ineptè multifariam oſtendi poſſe. *Laus vitæ ſolitariæ.* Siquidem ex antiquitate poteſt non vulgariter commendari, quòd ſcilicet vetuſtis ſit conſtituta temporibus, nec recenter adinuenta. Quę enim ſunt vetuſtiora, pluris æſtimari conſueuerunt. Deinde quòd ab innumeris penè viris multa ſanctimonia præditis, & deuotè ſuſcepta, & diligenter actitata ſit. Inſuper quòd à literatis probatiſque admodum viris ſit egregiè decantata. Quis enim vel numerare ſufficiat viros illuſtres, qui hanc ſublimen vitam miris laudibus proſecuti ſunt? Porrò multa tantæ vitæ dignitas oſtendi poteſt à varijs bonis, magniſque & diuinis muneribus, quæ probis eius cultoribus data leguntur. Ad hæc tantæ vitæ excellentia poteſt confici penes admiranda ſigna atque prodigia, quæ ibi diuinitùs effecta ſunt. Poſt-

modum

modum eius præſtantia monſtrari poteſt, quòd vberrimos fructus protulerit, proferreque ſoleat, propulſando vitia, componendo mores, cumulando merita, gignendo virtutes, & demum contemplationis puritatem ac vitæ ſublimitatem, perfectionemque tribuendo. Denique vita hæc mirabilis atque inſignis non paruis laudibus efferri poteſt ab exercitijs, alijſque id genus permultis, quibus cultores ſuos admirabiles æternaque memoria dignos reddidit. Quibus animaduerſis, non mirum vſque adeò, ſi fluctuarim dubitarimque inprimis, quidnam in tanta rerum copia deligendum mihi foret. Verùm, vt ab his me tricis breuiter explicem, certum eſt nonnullos illuſtres viros afferre, qui ſolitudinem ſectati ſunt, ſimulque nonnulla depromere bona, quæ in ſolitudine vel ſuſceperunt, vel effecerunt. Hoc enim modo penè omnia, quæ prælibauimus ſolitariæ vitæ præconia, ſimul complecti nos poſſe vtcunque putamus. Primus itaque omnium prodeat Adam, primus omnium, qui ex rubentis terræ vena conditus, & in amœniſſima altiſſimaque terræ parte con-
Gen. 1.2. ſtitutus, iuſtitiam quam dicunt originalem (quę ſuo commercio miram efficiebat tranquillitatem) & rerum quoque omnium ſapientiam accepit, qua ſingulis animantibus apta nomina dedit: ſolus hæc habuit, ſolus ſtetit, nec peccauit: at verò comitatus, mox corruit. Dato enim conſortio, protinus ſecuta eſt ruina, emerſit infœlicitas, damnata eſt cum parente poſteritas. Vides ex ipſo humani generis exordio, quantum ſecuritatis ſolitudo, quantumque è diuerſo pe-
Gen. 5. riculi ſocietas habeat. Enoch vir Deo gratiſſimus in ſolitudinem terreſtris paradiſi diuinitùs

tùs raptus, atque de medio iniquitatum ereptus eſt, ne cor eius immutaret, ſubuerteretque malitia. Tanta eſt ſolitudinis virtus, vt ab impietate tueri poſſit, quos paſſim ſocietas perdere ſolita eſt. *Sap. 4.*

Abraham magnus ille Patriarcha in conuallibus Deum collocutorem habuit. In agreſti quoque ſolo conuiuas Dei angelos ſuſcepit, tres vidit, vnum adorauit. In vno præterea montium iuſſus filium immolare, non ſegniter audiuit, & clariſſimum obedientiæ exemplum ſuæ poſteritati relinquens, magnum promeruit laudis eulogium. Denique foras eductus, cœlumque ſuſpicere iuſſus, audiuit ſemen ſuum inſtar ſtellarum eſſe multiplicandum. Quibus luculenter oſtenditur, ipſam ſolitudinem tum ad diuina colloquia, tum ad ſacrificia facienda, tum denique ad cœleſtia contemplanda, aptiſſimam eſſe. Iſaac alter Patriarcha quantum ſolitudinem dilexerit, ſatis Scriptura inſinuat, quæ eum in agrum exiſſe refert, quando illi de longinqua terra vxor adducta eſt. Quo ſanè docetur, eum, qui ſapientiam ſponſam gratiſſimam habere cupit, ſolitudinem meditationi aptam colere debere. Iacob fraternam iram fugiens, ſolumque natale relinquens, in ſolitudine ſcalam cœlo tenus erectam, in eaque aſcendentes, & deſcendentes angelos, & denique innixum ſcalæ Dominum contemplatus eſt. Deinde à peregrinatione rediens, in ſolitudine Angelum vidit, quem & luctatorem nocturnum habuit, à quo minimè ſuperatus, benedictus eſt, & nominis mutatione fœlix effectus. Qui enim Iacob, hoc eſt, ſupplantator prius dicebatur, Iſrael, hoc eſt, videns Deum tunc nuncupatus eſt. *Gen. 12. 15* *Gen. 18.* *Gen. 22.* *Gen. 15.* *Gen. 24.* *Iacob.* *Gen. 32.*

Quibus ſubtiliter innuitur, eum, qui fratres ac propinquos in via Dei ſæpenumero aduerſantes fugiens,& patriam dulcesq; lares Dei contéplatione deſtituens, ſolitudinem adierit, angelicũ habere conſortiũ,diuinã ſuſcipere benedictionem, & demùm cœleſtem patriam ſolitudinis
Exod. 3. adiumento velut ſcala quadam adire ſolere. Sed
Exod 14. ad legem ſcriptam tranſeamus. Moyſes ab AE-
Exod 19. gypto diſcedens ſolitudinẽ adiuit, minauit gre-
31. 33. 34. gem,rubum ardentem, nec tamen deficientem vidit,ſuſcepit virgam,Duxq; populi in ſolitudine conſtitutus eſt. Deinde poſt mira ſigna in AEgypto facta, maris vndas virga percuſſas diuiſit, populumq; ſiccis veſtigijs traduxit in deſertum. Porrò in ſolitudine montis ſegregatus à turba, non modò cum Deo familiare habuit colloquium, ſed clara quoque viſione eũ intui-
Deut. 31. tus eſt. Decalogũ lapideis in tabulis bis accepit, Pentateuchum diuinitùs reuelatũ poſteritati re-
Exod. 25. liquit. Arcam quoq; fecit ſecundùm exemplar
Exod. 15. ſibi monſtratum in monte. Aquarum tulit ama-
Exod 17. ritudinem,easq; potabiles reddidit.Sed & Moy-
Exod. 13. ſe orante, memorabilem populus ille vetuſtus
Exod. 17. de Amalech obtinuit victoriam. Moyſe quoq; Duce, populo illi peculiari ignis noctu ſplẽduit, die nubes pro vmbra atq; refrigerio fuit. Silex virga percuſſa largiſſimas dedit aquas,manna cibis omnibus ſuauius apparuit, veſtimenta tanto
Num. 20. tempore nulla fuerunt vetuſtate conſumpta.
Deut. 29. Quid plura? In ſolitudine virga Aaron flores,
Num. 17. frondes,fructusque vna nocte edidit.Ex quibus omnibus,ſi myſtica depromerentur documenta,planè conficeretur, ſolitudinem ſuis cultoribus innumera penè bona tribuere ſolere. Sed amor breuitatis myſtica hæc miſſa facere cogit.

Ita-

Itaque poſt Moyſen admirabilem ſanè Prophetam, ſequitur Dauid prophetarum eximius, qui in ſolitudine paternas oues cuſtodiens, infeſtas gregibus feras peremit. In deſerto gregem paſcebat, cum à Samuel vocari iuſſus eſt, vt vngeretur in Regem. In ſolitudinem ſe recepit, quando perſequentis Saulis furorem ſecuriùs deuitare voluit. Denique cùm graue Iſraelitici regni pondus, malaque ſeculi perferret, quietemque deſideraret, ſolitudinem petiuit: *Ecce* (inquiens) *elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*. Helias quoque ingenti ardore flagrans, denunciata terræ ariditate, quæ futura erat, ſolitudinem petijt, in qua diuina prouidentia à coruis paſtus eſt. In ſolitudine quoque Carmeli ignem ab æthere precibus deſcendere fecit, Prophetas Baal interemit, deſperatumque imbrem terræ reddidit. In deſertum quoque, impiæ Ieſabelis furorem pertimeſcens, ſe recepit, vbi ſubcinericio pane ab angelo bis paſtus, in fortitudine cibi illius ad montem Dei Oreb inambulauit. Porrò in ſpelunca deſerti montis, dominico viſitatus alloquio non in ſpiritu, non in commotione, non in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis Domini ſenſit aduentum. In deſerto conſtitutus reges ac prophetas inungere miſſus eſt. Ad hæc in vertice montis duos principes quinquagenarios igne cœlitus euocato conſumpſit. Denique poſtquam Iordanis aquas pallio diuiſas ſicco pede cum Heliſeo tranſiſſet, curru igneo per turbinem in cœlum de ſolitudine raptus eſt. Heliſeus Heliæ Diſcipulus in ſolitudine duplicem magiſtri ſpiritum ſortitus, aquas pallio, quod ab ipſo Helia ceciderat, percutiens diuiſit, ſiccisque veſtigijs flumen tranſmiſit. In ſolitudine

1. Reg. 17. *1. Reg. 16.* *1. Reg. 23.* *Pſal. 54.* *3. Reg. 17.* *4. Reg. 1.* *4. Reg. 2.*

cum filijs Prophetarum habitans, farinam miſit in ollam pulmenti, quod præ amaritudine comedi non poterat, ſicque omnem tulit ab olla
4.Reg.9. inſipiditatem. In ſolitudine ferrum ſecuris (quod in aquam fortè ceciderat) natare fecit. Alia denique permulta in ſolitudine, quam coluit frequentius, magnalia exhibuit. Hieremias
Ierem.9. lachrymis madidus, cupiens aquam dari capiti ſuo, oculis quoque ſuis fontem lachrymarum,
Thre. 4. vt lugeret interfectos populi ſui, ſolitudinem tanquam huic ſancto operi aptiorem, flagitauit, dicendo: *Quis dabit mihi diuerſorium viatorum in ſolitudine?* Qui etiam bonum reputans præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei, portareque iugum Domini ab adoleſcentia ſolitudinem huic rei oportunam declarat, cum, ſubiungit: *Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuabit ſe ſup ra ſe.* Vbi tria ſolitudinis egregia breuiter tangit, videlicet quietem, ſilentium, mentiſque ſupra ſe eleuationem. Leuat enim ſolitaria mens ſe ſupra ſe, quando à terrenis ſe obtutibus erigit, & in diuinæ comtemplationis arce ſuſpendit. Leuat ſe ſupra ſe, quando à mundialibus actionibus ſeipſam ſegregans in altum pennis diuinę ſpeculationis volat. Leuat deniqne ſe ſupra ſe, quando eum, qui ſupra omnia eſt, conſpicere molitur, & ſemetipſam cum reliqua mundanæ vanitatis deiectione tranſcendit. Filij quoque Prophetarum ſeipſos à congreſſione hominum
4.Re.6. ſequeſtrantes, & in tentorijs atque tabernaculis habitantes, ſolitudinem coluiſſe, miramque vi-
Eze. 1.2. tam egiſſe leguntur. Ezechiel quoque cùm iuxta flumen ſolus eſſet, viſiones Dei promeruit, Prophetaque effectus, ad filios Iſrael arguendos miſſus eſt, Daniel in cœnaculo domus
ſuæ

ſuæ ſolus tribus diei temporibus genua flecte-re, Deumque adorare ſolitus erat, qui in lacum leonum propterea miſſus à Deo mirabiliter liberatus eſt. *Illuſtres ſolitarij nouæ legis*

Sed iam ad nouum teſtamentum accedamus in quo ipſius conditor Chriſtus Dominus, vt ſuo nobis conſuleret exemplo, frequenter ſolitudinem adiuiſſe legitur. Legitur & quadraginta dies in deſerto ieiunans, noſtrum ieiunium conſecraſſe. Ad hęc in heremo tentatus, tentatoremque ſuperans, nosque ad ſpiritalia certamina inſtruens, angelicum miniſterium habuiſſe refertur. In deſerto quoque multa hominum millia, Euangelio teſtante, mirabiliter pauit. In ſolitudine ſæpius in oratione pernoctauit. Paſſionis tempore à ſuis etiam ſe Diſcipulis ſegregans, factus in agonia, Angelum conſolatorem habuit. Sed & montis ſolitudinem relictis diſcipulorum turbis, ſolus oraturus aſcẽdit. Tribus quoq; diſcipulis comitatus, in mõte trãsfiguratus eſt. Magna igitur laus ſolitudinis, vtpotè quã & ſua pręſẽtia, & clariſſimis miraculis mũdi Saluator illuſtrare dignatus eſt. *Matt. 4. Luc. 4.* *Mat. 14. & 15.*

Ipſius quoq; Saluatoris puriſſima parẽs intemerataq; virgo, cũ ſola eſſet in cubiculo clauſa, nouo modo ſalutatur ab angelo, turbataque conſolatione firmatur. Mira proponitur legatio, interrogationi prudentiſſimè reſpõdetur, Virgo aſſentit, fœcundatur virginitas diuinitiùs, diuina proles incarnatur, miratur natura, ſigna innouantur, ſalus cunctis affertur. Deniq; tanta efficiuntur, quanta nunquam anteà contigerunt, vel futura ſunt. Vides quantum debeat ſolitudini genus humanum. Sed & ipſa virgo diuina prole grauida, ſed non grauata, exur- *Luc. 1.*

gens abijt in montana cum feſtinatione. Etenim quæ antè ſola in intimis penetralibus verſabatur, & in domo ſera fuerat, feſtina in publico fuit: frequentiùs enim, vt ait Ambroſius, videri in publico diſplicebat. Ipſius quoque Domini Saluatoris Præcurſor ac Baptiſta Ioannes diuinis oraculis prænunciatus, ſanctificatus in vtero, miraque natiuitate decoratus, parentes (quamuis ſancti eſſent) deſtituit, periculoſam fugit hominum frequentiam, ſolitudiniſque ſecreta, vtpotè tutiora, à teneris vnguiculis petiuit. In deſerto prorſus admirabilem, ſed non ita imitabilem vitam egit. In deſerto vox illa clamans, vipereas generationes inſimulauit, & vt dignos pœnitentiæ fructus agerent, Domino viam pararent, rectaſque facerent ſemitas eius, admonuit. In deſerto non populum tantùm, ſed & ipſum Saluatorem omnium baptizauit, quem & digito monſtrauit. In deſerto tantum humilitatis conſecutus eſt, vt licet Chriſtus putaretur: ſe tamen indignum eſſe, qui corrigiam calceamentorum eius ſolueret, palam fateretur. Quid plura? In deſerto tantum virtutis ac perfectionis ſibi conciliauit, vt nec Herodem arguere, nec carcerem ſubire, nec demum pro iuſtitia mortem oppetere formidârit. Vides vt nouæ legis, ſicut & veteris ex deſerto manârint exordia. Vides, vt Saluator mundi in ipſo redemptionis principio præconem ac præcurſorem ſuum heremi accolam eſſe voluerit, quatenus aurora in mundum veniente, ex ſolitudine lucifer veritatis erumperet. Vides demùm, quantum ad pœnitentiam agendam, conſequendamque & humilitatis & vitæ perfectionem, apta ſit ſolitudo. Petrus quoque

Luc. 1.
Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.
Ioan. 1.
Luc. 3.
Matt. 14.
Marc. 6.

que ipſius Saluatoris Apoſtolus, cum ad eum venirent nuncij à Cornelio miſſi, tecti ſuperiora vt oraret aſcendit, quod non caſuale, ſed conſuetudinarium fuiſſe putatur, vbi & raptus in mentis exceſſum, miram prorſus viſionem vidit, qua planè edoctus, neminem communem aut immundum dici debere, intellexit. Cæteri quoque Apoſtoli Domini, quantum eis per facultatem licebat, à turbis ſeipſos ſequeſtrabant. Etenim ſemoti, & in vnum collecti erant, quando Spiritum ſanctum inſolito modo ſuſcepêre. Ab hominum quoque congreſſione ſeiugati habitabant, omnia habentes communia, & vitæ monaſticæ ac ſolitariæ exempla monſtrantes. In quibus fuit & Euangeliſta Ioannes, cui Saluator ipſe multa (dum apud mortales conuerſaretur) familiaritatis ſigna oſtenderat. Qui poſtmodum in Pathmos Inſulam relegatus, dum ſolus eſſet, mira vidit ſacramenta, miramque Apocalypſim & habuit, & ſcripſit, cuius plenam intelligentiam ſi quiſpiam dixerit ſe fuiſſe aſſecutum, ipſe viderit. Denique in ipſa Apocalypſi inducit mulierem amictam Sole (per quam fidelium ſignatur Eccleſia) in deſertum locum, datis ſibi duabus alis, volaturam, ibique à Deo certis temporibus nutriendam. Vides quàm tutum ſit à facie ſerpentis antiqui refugium atque aſylum ipſa ſolitudo. Sed cùm iam ſatis ſacræ ſcripturæ campum percurrentes egregios ex ſolitudine flores excerpſerimus, alia quoque ſolitudinis præconia ex alijs proferamus oportet. In primis illa beatiſſima peccatrix, Apoſtolorum Apoſtola Magdalena Lazari ſoror, ſuis in Euangelio lachrymis baptizata, prodeat in medium, quæ licet ſua ſibi pia

Actor.10. *Actor.2.* *Ibid.4.* *Apocal.1.* *Apoc.12.* *Solitariorum primitiæ in noua lege.* *Luc. 7.* *Ioan.11* *20.*

cula donata fuiſſe non dubitaret, nihilo ſecius ſolitudinem tanquam ſecuriorẽ adiuit, vbi cœleſtibus quotidie cibis refecta, Angelicoque cõſortio aſſueta, mirabilem prorſus vitam plurimos annos exegit. Quo ſane tempore multi Apoſtolica rudimenta feruoremq; ſectati, vrbes Paleſtinorum deſtituentes, in ſolitaria ſuburbana ſe receperunt, proptereaq; monachi, hoc eſt, ſolitarij ſunt nuncupati: quod Caſſiani teſtimonio ſuperius comprobauimus. Apud Alexandriam quoque multi (quod diximus) ſolitariæ vitę ſectatores eodem tempore ſub Marco Euãgeliſta inſignes fuerũt, quorum nomina in libro vitæ ſcripta creduntur. Verùm has ſolitariorum primitias, quæ in noua lege ſubortæ ſunt, prætereũtes, afferamus peculiariter illuſtres quoſdã, quos ſolitudinẽ adamaſſe, memoriæ proditum eſt. Inprimis occurrit Paulus primus heremita, quem ſic vocatum fuiſſe per antonomaſiam opinamur, vtpotè qui longiore tempore quàm cæteri, ſolitudinem prorſus extremam iugiter coluit. Hic igitur perſecutionis procella detonante, ad deſerta montium confugiens, dum finem præſtolaretur, neceſſitatem vertit in volũtatem. Grande veſtibulum (quod aperto deſuper cælo patulis diffuſa ramis vetus palma contexerat) pro habitaculo habuit, cui & palma ipſa veſtimentum præbuit. Contextis enim palmarum folijs veſtiebatur, cibum quoque ei quadraginta ferè annos palma ipſa tribuit. Poſtmodum verò ſexaginta annos, dimidij panis fragmento per coruum ſibi quotidiè delato paſtus eſt, qui & prophetiæ ſpiritu claruit. Tandem centũ & tredecim annos natus, & B. Antonio mirabiliter reuelatus, tandemque inuentus ab eo

Paulus primus heremita.

ab eo (Leonibus iuuantibus, ſuisq; pedibus foſſam capacem vnius hominis locū fodientibus) ſepultus eſt in deſerto. In quo nonaginta annos victitās, à nullo mortaliū viſus fuerat. Ipſe quoque Antonius ſolitariæ vitæ illuſtriator, cultorq; egregius ſolitudinem in ipſo iuuētutis flore petiuit. In qua grauioribus cupidinis iaculis agitatus, palmam victor habuit, tentatoremq; ſuum in ſpecie teterrimi pueri ad pedes prouolutū ac blandientem cernens, cōtempſit, riſit, conſpuit. In ſolitudine quoque aduerſus tartareos hoſtes aſſidua bella geſſit, & modò viſibiles, modò inuiſibiles colluctationes perpeſſus, nec aduerſarijs vnquā illis ceſſit, nec ab eis ſuperari potuit. In heremo etiā miram vitę ſublimitatem ac perfectionem conſecutus eſt. Quis enim feruorem aſſiduitatemq; orationis, quis exceſſus contemplationū, quis reuelationes diuinitùs factas, quis demùm virtutes ac gratias in heremo ei collatas, dignis verbis conſequi poſſit? Propheticæ ſpiritus præditus futura prædixit, innumeris claruit miraculis, dæmones fugauit, curauit morbos, & demùm indigētibus ad ſe confugientibus opem tulit. Ea de re totum penè orbem fama illius peruagata eſt. Cuius & odore tracti penè innumeri ad vitam ſolitariam ſe contulerunt. Ab Antonio enim omniū incitata fuiſſe ſtudia legūtur. Deniq; Antonij fama permotus Auguſtinus Doctorum præſtantiſſimus, ac propterea in alterum virū mutatus, poſt teſtatiſſima (vt ipſe in confeſſionibus loquitur) audita eius miracula, ita clamaſſe fertur: Quid agimus? Surgunt indocti & cœlos rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ad inferna demergimur. Vides quantum debeat ſolitudini reſpublica Chriſtiana, cui ſcilicet

Antonius.

Lib. 8. cap. 8.

licet ita eximium Doctorem ſub nidore promeruit. Porrò in deſerto tantam Antonius doctrinam eſt aſſecutus, vt nullus Doctorum ei ſe præferre auderet. Formidabant enim eum Ethnici Philoſophi, quos mirá verborum ſubtilitate vincebat. Timebant & Arriani hæretici peſtiferi, quos vt confutaret, fidemque Trinitatis aſtrueret, ad tempus ſolitudine dimiſſa Alexandriam ſuo Paſtore (ſcilicet Athanaſio) viduatam, adiuit. Sed vnde (quæret aliquis) tantam habuit ſcientiam, qui literas non didicit? Habuit ſanè (Auguſtino in procœmio de doctrina Chriſtiana referente) non ab homine, ſed diuinæ reuelationis infuſione. Itaque diuinam Scripturam inprimis calluit, quam ad omnem actionem afferre ſolitus erat. Denique ex ſapientiæ ſibi datæ theſauro documenta permulta ſolitarijs neceſſaria deprompſit, è quibus vnum duntaxat in medium afferre ſufficiat. Enimuerò, Caſſiano referente, cùm fuiſſet à Patribus diutiſſimè quæſitum atque diſputatum, quænam virtus poſſit monachum à diaboli laqueis ſemper illæſum protegere, rectoque tramite ad perfectionis euehere faſtigium: alijs alia opinantibus, demùm intulit Antonius, hoc eſſe potiſſimum diſcretioni tribuendum. Nec iniuria quidem. Ea enim eſt, qua (præcipuè comitante, à qua gignitur, humilitate) aduerſus omnes dœmonis illuſiones ac laqueos (quibus totum mundum refertum vidit ipſe Antonius) ſolitarium tutum prorſus efficit atque munitum. Sed de ijs iam ſatis. Athanaſius ipſe, de quo nuper meminimus (qui & Antonio pallium dederat. quo Paulum heremitam defunctū obuoluit, & Antonij ipſius vitam Græcè ſcripſit) Arrianæ perſecu-

Auguſtini de S. Antonio teſtimoniū.

Virtus monacho maximè neceſſaria, diſcretio.

Athanaſius.

ſecutionis inſaniam fugiens, vrbem ſuam deſtituens, in ciſterna ſeptennium latuit, ibiq; ſolem corporeum nō videns, ſed Solem iuſtitiæ intra ſe habens, ſymbolum fidei fideliter edidit. Cernis rurſus, vt fidei teſtimonium ac robur ex ſolitudine prodierit. Siueſter quoque circa hæc tempora perſecutionis ſæuitiam confugiens, in montis Soractis ſolitudinem ſeceſſit. Sed ad eos, qui paſſim ſolitarij dicūtur, redeamus. Hilarion audiens celebre nomen Antonij, perrexit ad eū, cuius cùm vitam fuiſſet cōtemplatus, & tandem propter populi (qui ad Antonium concurrebat) frequentiam, animaduertens ſe ſolitariè pro voto agere non ſatis poſſe, heremum terribilem ingreſſus eſt. vbi membra tantùm coopertus ſacco, quod nunquam lauabat) ſuperfluum eſſe dicens in cilicio mundicias quærere) & quindecim tantùm caricas poſt ſolis occaſum comedens, breuem cellulam latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque extruxit. Quam vſque adeò ſollicitè iugiterq; coluit, vt non tantummodò ciuitatem, ſed nec villulam quoque ingrederetur. Quàm aſperam verò atque mirabilem egerit vitā, quas virtutes ſit aſſecutus, quot demùm ſignis fuerit inſignis effectus, longum eſſet enarrare. Qui autem hæc noſſe cupit, vitam eius à beatiſſimo Hieronymo conſcriptam perlegat, in qua nihil ita miratur Hieronymus ipſe, quàm quòd Hilarion gloriā & honorem calcare potuerit. His verò temporibus quātùm exemplis Antonij ac diſcipulorum eius, in AEgypto, Palæſtina, alijsque locis incrementum ſumpſerit ſolitaria vita, facilè dici non poteſt, ſiquidem vaſtas illas ac terribiles AEgypti ſolitudines (quas propter ariditatem noxoriumque animalium

Sylueſter.

Hilarion.

malium copiam humana conuerſatio non nouerat) ingens monachorum caterua colere cœpit. In quibus fuit Macharius AEgyptius, Antonij diſcipulus famoſiſſimus, & ſignis ac virtutibus percelebris, qui habitationem Scythicæ ſolitudinis primus inuenit, mortuumque vnum excitauit ad probandam cuiuſdam innocentiã, cui homicidij crimen impingebatur. Alterum quoque ad fidem aſtruendam ſuſcitauit. Alter quoque Macharius Alexandrinus præfati contemporaneus, amator & ipſe heremi egregius, qui paruulos quoſdam AEthiopes huc atque illuc per totam Eccleſiã diſcurrentes, ac ſingulis monachis variè illudentes, dum officium diuinum ageretur, intuitus eſt. Qua nimirũ viſione intellexit vanas & ſuperfluas cogitationes tempore orationis emergentes, dœmonum illuſioſione fieri, ac torpentibus, indeuotiſque monachis ingeri ſolere. In ijs etiam Patribus extitit Paulus Simplex, Antonij Diſcipulus, qui vſque adeò obediens fuit, vt quodcunque ab Antonio dictum fuiſſet, tanquam præceptum Dei curaret diligentiùs obſeruare. Itaque obedientiæ humilitatiſq; meritò in tantùm ſpiritalium gratiarum culmen aſcenderat, vt multò plures ac potentiores virtutes per ipſum, quàm per ſanctum Antonium Dominus faceret. Quos enim Antonius curare non poterat, ad Paulum mittebat, qui ab eo curabantur. Fuit quoque in ijs Antonij Sectatoribus Ammon, à quo habitationes monachorum Nitriæ ſumpſerunt exordiũ, cuius & vitam in ſumma admiratione habuit Antonius, & animam quoq;, dum exiſſet à corpore, vidit ferri in cœlum. Fuit & Pythirion, etiam Antonij Diſcipulus, cui & gratia ſanitatum,

Macharius AEgyptius. *Macharius Alexandrinus.* *Paulus ſimplex.* *Ammon.* *Pythirio.*

tum,& poteſtas aduerſum dœmones ingens aderat. In ijs quoque fuit Paphnutius nominatiſſimus apud Thebaidem anachoretes, angelicæ quidẽ vitæ, qui cùm non ſemel oraſſet, vt oſtenderetur ſibi cui ſanctorũ ſimilis haberetur, tandem poſt multas reuelationes ſibi factas aſtitit angelus dicens ei: Veni iam benedicte Domini. Ecce mecum adſunt prophetæ, qui te in ſuum ſuſcipiunt chorum. Cæterùm ſi omnes eos, qui exemplo Antonij ad colendam ſolitudinem ijs temporibus incitati ſunt, præclaraq́; eorum geſta adferre ſpeciatim tentauero: & rem viribus imparem, & lectori faſtidioſam aggrediar. Nam & Hieronymus, qui multis laboribus magnisq́; periculis illas AEgypti ſolitudines adiuiſſe, multosq́; Patres ibi ſe vidiſſe commemorat, fatetur ſupra vires ſuas eſſe de omnibus explicare. Itaque cùm aliquot præſtantiores, vltra eos de quib⁹ peculiariter paulò antè meminimus, protuliſſet in medium, videlicet Ioannem AEgyptium, Hor, Brunonem, Thermẽ, Apoloniũ confeſſorem, Aminomen, Copretẽ, Mutium, Eſaiã, Paulum, Anuph, Hælenum, Heliam, Eulogium, Apellem, Serapionem, Apollonium martyrem, Dioſcorum, Ammonium, Didimum, Cronium, Originem, Pyamonem, Ioannẽ, & deniq; Malchum monachum, in quibus nonnulli fuêre ipſius Antonij non ſolùm imitatores, ſed etiam diſcipuli, quos adhuc ſuo tempore ſuperſtites Hieronymus ipſe in Thebaide, Nitria, alijsque locis vidit, ita demùm ſubiungit. In alijs quoq; quam plurimis locis AEgypti ſparſim vidimus ſanctos Dei virtutes multas & mirabilia facientes, & gratia Dei plenos, ſed paucos ex multis memorauimus: de omnib⁹ enim explicare ſupra vires

Paphnutius.

Hierony. de illuſtribus ſolitarijs antiquis.

vires noſtras eſt. Nam de his, qui in ſuperiore Thebaide, id eſt, circa Syronem habitare dicũtur, auditu ſolo comperimus, quòd his penè omnibus quos vidimus, celſiores illi & magnificentiores habebantur. Accedere verò ad ipſos pro timoris periculo nequiuimus. Vides vt Hieronymus non potuerit peculiariter de omnibus verba facere. Sed quid mirum? cùm alibi dicat, & numero immenſos, & virtutibus incomparabiles, in diuerſis AEgypti partibus fuiſſe, quorũ meritis & mundum adhuc ſtare dicebat. Cui ſatis aſtipulatus D. Auguſtinus eius contemporaneus licèt natu minor, in libro de moribus Eccleſiæ, de ſolitarijs ipſis ita inquit. Multi vſque adeò ſunt Dei amore flagrantes, vt eos in ſumma continentia atque mundi huius incredibili contemptu, etiã ſolitudo delectet. Quid eſt (quæſo) quod viderunt, qui non poſſunt hominem videre? Profectò illud quicquid eſt, præſtantius eſt rebus humanis, cuius contemplatione poteſt homo ſine homine viuere. Et ſubdit. Nihil de his dicam, quos paulò antè commemoraui, qui ſecretiſſimi penitus ab omni hominum conſortio, pane ſolo (qui eis per certa interualla temporum affertur) & aqua contenti, deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatiſſimi, quæ niſi Sanctorum intellectu percipi non poteſt. Nihil, inquã, de his loquar. Videntur enim nonnullis, res humanas plus quàm oporteret deſeruiſſe, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus proſit, & vita ad exemplũ, quorum corpora videre non ſinimur. Sed hinc diſputare longum & ſuperuacaneum puto. Nam hoc tam excel-

Hieronymi de ſolitarijs ſententia.

Auguſtinus de ſolitarijs.

excellens faſtigium ſanctitatis, cui non ſua ſponte mirandum & honorandum videtur, oratione noſtra videri qui poteſt? Vides quàm cócorditer tanti Doctores Hieronymus & Auguſtinus ſolitarios ſui temporis & multos & virtutibus admirandis inſignes celebrant. At verò huiuſcemodi ſanctiſſimis Doctoribus nó ſatis fuit ſolitariorum vitam commendare, niſi & pro viribus eorum ſectarentur veſtigia. Enimuerò Hieronymus ipſe primùm ſui præceptoris Gregorij Nazianzeni (qui dimiſſo Epiſcopatu ruri vitam monachi arripuit) exemplo concitatus, ſolitudinem vaſtiſſimam, Solisque ardoribus exuſtam petiuit, vbi quantú laborum ac tentationú fuerit perpeſſus, locupletiſſimè teſtatur. Poſteà verò Bethleem cótendens, & velut manſuetiſſimum animal ab Dominicum præſepium ſecedens, alterumque ſolitariæ vitæ genus arripiens, tandem multos eiuſdem propoſiti alumnos habuit, cum quibus ſolitariè victitans, incredibiles ſuſcepit labores, non ſibi tantùm, ſed toti quoq; poſteritati ac Dei Eccleſiæ perutiles. Cuius etiam tempore (quo multa propter diutinam eius vitam obtigerunt) vel circa, fuerunt & alij plurimi Patres egregij ſolitarij, de quibus nó Hieronymus ipſe, ſed alij peculiariter meminerunt. In quibus quidem numerantur Arſenius, Frontoniꝰ, Simeon, Paſtùnius, Onufrius, Abraham, Palemó, Pachomiꝰ vir admirabilis, Theodorus, Syluanus, Petronius, Orſiſius, Zacheus, Vitalis, Effrem, Zenon, Moyſes, Iſaac, Poemen, Agathon, Apollos, Pior, Anaſtaſiꝰ, Daniel, Paulus, alijq; permulti, quorum ſententiæ, virtutes, merita ac geſta in Vitis Patrum ſparſim habentur. Sed quid de viris dicere pergo? cùm & mulie-

Greg. Nazianzen.

Hieronymus.

mulieres etiam,(quod mirum eſt) ſolitudinem coluerunt. In quibus eſt Maria AEgyptiaca peccatrix, quæ quadraginta ſeptẽ annos extremam anachoreſim tenuit. Pelagia quoque, quæ & ipſa peccatrix, ſexum virilem ſimulans, ac nuncupationem, habitumque virilem ſuſcipiens, in cellula clauſa permanſit. Eufroſina inſuper Virgo in ſingulari cella recluſa, longiſſimo tempore vixit. Denique aliæ reperiuntur innumerabiles fœminæ, quæ ſolitudinem mirabiliter obſeruârunt. Fœlicia dixerim tempora illa, quibus non modò virorum innumeræ acies, ſed etiam fragilis ſexus greges (quamuis non ita multi) ſeculum fugientes, miram ſolitudini operam nauârunt. De quibus viri admodum docti, etiam ſolitudinis amatores meminiſſe leguntur. Non infauſta quoque tempora (quæ paulò pòſt ſucceſſerunt) crediderim, in quibus ex radicibus illis, quas tetigimus, rami floreſque egregij prodierunt. De quibus partim meminit in collationibus Patrum Caſſianus, qui & ipſe magnus heremita, & Diui Chryſoſtomi Diſcipulus fuit. Sed & Chryſoſtomus ipſe tres pulcherrimos libros contra monaſticæ ſiue ſolitariæ vitæ vituperatores edidit. Poſt hæc tempora frigeſcente deuotione, non tam copioſè ac paſſim, vt anteà, viguiſſe legitur anachoreticus feruor, quamuis & mirabiles viri ſolitariam vitã, quantum tempora ſiuerunt, ſectati, ſed non ita multi leguntur. In quibus fuit D. Benedictus, qui triennium extremam ſolitudinem incoluit. Fuit & Petrus magnus heremita, cui expeditionem cõtra Turcas fieri debere, pro recuperanda terra ſancta, diuinitùs reuelatum creditur. Fuit & noſter Bruno cũ ſuis alumnis innumeris. Fuere deni-

Maria Ægyptiaca. *Pelagia.* *Eufroſina.* *Caſſianus.* *Chryſoſt. contra ſolitariæ vitæ vituperatores.* *Benedictus.* *Petrus.* *Bruno.*

dénique alij diuerſis ætatibus permulti ſolitudinis cultores, de quib' proſequi & lectori tædioſum, & viribus noſtris impar omninò foret. Itaque receptui can entes, conficiamus, ſolitariam vitã (ſi modò debitè ſuſcepta fuerit) & fructuoſam inprimis, & excellentẽ admodũ eſſe, eamq; ob rem multis laudibus eſſe digniſſimam, quippe cuius innumeri cultores inter Sanctos præcipuos connumerentur. Sed iam ad alia pergendum eſt, niſi fortè quicquã in ipſam ſolitariam vitam adhuc oblatrare velis.

CAPVT XVIII.

Multa tanguntur obiectiones ſolitariam vitam improbantes.

OBLOCVTOR.

PVtaſne, cùm de ſyluis ac deſertis agitur, hãc pergrandem ſyluã me ſine ſectione deſerere velle? Erras, ſi hoc cenſeas. Eſt enim acuta mihi bipennis, quæ huiuſmodi materiam optimè ſecare nouit. Et, vt apertiùs agam, certum eſt, ſolitariam vitam, & authoritatibus, & rationibus permultis funditus improbare. Inprimis quidem ſacrarum literarum authoritatibus: deinde ſanctorum Patrum dictis: poſtremò Philoſophorum aliorumque id genus hominum ſententijs. Igitur vt primùm ſacræ tangãtur authoritates, dicitur Geneſis ſecũdo. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Qua nimirum authoritate in exordio generis humani damnata fuiſſe videtur ſolitaria vita. Eccleſiaſticæ quoque quarto, Sapiens quandam vanitatem (quàm ſub ſole reperit) conſiderans, de illo ſcilicet, qui vnus eſt & ſecundum non habet, ita concluſit. *Melius eſt ergo duos eſſe, quam vnũ: habent enim emolumentum ſocie-*

Gen. 2.

Eccl. 4.

ſocietatis ſuæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem, & ſi dormierint duo, foueburtur mutuò. Vnus quomodo calefiet? Et ſi quiſpiam prævaluerit contra vnum, duo reſiſtent ei. Vides ex his verbis magna ſocialis vitæ commoda, è diuerſo verò multa ſolitariæ vitæ diſcrimina patenter ineſſe. Quæ ſanè authoritates vel ſolæ ſufficiunt ad reprobandam ſolitariæ vitæ ſingularitatem. Addamus nihilominus & ſacrorum Doctorum ſententias, quibus hoc ipſum luculenter conficitur. In primis occurrit grauis authoritas Baſilij, qui rogatus, an eum, qui à mundiali conuerſatione diſceſſerit, oporteat remotum eſſe, & ſolum, an verò cum fratribus eiuſdem propoſiti, eiuſdemq; animi vitam ſuam ſociare: Reſpódit, in multis eſſe vtile vitam communem ducere cum his, qui eiuſdem voluntatis ſint atq; propoſiti. Quã reſponſionem ſuam longo pulchroq; ſermone proſequitur, in quo cœnobiticam vitam multis laudibus efferens, ſolitariam vitam carpit, vtpotè quæ bonis illis, quibus vita communis affatim referta eſt, careat, multisq; è diuerſo detrimentis abundet. Cui aſtipulatus ſacer Hieronymus, ſolitariam quoque vitam carpere ac diſſuadere palam viſus eſt. Enimuerò cùm Ruſticum Gallum ad ſeculum deſtituendum, monaſticamque vitam arripiendam cócitaſſet, ne ſolitariam vitam ſuſciperet diſſuaſit, hoc modo dicens: Primùm tractandum eſt, vtrùm ſolus, an cum alijs in monaſterijs viuere debeas. Mihi placet, vt habeas Sanctorum cótubernium, nec abſq; ductore ingrediaris viam quam nũquam ingreſſus es, ſtatimque tibi in partem alteram declinandum, vt errori pateas, pluſque aut minus ambules, quã neceſſe

Baſilius.

Hieron. ad Ruſt.

neceſſe eſt,& currens laſſeris, moramque facies obdormias. Poſt quæ verba Hieronymus ipſe multa ſubijcit pericula, quibus ſolitaria vita obnoxia eſt. His patribus aſſentitur D. Bernardus, qui ſanctimoniali cuidã Trecenſi (quæ aſperioris vitæ deſiderio cœnobium ſuum deſerere, ac heremum adire volebat) conſuluit, ne id faceret, hoc modo dicens: Volenti perperàm agere,& deſertũ abundantiam habet, & nemus vmbram,& ſilentium ſolitudo. Malum quippè, quod nemo videt,nemo arguit. Vbi autem non timetur reprehenſor,ſecuriùs accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas.Et ſubdit: In nemore lupus habitat. Si ſola ouicula vmbras nemoris penetras,præda vis eſſe lupo. Vides quàm concorditer his pulchris ſanctorum Doctorum ſententijs ſolitaria vita carpatur,diſſuadeaturq;. Denique Philoſophorum dictis vitã ſolitariam legimus quoq; reprehenſam fuiſſe. Siquidem Plato Philoſophus inſignis homines hominum cauſa progenitos eſſe profeſſus eſt. At verò qui ſolitariam vitam agunt,perinde faciunt,ac ſi pro alijs iuuandis minimè eſſent conditi. Ariſtoteles quoq; philoſophorũ facilè Princeps primo politicorum aſtruit, hominẽ naturaliter eſſe animal ſociale atque ciuile, proinde (inquit) eum, qui cæteris non communicat, aut Deum aut beſtiam eſſe. Concordat Cicero eloquẽtiæ parens, cum aſſerit nõ neceſſitate,ſed natura profectam eſſe hominum ſocietatem. Idemque libro de amicitia ait,naturam ſolitariũ nihil amare. Sed & Seneca vir admodum ſeuerus, & ipſis quoque horrendis ſolitudinibus aſperior, ſolitudinem breui ſententia damnauit,cùm inquit:Solitudo omnia nobis mala perſuadet. Denique Poëta

Epiſt. 115.

Plato.

Ariſtot.

Cicero.

Seneca.

quidam, cùm antidota quædã contra laſciuum amorem traderet, loca ſola eſſe cauenda præcepit. Quibus animaduerſis, dubium non eſt, ſolitariam vitam ſemper à grauiſſimis authoribus fuiſſe & reprehenſam, & diſſuaſam. Sed iam au-ctoritatibus rationes ſubijciamus, quarum prima ſumitur à multiplici ſimilitudinis defectu. Inprimis quidem reprobatur ſolitaria vita à defectu ſimilitudinis ſiue exempli. Enimuerò cùm triplex ſit ſublimis vita, ſcilicet Apoſtolica, Cœleſtis ac Supercœleſtis, quam cæteræ, quę probæ ſunt, debent æmulari: conſtat eam, quæ nullam illarum imitatur, probam non eſſe, at ita eſt de ſolitaria vita. Non enim ſimilitudinem illam habet, quàm Apoſtoli religioſæ vitæ fundatores, in Apoſtolicis Actibus docuiſſe tradũtur. Nec cœleſti quoque vitæ ſimilis eſt, vtpotè quæ ſingularis non ſit, ſed prorſus ſocialis. Nec denique vllam habet ſimilitudinem ad illam ſupercœleſtem ſupremamque vitam, quippè quæ ſolitaria non ſit. In illa enim beatiſſima Trinitate non admittitur ſolitudo. Solitaria igitur vita, quæ ſupremæ illi ac ſummæ conformis non eſt, reprobationem meretur. Vt enim lex, quæ ſupremę legi conſentanea non eſt, bona non eſt: ita & de vita putari debet. Secundò, reprobatur ſolitaria vita à defectu ſeu carentia recti finis, ac priuatione eorum bonorum, quæ in vita ſociali reperiri ſolent, quandoquidem nullo recto fine ſuſcipi poteſt ſolitaria vita. Deinde nullis ſalutaribus modis agi poſſe videtur, cum bonis omnibus viduet, quæ proba vita conferre aſſueuit, & conſequenter detrimenta multa afferat, quæ Baſilius in ſua regula tetigit. Etenim (vt dicta eius perſtringamus) ſolitaria vita non ſatis

Ouidius de remedio amoris.

ſatis eſt ad ea, quæ ſunt humanæ vitæ neceſſaria. Quod enim deeſt, ab alio quæri non poteſt. Deinde non quæ proximorum, ſed quæ ſua ſunt quærit: charitatem itaque offendit. Num ſinit ſolitarium ad ſui, ſuorumque flagitiorum notitiam, purgationemq́; pertingere, cùm nullus adſit, qui ſolitarium ipſum arguere queat. Diuinorum quoque mandatorũ plenam obſeruantiam impedit, integram myſticorum membrorum harmoniam diſſipat, dum ea fugit, quæ ad communem pertinent vtilitatem. Inſufficiés eſt ad omnium donorum Spiritus ſancti ſuſceptionem. Non enim tanta donantur ſoli, quàm ſocialiter viuenti. Talentum abſcondit, redditque inanem ſui domini pecuniam. Ad pellendas hoſtis inſidias minùs & cauta eſt, & robuſta. Multis quoque periculis obnoxia eſt, præſertim cùm neque quid ſibi abundet vitij, neque quid deſit virtutis, agnoſcat. Materiam omnem virtutem, ac proinde virtutes ipſas excludit. Denique & fructu orationis communis, & ſpiritali iucunditate, & demùm alijs commoditatibus, quas vita ſocialis conferre ſolet, prorſus viduat. Eſt igitur planè reprobanda, quæ tot impedit bona, quæ faciliori labore in ſociali vita haberi poſſent. Secunda ratio præcipua ſumitur è diuerſo, ab exceſſu multiplici, ſcilicet vitiorum, illuſionum, grauium tentationum, aliorumque periculorum, quibus ſolitaria vita nimiũ abundare conſueuit. Quantum enim vitijs obnoxia ſit ſolitaria vita, ſatis Hieronymus teſtatur, qui ad Ruſticum monachum ſcribens, ita inquit. In ſolitudine citò ſurrepit ſuperbia, & ſi parumper ieiunauerit, hominemque non viderit, putat ſe alicuius eſſe momenti. Oblitusque

Malorum monachorum vitia.

ſui, vnde & quò venerit, intus corde, foris lingua vagatur. Iudicat contra Apoſtoli voluntatẽ alienos ſeruos. Quò gula popoſcerit, porrigit manum. Dormit quantum voluerit. Nullum veretur, facit quod voluerit. Omnes inferiores ſe putat, crebriusq; in vrbibus, quã in cellula eſt. Et inter fratres ſimulat verecundiã, qui platearum turbis colliditur. Et poſt multa adiungit. Vidi quoſdam, qui poſtquã renunciauêre ſeculo, veſtimẽtis duntaxat & vocis profeſſione, nõ rebus, nihil de priſtina conuerſatione mutaſſe. Res familiaris magis aucta, quã imminuta. Denique paucis interpoſitis, ſubiungit. Pleriq; artibus, & negotiationibus priſtinis carere non poſſunt, mutatisque nominibus inſtitorum, eadem exercent commercia, non victum, & veſtitum (quòd Apoſt. præcipit) ſed maiora quam ſeculi homines emolumenta ſectantes. Vides vt Hieronymus palàm fateatur, ſolitariã vitam ſuperbiæ, temeritatis, arrogantiæ, præſumptionis, gulæ, torpôris, auaritiæque vitijs obnoxiam eſſe. Sed & illuſionum, errorumq; pleniſſimam eſſe, teſtatur ibidem Hierony. ipſe, cùm ait: Sunt qui humore cellarum, immoderatisq; ieiunijs, tędio ſolitudinis, ac nimia lectione, dum dieb⁹ ac noctibus auribus ſuis perſonant, vertuntur in melancoliam, & Hippocratis magis fomentis, quã noſtris monitis indigent. Quibus Hieron. dictis aſtipulantur multorũ ſolitariorum exempla, de quibus partim meminit Caſſianus, partim in vitis Patrum, alijsque locis referuntur, quibus planè conſtat, ſolitariam vitam vitijs atque fallacijs ſuprà modum refertam eſſe. Teſtantur & hoc ipſum experientiæ quotidianæ. Vbi quæſo plùs abundat, quàm in ſolitudine (præſertim non extrema)

Rom. 14.

trema) ambitio? Vbi plus officiorum callida occupatio? Vbi murmur? Vbi ſuperbia alienæ vitæ contemptiua? Vbi proprij ſenſus abūdantia? Vbi pertinacia? Vbi præſumptio atq; arrogātia? Vbi grandis eleuatio? Vbi æſtimatio ſui ſuarumque virtutum ac literarū? Vbi opinionū, culparumque propriarū defenſio? Vbi inobedientia? Vbi correctionis intolerātia? Vbi inuidia? Vbi odiū? Vbi detractio? Vbi ſeminatio diſcordiæ? Vbi machinæ ad alios cōfundendos excogitatæ? Vbi conſpirationes? Vbi zelus & contentio? Vbi gula? vbi cupidita? vbi proprietas inſatiabilis? vbi curioſitas? vbi ira atque impatientia. Vbi demùm cętera vitiorum atque errorum portenta, magis inuenire eſt, quàm in ſolitaria vita? quæ cùm paſſim admittantur, nulla tamen vera pœnitudine expiantur, ſed ignorantia, vel incuria, vel mala conſuetudine aut defendūtur, aut negligūtur. Nonne igitur meritò reprobāda eſt huiuſmodi vita, quæ tot ac tantis vitijs erroribusq; ſubiecta eſt? Adde quòd grauiſſimis ſit tentationibus, alijsq; periculis admodū patens. Etenim (præſertim illi, qui piè volunt viuere in ſolitudine) interdum à ſecularibus abſentes taxantur, ſæpenumerò corroduntur, laceſſunturq; à falſis fratribus cum quibus victitant. Aſſiduè verò à dœmonibus inſidiantibus oppugnantur, & modò apertis ac violentis immiſſionibus, modò verò occultis & inopinatis tentationum machinis incredibili modo torquentur. Denique ꝙ per ſeipſos callidiſſimi hoſtes facere nequeūt, hoc ꝑ ſuos, id eſt, miſeros perditosq; monachos conſequi moliuntur. Quis ergo ſolitariā vitam commendare audeat? imò verò quis reprobare non poſſit, vtpotè quæ tantis periculis obnoxia

 eſt?

eſt. Sed iam tertiam rationem principalem addamus, à multifaria ineptitudine ac inutilitate ſumptam. Enimuerò ſolitaria vita nulli hominum generi apta eſt, ſed omnibus prorſus inepta putatur. Non enim perfectis cõſummatiſque viris idonea, ſed potius noxia eſt huiuſcemodi vita. Siquidem viri huiuſcemodi ſocialẽ vitam agentes, & ſibi & cæteris vtiliores ſunt, quàm ſi ſolitariè agerent. Sed & ineptè ſolitudinẽ peterent, quòd & maioribus ſe meritis, & proximos vitæ exemplis citra cauſam fruſtrarentur. Nulla enim iuſta petendæ ſolitudinis cauſa, ſcilicet periculorum vitatio, in huiuſmodi viris perfectis locum habet, vtpotè quibus nihil immineat ex alieno conſortio periculi. Non igitur talibus apta eſt ſolitudo. Sed nec viris imperfectis idonea eſt, quandoquidẽ à doctis & ſanctis grauiter incuſantur, qui vel moribus inconditis, vel vitijs necdùm plenariè excoctis, ſolitariam vitam arripere præſumunt. Adde quòd nec doctis viris opportuna eſt ſolitudo, quippè qui potiùs immortales animas, quàm perituras ſyluas colere, & creditum ſibi ſapientiæ talentum cæteris impartiri debent. Denique viris quoque illiteratis prorſus inepta eſt ſolitaria vita, vtpotè grauiſſima, & perículoſiſſima. Grauiſſima quidẽ, quòd (teſte Seneca) otium ſine literis mors ſit, & viui hominis ſepultura. Periculoſiſſima quoque, quòd indoctus ſine doctore varia huius vitæ pericula, cœcoſque errores nec noſſe, nec vitare poſſit. Sed quos (precor) in ſolitudinem impellere vis, aut etiam admittere, niſi perfectos vel imperfectos, doctos vel ignaros? quib⁹ cùm inepta ſit (vt probauimus) cenſendum eſt, eam nulli hominũ generi aptam eſſe. Sed iam aliam

Seneca.

adda-

addamus rationem, à multo nocumento atq; iniuria deſumptam. Siquidem vita ſolitaria omnibus noxia eſt, & iniuria. Et primùm quidem ſibijpſi, quod ſatis ex ſuperioribus liquet, quibus oſtenſum eſt, eam & in bonis defectum, & in malis exceſſum pati ſolere. Parentibus quoque iniuria eſt, quippe quæ ſua ſpe turpiter eos fruſtratur. Illi enim liberos ſuauiter alendos, imbuendosque diligenter curauerunt, vt & ſolatio & adiumento ſibi poſtmodùm forent, & tandē ſuæ ſenectutis conſulerent incommodis. At verò ab his, qui ſolitudinē adeunt, ſua prorſus non modo fraudantur expectatione, ſed (quod grauius eſt) multis afficiuntur doloribus. Quis enim neſciat, eos, qui parentes ſolitariæ vitæ gratia deſtituūt ac negligunt, multo eos mœrore, multisque lachrymis conficere, & feris ipſis crudeliores ſuo diſceſſu perimere ſolere? Denique cæteris omnibus, totique reipublicæ iniuriam faciunt. Non enim proximorum neceſſitatibus ſuccurrunt, imò nec compatiuntur quidem, quippe quas, ab humano conſortio prorſus ſeiugati, compertas non habent. Nec demùm reipublicæ opem ferunt, pro qua tamen iuuanda omnes ab omnibus nerui intendendi ſunt. Eſt igitur vita huiuſmodi omnibus pernicioſa iniuriaque. Denique (vt poſtremam tangamus rationem) hæc vita eſt inconſiderationis, temeritatisque arguenda. Inconſiderationis quidem, quòd ea nititur maximis laboribus, grauiſſimiſque periculis in ſolitudine conſequi, quæ in humana ſocietate faciliùs aſſequi poſſet. Nonne, obſecro, poſſunt virtutes omnes ad ſalutem neceſſariæ in humana ſocietate comparari? An qui vrbes habitant, poſſeſſionesque habent, ſalui

ſalui eſſe non poſſunt? An ſolitariorum tantùm Deus, non etiam ſocialiter viuentium? Si omnes huiuſmodi vitæ incubuerint, nonne omnia ſeculi huius peribunt? Nonne res humanæ ſtatim dilabentur? Si omnes, inquam, ſolitarij efficiantur, nonne protinus interibit genus humanum? Sed quòd temeritatis quoque notanda ſit ſolitaria vita luculenter cõſtat, quandoquidem multi ab hac vita turpiter exciderunt, infauſtosq́; exitus habuére. Adde quòd inter eos, qui perſeuerauerunt, pauci admodùm vitæ ipſius culmen ac perfectionem conſecuti ſunt. Temerarium aut eſt ea aggredi, quæ paucos fuiſſe aſſecutos dubiũ non eſt. Sed & quid opus eſt tanta perfectione, quantam huiuſmodi vita ſuis cultoribus promittit, nec tamen frequenter efficit? Nonne ſatis eſt communem agere vitam, quæ ducit ad fęlicitatem? Deniq; vitam agens ſolitariam, non propterea ſecurus eſt de perpetua vita conſequenda. Itaque fruſtrà, & inconſultè grauiſſimis ſe laboribus in ſolitudine cruciat, innumeriſq; ſeipſum committit periculis. Adde quòd homines ſolet melancolicos, inhumanos, effrœnatóſque frequẽter efficere, adeò quidẽ, vt nõ homines, ſed potiùs feræ quædam eſſe videãtur. Quibus animaduerſis, ſolitaria vita prorſus & reprobanda, & fugienda eſt.

CAPVT. XIX.

Diſſoluuntur & authoritates, & rationes ſolitariam vitam impugnantes.

Petrvs.

Iam ſatis ſuperque totum, quod pectore latebat, virus euomuiſti, quod ne vel grauiùs ſauciet, vel diutiùs ſerpat, ſalubri antidoto propellen-

pellendum eſt. Hoc eſt (vt apertis verbis agatur) diſſoluendæ ſunt authoritates, & obiectiones ad ſolitariam vitam improbandam per te depromptæ. Quod in primis generaliter, deinde peculiariter facere certum eſt. Primùm ergò generatim defendamus, vitam ſolitariam non extremam dicentes, nec authoritates, nec rationes in medium adductas, quicquàm contra ſolitariam vitam clauſtralem, ſiue non prorſus extremam (qualis eſt Cartuſiana) conficere. Quod ſatis prima fronte, qui aduertere voluerit, deprehendet. Ea de re ſi ad impugnandum Cartuſianum negotium omnia illa, quæ ſuperiùs à te congeſta ſunt, forſan afferre mens fuit, caſſo te labore fatigaſti. Nam & in Cartuſiano (quod dicturi ſumus) propoſito, ſolitariæ vitæ deuitantur pericula, & cœnobiticæ ſeu communis vitæ emolumenta reperiuntur. Deinde alteram generalem de altera ſolitariæ vitæ ſpecie, quæ ſcilicet extrema eſt, dantes reſponſionem dicimus, & autoritates, & obiectiões ſuperiùs depromptas, eſſe capiendas de ſolitaria vita prorſus extrema, quæ ineptè ſuſcipitur, perperamque agitur. At verò quando debitè ſuſcipitur, agiturque, vt decet, nihil prorſus habere loci. Alioqui graues admodum viri de ſolitaria vita loquentes, ſibi mutuò aduerſarentur, imò verò (quod ſtatim monſtrabimus) idem ſibijpſi prorſus diſſideret, quod nepharium eſt ſentire. Denique peculiariter reſpondentes, inprimis ad primam autoritatem de Geneſi depromptam, dicimus eam ad improbandam ſolitariam vitam ineptè citatam fuiſſe. Non enim per eam ſolitaria vita reprehenditur, ſed innuitur quidam finis humanæ conditionis, cur ſcilicet homo creatus ſit. Crea-

Gen. 2. tus ſiquidem fuit Adam, vt humanum genus ab eo per generationem profluëret, quod fieri non poterat, ſi ſolus manſiſſet, quandoquidem in generatione humana exigitur maris & fœminæ coniunctio. Cùm igitur maſculus iam procreatus fuiſſet, reliquum erat, vt ad liberos gignendos fœmina quoq; fieret, quæ in adiutorium propagationis viro ſociaretur. Ibi ergo de ſolitudine cœlibali (quæ generis humani non intendit incremento) agitur, non autem de ſolitudine locali, qua ſe quiſpiam ab humano cõſortio ſegregat, vt aptiùs poſſit bonis operibus incumbere. Quibus animaduerſis, nihil ex eo loco trahi poſſe videtur, quod ſolitariȩ vitæ ſiue extrema, ſiue non extrema ſit, officiat, Imò verò, ſi conſideres Adam ſolùm in primis creatum, & deinde conſortiũ ſibi datum fuiſſe, mox intelliges, naturam hominis ad ſocietatẽ, & ſolitudinem de ſe ancipitem eſſe, quod & ſapientes profitentur. Ad alteram verò authoritatem ab Eccleſiaſte deſumptam reſpondentes fatemur, partim de laude ſocietatis, partim verò de cuiuſdam ſolitudinis vituperio agere, ſed non ita generatim ac ineptè, vt multi ſentiunt, qui generaliter in ſuggillationem vitæ ſolitariæ illud allegant, *væ ſoli*, quod & ſemper in ore habent. Si enim vniuerſaliter, pro iſtorũ opinione, laudanda eſſet ſocietas, & è diuerſo reprobanda ſolitudo, ergo ſocietas furum, prædonũ, pyratarum, conſpiratorum, aliorumq; id genus peruerſorum hominum, laudanda erit? Si generaliter improbanda ſolitudo, igitur anachoretarum, ſanctorumque Patrum vita (quæ ſolitaria fuit) omninò vituperabilis apparebit? Cauendumque poſtmodùm erit, ne ſolus quis

De qua ſolitudine loquitur Geneſis.

Eccle. 4.

quis dormiat, ſol⁹ vigilet, ſol⁹ domi habitet, ſolus foras proficiſcatur, ſolus edat, ſolus quicquã operis efficiat. Et (vt de ſpiritalib⁹ agatur) magna cautio adhibẽda erit, ne ſolus orationi det operã, ne ſolus lectioni ſtudioq; incumbat, ne ſolus peccata defleat, ne ſolus contemplationi vacet, ne demum ſolus quæ ſuæ ſalutis ſunt cogitet. Ad hæc igitur, aliaq; omnia ſocietate opus erit. Sed quis hoc ferat? quis non rideat? quis hæc abſurdiſſima non paruipendat? Itaq; veram interpretationem afferre molientes, agamus primùm quid de ſocietate, deinde ꝗd de ſolitudine hoc loco ſapiens dicere voluerit. Enimuerò cum duplex ſit ſocietas, vna quidem abſolutè bona, quę charitatis vinculo vnita eſt, quæ interdum animorum eſt duntaxat, eaq; de re inter abſentes ac ſolitarios inueniri poteſt, interdum verò etiam corporum, quę cum animis vniuntur, altera verò mala, quæ alicuius patrandi ſceleris gratia initur: palam eſt Sapientem ipſum malam ſocietatem laudare non voluiſſe, ſed bonam tantùm, quam & ex quatuor emolumentis commendauit, ſcilicet ex fulcimento contra caſum, ex ſubleuatione à ruina iam facta, ex fomenti adhibitione contra frigus aliaque detrimenta, & demum ex adiumento contra hoſtium impugnationem, quæ ſi ſpiritaliter accipiantur, magnæ patebunt laudabilis ſocietatis commoditates. Non igitur ſocietatem vniuerſaliter Sapiens ipſe probauit, ſed bonam duntaxat. De ſolitudine autem, quæ ſocietati aduerſa eſt, Sapiens ipſe oppoſitum fecit. Laudando enim ſocietatem, vituperauit ſolitudinem cùm dixit: *Væ ſoli*, non quidem vniuerſaliter, ſed eam ſolùm, quæ mala eſt, hoc eſt, quæ ſuſcipitur,

Duplex ſocietas.

agi-

agiturque perperam. Quinimò ſi ſeriem literæ, eiusque interpretes aſpexeris, plane videbis, eũ non carpſiſſe omnem malam ſolitudinem generaliter, ſed peculia'iter quorundam auarorum ſingularitatem, qui pro tẽporalibus bonis quo iure, quaque iniuria comparandis, ſe iugiter atque inaniter conficiunt, nec tamen honeſtè bonis vtuntur congregatis, nec alijs quoque impertiũtur, ſed ſuum panem (vt vulgò dicitur) in ſinu comedunt, & ſocietates amicitiasque refugiunt, ne impenſas facere impellantur. Denique bona caſſo labore queſita, tenaciter referuant, cùm tamen nec filium, nec fratrem habeãt. Hęc eſt auara ſolitudo, peſſimaque afflictio, quam non iniuria Sapiens ipſe ſugillat, concludens ac dicens meliorem eſſe communionis fraternæ ſocietatem ac communitatem, quàm illius auaræ ſolitudinis ſingularitatem. Denique ſi generalius extenderetur illud Sapientis dictum, intelligendum eſſet, melius duos eſſe ſimul, quã vnum, ijs quibus alieno auxilio opus eſt: non autem his, qui non egent, quales ſunt hi qui perfectionem aſſecuti ſunt. Ex quibus omnibus liquet, nihil contra ſolitariam vitam debitè aſſumptam, confici poſſe. Sed dicas, ſaltem eſt aliqua ſolitudo, de qua Væ ipſum rectè dici poteſt. Dicam & tibi aliquam eſſe ſocietatem, cui & væ itidem dici valet. Quinetiam ſi mala omnia, quę in ſocietate fieri ſolent, ad ea quæ in ſolitudine admittuntur cõtuleris, planè intelliges vę multo grauius copioſiusque ſocietatem, quam ſollitudinem promereri. Vt enim ſolitudo, ſiue ſit pectoris tantum, ſiue etiã corporis, ſi mala fuerit, vę ipſũ meretur: ita & mala ſocietas, & cumulatius quidem, quò peior

Quomodo melius eſt duos ſi mul eſſe, quam vnum.

Malam ſocietatem multo peiorem eſſe

peior eſſe aſſueuit. Non igitur illis ipſis, qui verè ſolitarij dicuntur, ipſum væ poſthac obijcere, ſed tibi tuiq́ue ſimilibus (qui ſoli eſtis) inculcare debes. Sed quomodo, inquies, ſoli ſumus, qui in ſocietate viuimus? Nempe quòd ſpiritali ſocietate viduati miſeram ſolitudinem colatis, Spiritali, inquam, ſocietate hoc eſt charitatis commercio carentes, ſoli eſtis, qui Chriſtum inhabitantem ac erigentem non habetis. Sed de his hactenus. Iam enim omnibus diligenter animaduerſis, ſatis liquet, authoritatem illam, ſiue literaliter, ſiue myſticè capiatur, nihil contra ſolitariam vitam conficere. Quapropter ad Doctorum authoritates tranſeamus. Ad quas breuiter dicimus. Doctores ipſos non voluiſſe ſolitariæ vitæ ſtatum abſolutè carpere, ſed dumtaxat ineptum, vel ſuſcipiendi, vel agendi modum reprobare, quod multipharíam oſtendi poteſt. In primis, non eſt veriſimile, tantos doctores ſuis ſcriptis pugnantes ſentẽtias inſeruiſſe, quod tamen, ſi ſolitariam vitam ab eis vſpiam reprehenſa legeretur, factum eſſet. Nam & Baſilius ſolitariam vitam diſſuaſit, & nihilominus ille ipſe libellum pulcherrimum de ſingularis vitæ cõmendatione edidit, ſi tamen titulus authorem non mentitur. Ergo, vt dicta eius cohæreant, putandum eſt, ſolitariam vitam non probaſſe, quæ ineptè ſuſcipitur. Hieronymus quoque & opere, & ſermone ſolitariam vitam apprimè cõmendauit. Ergegius enim ſolitarius fuit, qui & ſolitariam vitam ſuis ſcriptis fecit illuſtrem, è quibus quidem (vt ad propoſitum noſtrum proferamus quicquam) illud eſt, quod ad Ruſticum Gallum ſcripſit. Cùm enim conſuluiſſet, ne ſeculum deſerens, prima fronte ſolitudinem adiret,

mala ſolitud ne.

Male ſoclus qui.

ret protinus(ne ſolitariam vitam abſolutè carpere videretur) ſubiunxit: Quid igitur? Solitariam vitam reprehendimus? Minimè, quippè quam ſæpe laudauimus. Sed de ludo monaſteriorũ huiuſcemodi volumus egredi milites, quos heremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen conuerſationis ſuæ multo tempore dederint, qui omnium fuerunt minimi, vt primi omnium forent, quos nec eſuries aliquando, nec ſaturitas ſuperauit, qui paupertate lętantur: quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſt. Vides vt Hieronymus ipſe ſolitariam vitam debitè ſuſceptam non reprehendat, quam & ad Heliodorum ſcribens, ita planè cõmendat. O deſertum Chriſti vernans. O ſolitudo in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi Ciuitas magni Regis conſtruitur. O heremus familiarius Deo gaudens. Quid plura? Hieronymus ipſe ſolitarius, ſolitarios magno labore viſendo, & varijs quoque epiſtolis ad heremiticam vitam multos concitando, ſatis oſtẽdit eã ſe non reprobare, ſed multi facere, laudareq; plurimũ. Deniq; Bernardus ad fratres Mõtis Dei ſcribẽs, ſolitariã vitã multis extulit laudibus. Non igitur vel eius, vel aliorũ Doctorum fuit intentio, vitam abſolutè carpere ſingularẽ. Alioqui non alijs tantum Doctoribus, ſed ſibiipſis quoque diſſiderent, quod de tantis viris temerarium eſt ſentire. Sed hic forſan aliquis de grege garrularum obijciet, & dicet, nec opuſculum illud de laude ſolitariæ vitæ Baſilij eſſe: nec epiſtolam quoque ad fratres de Monte Dei à diuo Bernardo fuiſſe profectam. O cenſor literarum audi, quid literæ ipſæ tibi dicant: Quis te conſtituit iudicem ſuper nos? Audi,

Hieron. ſolitariam vitã commendat.

Bernardus ad fratres de Mõt. Dei.

Audi, inquam præſumptuoſum eſſe cornicum oculus configere, & quæ ſunt tot ſeculis hominum auribus inculcata, ſuperba quadam arrogantia citra cauſam mutare velle. Neque verè hæc dixerim, quòd contentioſè aſſeram, illa quæ dicta ſunt, opuſcula illis authoribus tribui debere, ſed vt temporis huius arguam vanitatem, qua concitati quidam libros corrumpunt, epiſtolas lacerant, titulos auferunt, &(quaſi cum ipſis authoribus nati fuiſſent) opera tribuunt, quibus placet, detrahunt, denegantque quando diſplicet, putantes ab ipſo ſtylo ſemper authorem indubiè cenſendum eſſe, cùm tamen bonus quandoque dormitet Homerus, & perſonarum qualitati quandoq; ſtylus deſeruire habeat, & denique arduæ materiæ ſi profundius diſcutiendæ ſint, ſæpenumerò ſtylum demittere cogant. Sed ad rem redeuntes dicamus (vtcunque ſe res habeat de illis opuſculis, quæ Baſilio & Bernardo tribuuntur) Hieronym. extra omnẽ controuerſiam ſæpenumero vitam ſolitariam cõmendaſſe, nec diſſuaſiſſe vnquã, niſi cùm ineptè ſuſcepta foret, quod & de alijs ſentiendum eſt. Quod alio pacto faciliter oſtendi poteſt. Enimuerò ſi diligenter eorum ſcripta legantur, planè videbitur ſolitariam vitam tunc diſſuaſã fuiſſe, quando ſuſcepta eſt, legitima probatione nondũ effecta, vtpotè quando ex ſeculari cõuerſatione (quæ paſſim aut vitioſa, aut imperfecta eſt) ſtatim itur ad heremum, ibique ſine præceptore ac duce viuitur, quod ſancti viri deteſtati ſunt, vtpote periculoſiſſimum interituiq; vicinum. Denique non eos latuit, ſolitariam vitã à ſacris literis probatiſque viris commendatam fuiſſe. Quamobrem non eſt putandum eos vel

literã

Luc. 12.

In arrogantes librorum corruptores & iudices.

Solitaria vita, quæ et quando à Doctoribus diſſuaſa.

literis ſanctis, vel Doctoribus alijs, qui ſolitariam vitam laudauerunt, aduerſari gratis voluiſſe. Itaque non ipſam ſolitariam vitam, ſed ineptum ſuſcipiendi agendique modum reprobârunt. Quibus animaduerſis, difficile non erit Philoſophorum authoritatibus reſpondere. Dicitur enim platoni, ſolitarios (ſi viuunt, vt decet) homines cæteros quam maximè iuuare, quemadmodum liquet ex Auguſtini dictis ſupra recitatis. Dicitur & Ariſtoteli, hominis naturam ſocietatis ac ſolitudinis ex ſe ancipitem eſſe. Idcirco eum, qui propter ineptitudinem ſæuitiamq; morum, ſolitudinem ferre non poſſit, beſtialē debere cenſeri. Enimuerò qui diuinæ contemplationis cauſa debitè ſolitudinem ſuſceperit, deum, hoc eſt, diuinum hominem eſſe. Dicitur quoque Ciceroni, ſocietatem non eſſe perfectā à natura, hoc eſt, ab exordio naturæ, quādo primus homo ſolus conditus eſt. Qua de re non eſt ſocietas homini ita naturalis, quin eam (ſaluo iure naturæ) deſerere queat, vt conditori naturæ plenius obſequi poſſit. Dicitur inſuper Senecæ, ſolitudinē vagam, ac ineptè occupatam mala oīa ſuggerere ſolere: ſed ſi ꝓ ratiōe actitata fuerit, & mala profligare omnia, & bona incredibilia cōferre. Deniq; dicitur Ouidio cæteriſq; id genus hominibus, ſolitudinē (præſertim extremā & aſſiduam) ab his eſſe cauendam qui adhuc paſſionibus grauiter agitantur, quibus necdum reluctari aſſueuerunt. Cauendam quoque eſſe ab his, qui adhuc & moribus leues, & vita incompoſiti ſunt. Talibus enim prorſus inepta eſt extrema ſolitudo. De perfectis autem ac probatis ſufficienter aliter ſentiendum eſt, quòd ſatis iam diximus. Eam ob rem ad rationes diſſoluendas acce-

A quibus cauenda ſolitudo, præſertim extrema.

Digitized by Google

accedamus. Ad primam igitur obiectionem, quę inprimis agit de triplicis ſimilitudinis defectu, dicimus primùm quò ad defectum ſimilitudinis Apoſtolicæ vitæ, ſolitariam vitam ſimilitudinem quandam habere ad vitam illa quam Apoſtoli poſt reſurrectionem dominicam tenuerunt. Quandoquidē interdum contēplationi, cùm ſibi per facultatem licebat, interdum verò actioni incumbebant, eaque de re mixtam vitam agentes, putantur tam ſolitariæ, quàm ſocialis vitæ exempla tribuiſſe. Quod autem expreſſiùs vitę cōmunis obſeruauere commertiū, hoc ideo factum creditur, vt & ſuo officio ſatisfacerent (quod ad prædicandum Euangelium, docendumque populum præcipuè inſtitutum erat) & etiam innuerent, eum, qui ſolitariam vitam obire deſiderat, primùm opotere in ſociali vita exerceri. Denique licet rudimenta quædam cuiuſlibet votiuæ religionis dederant, non tamen omnia; nec oportuit eos quemlibet probatum viuendi modum ipſo opere monſtrare. De ſimilitudine autem vitæ cœleſtis dicimus, vitam præſentis ſeculi in aliquibus conformem illi eſſe debere, in alijs autem vel non poſſe, vel non eſſe neceſſe. Debet enim vita præſens illam cœleſtem pro viribus referre, in ijs quæ iuſtitia flagitat, vtpotè Deum amando, laudando, venerando, ac benedictæ eius voluntati obſequendo. In ijs verò, quæ vel merita, vel virtutes, vel ſtatum vitæ impediunt aut ſecludunt, imitari vel non poteſt, vel nō debet, vtputa nullo labore fatigari, nullo dolore torqueri, nullo mortis metu affici, nullis demùm attingi incommodis: ſed e diuerſo in grauiſſima requie manere, lætiſſimam prorſus agere vitam, vultui

De ſimilitudine vitæ cœleſtis.

conditoris iugiter aſſiſtere, & demum inſeparabilis, ac ſine vlla diſſonantia iucundæ ſocietatis amœnitate, cæteriſque omnibus ſine fine potiri. In his enim vita hæc calamitoſa non poteſt illam beatam ęmulari vitam. At potiùs qui ad illã peruenire ſatagit, contraria ſectetur opus eſt, videlicet laborẽ, dolorẽ, triſtitiam, metũ, famẽ, ſitim, frigus, calorẽ, morbos, tentationes, tribulationes, & cætera huiuſmodi innumera, quæ in illa fœlici vita minimè reperiuntur. Quantũ verò ad commune conſortium, de quo maximè quæſtio eſt, dicimus, poſſibile non eſſe, conſortium illud iucundiſſimum pręſentẽ vitam prorſus ęmulari. At verò quantùm humanę imbecillitati per facultatẽ licet, putamus ſpiritale conſortium, quod per charitatis vnionem etiam inter abſentes efficitur, ſemper ſectandum eſſe. De corporali verò conſortio dicimus, ſuapte natura indifferens eſſe. Poteſt enim bene, poteſt & malè iniri. Verùm ſæpenumero noxiam putamus eſſe huiuſmodi ſocietatem, quòd exempla penè innumera docuerunt. Cõſultè igitur agũt, qui eam pro ratione fugiunt, ſpiritali commertio, ſolitudineque vitæ prorſus contenti. Quod cùm ſolitarij efficiant, nihil eſt quod in hac parte incuſari debeant, maximè cùm illi intendant vnitati, cui illa cœleſtis ſocietas inceſſanter vacat. Denique quò ad ſolitudinem vitæ ſupercæleſtis, qua ſolus Deus viuit: Reſpondemus primum in ipſa Diuinitate nec ſocietatem, nec ſolitudinem admitti ſolere: ea propter vitam illam nec ſocialem, nec ſolitariam eſſe, quemadmodum ſaltem vſitatè vocabula capiuntur. Nõ enim ibi ſocietas (vt in creaturis reperiri poteſt) cùm ibi tres perſonæ vnum ſint eſſentialiter, quod

Qua itur ad cæleſtem vitam.

De ſolitudine vitæ ſupercæleſtis.

quod rebus cæteris nunquam conuenire poteſt, nec Solitudo quoque à Sanctis ibi paſſim recipitur, ſicut nec diuerſitas. Sed cur ita? Nēpè quòd pro vſu Sanctorum, diuerſitas vnitatem naturæ tollere, & ſolitudo perſonarum excludere pluralitatem videatur: quæ duo pietas Chriſtiana prorſus abhorret. Quę licet vnum ſolum Deum fateatur, non tamen in tanta eum ſolitudine colit, vt conſortium omne ſecludat, cùm ibi ſit & relatiua diſtinctio, & inſeparabilium Trinitas perſonarum. Itaque ſolitudo, quæ pro vſu Sanctorum huiuſmodi tollit conſortium, ab illa ſumma trinitate reiecta eſt. Non igitur propriè loquendo more communi illa dictio (ſolus) Cathegorematicè ſumpta, ſcilicet pro ſolitario, Diuinis verè addi ſolet. Non, inquam, hoc modo ſumendo, ſunt huiuſmodi propoſitiones admittendæ, ſolus, id eſt, ſolitarius, pater eſt Deus, ſolus pater creat, ſolus filius gubernat, ſolus Spiritus ſanctus inſpirat. Alioqui conceditur (& ſanè) illa, ſolus Deus eſt, cui & dicitur, tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte. Deinde nihilominùs reſpondemus, vitam illam ſupercæleſtem ac ſummam ſanè intelligendo, & ſocialem, & ſolitariam dici poſſe. Singularem, inquam, ratione naturæ ſiue eſſentiæ, quæ penitus vna eſt. Socialem verò ratione ſuppoſitorum, quæ diſtincta quidem ſunt, ſed diuerſa ſubſtantialiter non ſunt. Vnum enim ſunt in eſſentia, quæ tribus illis communis eſt, quod in creaturis nullo modo poteſt inueniri. Quapropter vita illa ſuprema à vita creaturarū longiſſimè diſtat. Denique reſpondemus, ijs nō obſtantibus, humanam vitam, ſiue ſocialis, ſiue ſingularis ſit, illam ſupremam vitam imitari

Digitized by Google

ac participare. In hoc enim tota eius laus, tota gloria, totaque perfectio verſatur. Quibus animaduerſis, nihil contra ſolitariam vitam propterea conficitur, præſertim cum ſolitaria vita quæ contemplationi incumbit, propiùs accedat, puriùſque ac intimiùs participet illam ſupremam vitam, quam ſocialis. Ideoque maiori laude digna eſt, quandoquidem vita illa perfectior eſt, quæ plenius particeps eſt ipſius diuinæ ſupremæque vitæ. Sed iam ad aliam rationem, quæ de alijs defectibus agit accedentes, dicamus imprimis ſolitariam vitam ſincero fine ſuſcipi poſſe, quod in ſuperiorib⁹ ſatis oſtenſum eſt. Deinde dicamus, eam ſalubriter quoque agi poſſe, quod innumerabiles ſolitarij quōdam fecerunt. Denique dicamus eam, ſi agatur, vt par eſt, nec illis viduare bonis, nec conſequenter oppoſitis ſubiacere detrimentis, quæ inter arguendum adducta ſunt. Qui enim ſolitariam vitam ſuſcipiunt, aguntque vt decet, ſupponuntur ſufficientem vitæ perfectionem iam aſſecuti fuiſſe, eamque ob rem ſibi ſufficiunt in ijs, quæ ſuæ vitæ neceſſaria ſunt. Etenim ſuis neceſſitatibus per diſcretionem prouident, aut certè vbi humana induſtria non ſatis eſt, diuina eis prouidentia conſuluit, quod ſæpenumero feciſſe, memorię proditum eſt. Deinde quæ proximorum ſunt ſatis quærūt, quippe qui animaduertētes penè omnes alios curandis corporibus incūbere, de ipſarum ſalute animarum (quæ paſſim negligūtur (ſolliciti, precibus meritiſq; aſſiduis opem eis ferre non diſſimulant. Porrò in vitijs agnoſcendis parum laborant, quippe qui nulla admittere ſoleant, niſi venialia quædam quæ limpidiſſimis mentis oculis intuentes pijs fletibus

Quæ vita perfectiſſima ſit.

Diluitur obiectio de multis incōmodis ſolitariæ vitæ.

Digitized by Google

bus iugiter diluunt. Non igitur aliena vel reprę-henſione, vel admonitione indigét. Inſuper diuina mãdata diligentiùs obſeruãtes, & charitatẽ Dei ac proximi tota mente retinentes, ſe pulchra ſanaq; myſtici corporis mẽbra exhibẽt, cõmunem curant vtilitatem, & cœleſtia quoq; dona (quando opus eſt) percipiunt, vtpotè ſanitatũ gratiam, diſcretionem ſpirituum, myſteriorum reuelationem, prophetiæ munus, & cæteras quoq; virtutes ac dona, quæ vetuſti ſolitarij paſſim habuiſſe leguntur. Adhæc talentum ſibi creditũ optimè impertiuntur, quippe qui omnem tùm corporis tum mentis ſuppellectilem rebus cœleſtibus impendant, terrena deſpiciant, & de collatis ſibi bonis (quibus iugiter ad creatoris laudem vtuntur) perpetuas gratias agant. Adde ꝙ virtutibus abundantes mala omnia profligant, verſutas hoſtis (quas apprimè norunt) diuidant inſidias, tentamina rident, & omnes illius pompas, quibus incauti nonnulli quandoque ſalſi ſunt, fidei mucrone diſſipant. Denique participes omniũ, quæ à timentibus Deum bonorum fiunt, incredili iucunditate ſæpenumero afficiuntur, nec illas demùm patiuntur moleſtias, quę odorem vnguentorum diſperdere, atque in ſocietate ſępius & offendi, & offendere ſolent. Sed quid verbis opus? Eſtò ſolitaria vita debitè ſuſcepta formaliter non haberet illa, quæ in laudabili ſocietate reperiuntur, bona habet tamen ea vel eminenter, vel certè æquiualenter. Vacat enim vni, quod multis non ſolum comparatur, ſed etiam præfertur. Vacat, inquam, diuinę contemplationis ſublimitati, quæ omnem actionum energiam complectitur. Vacat denique charitatis perfectioni, quæ inſtar auri ſe habet. *Cui vacat ſolitarius.*

Gene. 2. tus ſiquidem fuit Adam, vt humanum genus ab eo per generationem profluerer, quod fieri non poterat, ſi ſolus manſiſſet, quandoquidem in generatione humana exigitur maris & fœminæ coniunctio. Cùm igitur maſculus iam procreatus fuiſſet, reliquum erat, vt ad liberos gignendos fœmina quoq; fieret, quæ in adiutorium propagationis viro ſociaretur. Ibi ergo de ſolitudine cœlibali (quæ generis humani non intendit incremento) agitur, non autem de ſolitudine locali, qua ſe quiſpiam ab humano cõſortio ſegregat, vt aptiùs poſſit bonis operibus incumbere. Quibus animaduerſis, nihil ex eo loco trahi poſſe videtur, quod ſolitarię vitæ ſiue extrema, ſiue non extrema ſit, officiat, Imò verò, ſi conſideres Adam ſolùm in primis creatum, & deinde conſortiũ ſibi datum fuiſſe, mox intelliges, naturam hominis ad ſocietatẽ, & ſolitudinem de ſe ancipitem eſſe, quod & ſapientes profitentur. Ad alteram verò authoritatem ab Eccleſiaſte deſumptam reſpondentes fatemur, partim de laude ſocietatis, partim verò de cuiuſdam ſolitudinis vituperio agere, ſed non ita generatim ac ineptè, vt multi ſentiunt, qui generaliter in ſuggillationem vitæ ſolitariæ illud allegant, *væ ſoli,* quod & ſemper in ore habent. Si enim vniuerſaliter, pro iſtorũ opinione, laudanda eſſet ſocietas, & è diuerſo reprobanda ſolitudo, ergo ſocietas furum, prædonũ, pyratarum, conſpiratorum, aliorumq; id genus peruerſorum hominum, laudanda erit? Si generaliter improbanda ſolitudo, igitur anachoretarum, ſanctorumque Patrum vita (quæ ſolitaria fuit) omninò vituperabilis apparebit? Cauendumque poſtmodùm erit, ne ſolus quis

De qua ſolitudine loquitur Geneſis.

Eccle. 4.

quis dormiat, ſol' vigilet, ſol' domi habitet, ſolus foras proficiſcatur, ſolus edat, ſolus quicquā operis efficiat. Et (vt de ſpiritalib' agatur) magna cautio adhibēda erit, ne ſolus orationi det operā, ne ſolus lectioni ſtudioq; incumbat, ne ſolus peccata defleat, ne ſolus contemplationi vacet, ne demum ſolus quæ ſuæ ſalutis ſunt cogitet. Ad hæc igitur, aliaq; omnia ſocietate opus erit. Sed quis hoc ferat? quis non rideat? quis hæc abſurdiſſima non paruipendat? Itaq; veram interpretationem afferre molientes, agamus primùm quid de ſocietate, deinde q̄d de ſolitudine hoc loco ſapiens dicere voluerit. Enimuerò cum duplex ſit ſocietas, vna quidem abſolutè bona, quę charitatis vinculo vnita eſt, quæ interdum animorum eſt duntaxat, eaq; de re inter abſentes ac ſolitarios inueniri poteſt, interdum verò etiam corporum, quę cum animis vniuntur, altera verò mala, quæ alicuius patrandi ſceleris gratia initur: palam eſt Sapientem ipſum malam ſocietatem laudare non voluiſſe, ſed bonam tantùm, quam & ex quatuor emolumentis commendauit, ſcilicet ex fulcimento contra caſum, ex ſubleuatione à ruina iam facta, ex fomenti adhibitione contra frigus aliaque detrimenta, & demum ex adiumento contra hoſtium impugnationem, quæ ſi ſpiritaliter accipiantur, magnæ patebunt laudabilis ſocietatis commoditates. Non igitur ſocietatem vniuerſaliter Sapiens ipſe probauit, ſed bonam duntaxat. De ſolitudine autem, quæ ſocietati aduerſa eſt, Sapiens ipſe oppoſitum fecit. Laudando enim ſocietatem, vituperauit ſolitudinem cùm dixit: *Væ ſoli*, non quidem vniuerſaliter, ſed eam ſolùm, quæ mala eſt, hoc eſt, quæ ſuſcipitur, agi-

Duplex ſocietas.

agiturque perperam. Quinimò ſi ſeriem literæ, eiusque interpretes aſpexeris, plane videbis, eũ non carpſiſſe omnem malam ſolitudinem generaliter, ſed peculiariter quorundam auarorum ſingularitatem, qui pro tẽporalibus bonis quo iure, quaque iniuria comparandis, ſe iugiter atque inaniter conficiunt, nec tamen honeſtè bonis vtuntur congregatis, nec alijs quoque impertiũtur, ſed ſuum panem (vt vulgò dicitur) in ſinu comedunt, & ſocietates amicitiasque refugiunt, ne impenſas facere impellantur. Denique bona caſſo labore quęſita, tenaciter referuant, cùm tamen nec filium, nec fratrem habeãt. Hęc eſt auara ſolitudo, peſſimaque afflictio, quam non iniuria Sapiens ipſe ſugillat, concludens ac dicens meliorem eſſe communionis fraternæ ſocietatem ac communitatem, quàm illius auaræ ſolitudinis ſingularitatem. Denique ſi generalius extenderetur illud Sapientis dictum, intelligendum eſſet, melius duos eſſe ſimul, quã vnum, ijs quibus alieno auxilio opus eſt: non autem his, qui non egent, quales ſunt hi qui perfectionem aſſecuti ſunt. Ex quibus omnibus liquet, nihil contra ſolitariam vitam debitè aſſumptam, confici poſſe. Sed dicas, ſaltem eſt aliqua ſolitudo, de qua Væ ipſum rectè dici poteſt. Dicam & tibi aliquam eſſe ſocietatem, cui & væ itidem dici valet. Quinetiam ſi mala omnia, quę in ſocietate fieri ſolent, ad ea quæ in ſolitudine admittuntur cõtuleris, planè intelliges vę multo grauius copioſiusque ſocietatem, quam ſollitudinem promereri. Vt enim ſolitudo, ſiue ſit pectoris tantum, ſiue etiã corporis, ſi mala fuerit, vę ipſũ meretur: ita & mala ſocietas, & cumulatius quidem, quò peior

Quomodo melius eſt duos ſimul eſſe, quam vnum.

Malam ſocietatem multo peiorem eſſe

peior eſſe aſſueuit. Non igitur illis ipſis, qui verè ſolitarij dicuntur, ipſum væ poſthac obijcere, ſed tibi tuique ſimilibus (qui ſoli eſtis) inculcare debes. Sed quomodo, inquies, ſoli ſumus, qui in ſocietate viuimus? Nempe quòd ſpiritali ſocietate viduati miſeram ſolitudinem colatis, Spiritali, inquam, ſocietate hoc eſt charitatis commercio carentes, ſoli eſtis, qui Chriſtum inhabitantem ac erigentem non habetis. Sed de his hactenus. Iam enim omnibus diligenter animaduerſis, ſatis liquet, authoritatem illam, ſiue literaliter, ſiue myſticè capiatur, nihil contra ſolitariam vitam conficere. Quapropter ad Doctorum authoritates tranſeamus. Ad quas breuiter dicimus. Doctores ipſos non voluiſſe ſolitariæ vitæ ſtatum abſolutè carpere, ſed dumtaxat ineptum, vel ſuſcipiendi, vel agendi modum reprobare, quod multipharian oſtendi poteſt. In primis, non eſt veriſimile, tantos doctores ſuis ſcriptis pugnantes ſententias inſeruiſſe, quod tamen, ſi ſolitariam vitam ab eis vſpiam reprehenſa legeretur, factum eſſet. Nam & Baſilius ſolitariam vitam diſſuaſit, & nihilominus ille ipſe libellum pulcherrimum de ſingularis vitæ cõmendatione edidit, ſi tamen titulus authorem non mentitur. Ergo, vt dicta eius cohæreant, putandum eſt, ſolitariam vitam non probaſſe, quæ ineptè ſuſcipitur. Hieronymus quoque & opere, & ſermone ſolitariam vitam apprimè cõmendauit. Egregius enim ſolitarius fuit, qui & ſolitariam vitam ſuis ſcriptis fecit illuſtrem, è quibus quidem (vt ad propoſitum noſtrum proferamus quicquam) illud eſt, quod ad Ruſticum Gallum ſcripſit. Cùm enim conſuluiſſet, ne ſeculum deſerens, prima fronte ſolitudinem adiret,

Mala ſolitud ne.

Male ſoctus quis.

ret protinus(ne ſolitariam vitam abſolutè carpere videretur) ſubiunxit: Quid igitur? Solitariam vitam reprehendimus? Minimè, quippè quam ſæpe laudauimus. Sed de ludo monaſteriorũ huiuſcemodi volumus egredi milites, quos heremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen conuerſationis ſuæ multo tempore dederint, qui omnium fuerunt minimi, vt primi omnium forent, quos nec eſuries aliquando, nec ſaturitas ſuperauit, qui paupertate lętantur: quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſt. Vides vt Hieronymus ipſe ſolitariam vitam debitè ſuſceptam non reprehendat, quam & ad Heliodorum ſcribens, ita planè cõmendat. O deſertum Chriſti vernans. O ſolitudo in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi Ciuitas magni Regis conſtruitur. O heremus familiarius Deo gaudens. Quid plura? Hieronymus ipſe ſolitarius, ſolitarios magno labore viſendo, & varijs quoque epiſtolis ad heremiticam vitam multos concitando, ſatis oſtẽdit eã ſe non reprobare, ſed multi facere, laudareq; plurimũ. Deniq; Bernardus ad fratres Mõtis Dei ſcribẽs, ſolitariã vitã multis extulit laudibus. Non igitur vel eius, vel aliorũ Doctorum fuit intentio, vitam abſolutè carpere ſingularẽ. Alioqui non alijs tantum Doctoribus, ſed ſibiipſis quoque diſſiderent, quod de tantis viris temerarium eſt ſentire. Sed hic forſan aliquis de grege garrularum obijciet, & dicet, nec opuſculum illud de laude ſolitariæ vitæ Baſilij eſſe: nec epiſtolam quoque ad fratres de Monte Dei à diuo Bernardo fuiſſe profectam. O cenſor literarum audi, quid literæ ipſæ tibi dicant: Quis te conſtituit iudicem ſuper nos? Audi,

Hieron. ſolitariam vitã commendat.

Bernardus ad fratres de Mõt. Dei.

Audi, inquam præſumptuoſum eſſe cornicum oculus configere, & quæ ſunt tot ſeculis hominum auribus inculcata, ſuperba quadam arrogantia citra cauſam mutare velle. Neque verò hæc dixerim, quòd contentioſè aſſeram, illa quæ dicta ſunt, opuſcula illis authoribus tribui debere, ſed vt temporis huius arguam vanitatem, qua concitati quidam libros corrumpunt, epiſtolas lacerant, titulos auferunt, & (quaſi cum ipſis authoribus nati fuiſſent) opera tribuunt, quibus placet, detrahunt, denegantque quando diſplicet, putantes ab ipſo ſtylo ſemper authorem indubiè cenſendum eſſe, cùm tamen bonus quandoque dormitet Homerus, & perſonarum qualitati quandoq; ſtylus deſeruire habeat, & denique arduæ materiæ ſi profundius diſcutiendæ ſint, ſæpenumerò ſtylum demittere cogant. Sed ad rem redeuntes dicamus (vtcunque ſe res habeat de illis opuſculis, quæ Baſilio & Bernardo tribuuntur) Hieronym. extra omnẽ controuerſiam ſæpenumero vitam ſolitariam cõmendaſſe, nec diſſuaſiſſe vnquã, niſi cùm ineptè ſuſcepta foret, quod & de alijs ſentiendum eſt. Quod alio pacto faciliter oſtendi poteſt. Enimuerò ſi diligenter eorum ſcripta legantur, planè videbitur ſolitariam vitam tunc diſſuaſã fuiſſe, quando ſuſcepta eſt, legitima probatione nondũ effecta, vtpotè quando ex ſeculari cõuerſatione (quæ paſſim aut vitioſa, aut imperfecta eſt) ſtatim itur ad heremum, ibique ſine præceptore ac duce viuitur, quod ſancti viri deteſtati ſunt, vtpote periculoſiſſimum interituiq; vicinum. Denique non eos latuit, ſolitariam vitã à ſacris literis probatiſque viris commendatam fuiſſe. Quamobrem non eſt putandum eos vel literis

Luc. 12.

In arrogantes librorum corruptores & iudices.

Solitaria vita, quã et quando à Doctoribus diſſuaſa.

literis ſanctis, vel Doctoribus alijs, qui ſolitariam vitam laudauerunt, aduerſari gratis voluiſſe. Itaque non ipſam ſolitariam vitam, ſed ineptum ſuſcipiendi agendique modum reprobârunt. Quibus animaduerſis, difficile non erit Philoſophorum authoritatibus reſpondere. Dicitur enim platoni, ſolitarios (ſi viuunt, vt decet) homines cæteros quam maximè iuuare, quemadmodum liquet ex Auguſtini dictis ſupra recitatis. Dicitur & Ariſtoteli, hominis naturam ſocietatis ac ſolitudinis ex ſe ancipitem eſſe. Idcirco eum, qui propter ineptitudinem ſæuitiamq; morum, ſolitudinem ferre non poſſit, beſtialē debere cenſeri. Enimuerò qui diuinæ contemplationis cauſa debitè ſolitudinem ſuſceperit, deum, hoc eſt, diuinum hominem eſſe. Dicitur quoque Ciceroni, ſocietatem non eſſe perfectā à natura, hoc eſt, ab exordio naturæ, quādo primus homo ſolus conditus eſt. Qua de re non eſt ſocietas homini ita naturalis, quin eam (ſaluo iure naturæ) deſerere queat, vt conditori naturæ plenius obſequi poſſit. Dicitur inſuper Senecæ, ſolitudinē vagam, ac ineptè occupatam mala oīa ſuggerere ſolere: ſed ſi ꝓ ratiōe actitata fuerit, & mala profligare omnia, & bona incredibilia cōferre. Deniq; dicitur Ouidio cæteriſq; id genus hominibus, ſolitudinē (præſertim extremā & aſſiduam) ab his eſſe cauendam qui adhuc paſſionibus grauiter agitantur, quibus necdum reluctari aſſueuerunt. Cauendam quoque eſſe ab his, qui adhuc & moribus leues, & vita incompoſiti ſunt. Talibus enim prorſus inepta eſt extrema ſolitudo De perfectis autem ac probatis ſufficienter aliter ſentiendum eſt, quòd ſatis iam diximus. Eam ob rem ad rationes diſſoluendas acce-

A quibus cauenda ſolitudo, præſertim extrema.

accedamus. Ad primam igitur obiectionem, quę inprimis agit de triplicis ſimilitudinis defectu, dicimus primùm quò ad defectum ſimilitudinis Apoſtolicæ vitæ, ſolitariam vitam ſimilitudinem quandam habere ad vitam illa quam Apoſtoli poſt reſurrectionem dominicam tenuerunt. Quandoquidē interdum contēplationi, cùm ſibi per facultatem licebat, interdum verò actioni incumbebant, eaque de re mixtam vitam agentes, putantur tam ſolitariæ, quàm ſocialis vitæ exempla tribuiſſe. Quod autem expreſſiùs vitę cōmunis obſeruauere commertiū, hoc ideo factum creditur, vt & ſuo officio ſatisfacerent (quod ad prædicandum Euangelium, docendumque populum præcipuè inſtitutum erat) & etiam innuerent, eum, qui ſolitariam vitam obire deſiderat, primùm opotere in ſociali vita exerceri. Denique licet rudimenta quædam cuiuſlibet votiuæ religionis dederant, non tamen omnia; nec oportuit eos quemlibet probatum viuendi modum ipſo opere monſtrare. De ſimilitudine autem vitæ cœleſtis dicimus, vitam præſentis ſeculi in aliquibus conformem illi eſſe debere, in alijs autem vel non poſſe, vel non eſſe neceſſe. Debet enim vita præſens illam cœleſtem pro viribus referre, in ijs quæ iuſtitia flagitat, vtpotè Deum amando, laudando, venerando, ac benedictæ eius voluntati obſequendo. In ijs verò, quæ vel merita, vel virtutes, vel ſtatum vitæ impediunt aut ſecludunt, imitari vel non poteſt, vel nō debet, vtputa nullo labore fatigari, nullo dolore torqueri, nullo mortis metu affici, nullis demùm attingi incommodis: ſed ediuerſo in grauiſſima requie manere, lætiſſimam prorſus agere vitam, vultui

De ſimilitudine vitæ cœleſtis.

conditoris iugiter aſſiſtere, & demum inſeparabilis, ac ſine vlla diſſonantia iucundæ ſocietatis amœnitate, cæteriſque omnibus ſine fine potiri. In his enim vita hæc calamitoſa non poteſt illam beatam ęmulari vitam. At potiùs qui ad illā peruenire ſatagit, contraria ſectetur opus eſt, videlicet laborē, dolorē, triſtitiam, metū, famē, ſitim, frigus, calorē, morbos, tentationes, tribulationes, & cætera huiuſmodi innumera, quæ in illa fœlici vita minimè reperiuntur. Quantū verò ad commune conſortium, de quo maximè quæſtio eſt, dicimus, poſſibile non eſſe, conſortium illud iucundiſſimum pręſentē vitam prorſus ęmulari. At verò quantùm humanę imbecillitati per facultatē licet, putamus ſpiritale conſortium, quod per charitatis vnionem etiam inter abſentes efficitur, ſemper ſectandum eſſe. De corporali verò conſortio dicimus, ſuapte natura indifferens eſſe. Poteſt enim bene, poteſt & malè iniri. Verùm ſæpenumero noxiam putamus eſſe huiuſmodi ſocietatem, quòd exempla penè innumera docuerunt. Cōſultè igitur agūt, qui eam pro ratione fugiunt, ſpiritali commertio, ſolitudineque vitæ prorſus contenti. Quod cùm ſolitarij efficiant, nihil eſt quod in hac parte incuſari debeant, maximè cùm illi intendant vnitati, cui illa cœleſtis ſocietas inceſſanter vacat. Denique quò ad ſolitudinem vitæ ſupercæleſtis, qua ſolus Deus viuit: Reſpondemus primum in ipſa Diuinitate nec ſocietatem, nec ſolitudinem admitti ſolere: ea propter vitam illam nec ſocialem, nec ſolitariam eſſe, quemadmodum ſaltem vſitatè vocabula capiuntur. Nō enim ibi ſocietas (vt in creaturis reperiri poteſt) cùm ibi tres perſonæ vnum ſint eſſentialiter, quod

Qua itur ad cæleſtem vitam.

De ſolitudine vitæ ſupercæleſtis.

quod rebus cæteris nunquam conuenire poteſt, nec Solitudo quoque à Sanctis ibi paſſim recipitur, ſicut nec diuerſitas. Sed cur ita? Nēpè quòd pro vſu Sanctorum, diuerſitas vnitatem naturæ tollere, & ſolitudo perſonarum excludere pluralitatem videatur: quæ duo pietas Chriſtiana prorſus abhorret. Quę licet vnum ſolum Deum fateatur, non tamen in tanta eum ſolitudine colit, vt conſortium omne ſecludat, cùm ibi ſit & relatiua diſtinctio, & inſeparabilium Trinitas perſonarum. Itaque ſolitudo, quæ pro vſu Sanctorum huiuſmodi tollit conſortium, ab illa ſumma trinitate reiecta eſt. Non igitur propriè loquendo more communi illa dictio (ſolus) Cathegorematicè ſumpta, ſcilicet pro ſolitario, Diuinis verè addi ſolet. Non, inquam, hoc modo ſumendo, ſunt huiuſmodi propoſitiones admittendæ, ſolus, id eſt, ſolitarius, pater eſt Deus, ſolus pater creat, ſolus filius gubernat, ſolus Spiritus ſanctus inſpirat. Alioqui conceditur (& ſanè) illa, ſolus Deus eſt, cui & dicitur, tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte. Deinde nihilominùs reſpondemus, vitam illam ſupercæleſtem ac ſummam ſanè intelligendo, & ſocialem, & ſolitariam dici poſſe. Singularem, inquam, ratione naturæ ſiue eſſentiæ, quæ penitus vna eſt. Socialem verò ratione ſuppoſitorum, quæ diſtincta quidem ſunt, ſed diuerſa ſubſtantialiter non ſunt. Vnum enim ſunt in eſſentia, quæ tribus illis communis eſt, quod in creaturis nullo modo poteſt inueniri. Quapropter vita illa ſuprema à vita creaturarū longiſſimè diſtat. Denique reſpondemus, ijs nō obſtantibus, humanam vitam, ſiue ſocialis, ſiue ſingularis ſit, illam ſupremam vitam imitari

bus iugiter diluunt. Non igitur aliena vel reprę-henſione, vel admonitione indigẽt. Inſuper diuina mãdata diligentiùs obſeruãtes, & charitatẽ Dei ac proximi tota mente retinentes, ſe pulchra ſanaq; myſtici corporis mẽbra exhibẽt, cõmunem curant vtilitatem, & cœleſtia quoq; dona (quando opus eſt) percipiunt, vtpotè ſanitatũ gratiam, diſcretionem ſpirituum, myſteriorum reuelationem, prophetiæ munus, & cæteràs quoq; virtutes ac dona, quæ vetuſti ſolitarij paſſim habuiſſe leguntur. Adhæc talentum ſibi creditũ optimè impertiuntur, quippe qui omnem tùm corporis tum mentis ſuppellectilem rebus cœleſtibus impendant, terrena deſpiciant, & de collatis ſibi bonis (quibus iugiter ad creatoris laudem vtuntur) perpetuas gratias agant. Adde ꝙ virtutibus abundantes mala omnia profligant, verſutas hoſtis (quas apprimè norunt) diuidant inſidias, tentamina rident, & omnes illius pompas, quibus incauti nonnulli quandoque falſi ſunt, fidei mucrone diſſipant. Denique participes omniũ, quæ à timentibus Deum bonorum fiunt, incredili iucunditate ſæpenumero afficiuntur, nec illas demùm patiuntur moleſtias, quę odorem vnguentorum diſperdere, atque in ſocietate ſępius & offendi, & offendere ſolent. Sed quid verbis opus? Eſtò ſolitaria vita debitè ſuſcepta formaliter non haberet illa, quæ in laudabili ſocietate reperiuntur, bona habet tamen ea vel eminenter, vel certè æquiualenter. Vacat enim vni, quod multis non ſolum comparatur, ſed etiam præfertur. Vacat, inquam, diuinę contemplationis ſublimitati, quæ omnem actionum energiam complectitur. Vacat denique charitatis perfectioni, quæ inſtar auri ſe habet.

Cui vacat ſolitarius.

Vt enim aurum cætera metalla, ita & charitas omnes alias ſuperat virtutes. Quemadmodum igitur mentis inops ille putatur, qui taxat eum, qui ingentem auri copiam habens, cætera metalla non habet, ita & ille ſatis compos credendus non eſt, qui ſolitarios inſimulat, qui tamen & aurum charitatis copioſiſſimum, & pretioſiſſimas contemplationum gemmas habent. Sed de his iam ſatis.

Ad ſecundam obiectionem principalem, quę agit de multiplici exceſſu, dicimus inprimis quò ad vitia, ſolitariam vitã, ſi debitè ſuſcipiatur, vitijs (ſal: ē lætalibus) obnoxiam paſſim non eſſe. Quantùm verò ad tentationes & pericula, fatemur, ea nonnunquã in heremis eſſe, ſed nõ tanta, quanta ſolet in humana conuerſatione reperiri. Adde quòd hæc omnia diligentes ſolitarij, diuino munere præditi ſalubriter euadũt, hoſtibus non cedunt, & denique contra pericula omnia ſe magna accuratione muniunt. Quòd igitur D. Hieronymus aſſerit in ſolitudine ſuperbiam ſurrepere, & alia quoque vitia ſuboriri ſolere, intelligendum prorſus de ijs, qui vel ineptè ſolitudinẽ adeunt, vel in cœpto propoſito diligenter non perſeuerant, quod profectò in omni ſtatu, gradu, & conditione inuenire eſt. Ea propter nõ magis à te vituperanda eſt ſolitaria vita, quàm ſocialis. Non, inquam, vituperanda eſt ſolitudo, ſed qui in ſolitudine perperam verſantur, quorum nonnulli (ſed aliorum quidẽ comparatione, pauci) leguntur infœlices exitus habuiſſe. Sed cur ita? Nempe quòd vel intempeſtiuè ſolitudinem petierunt, vel coluerunt negligentius, vel indiſcretè ſe habuerunt, vel demum de ſe præſumentes, alienaque conſilia aut faſtidien-

De quib⁹ ſolitarijs loquitur Hieron.

dientes, aut non ſatis curantes, iuſto Dei iudicio in multa detrimenta & mentis & corporis inciderunt. Vnde, obſecro, ſolitarijs nonnullis contigit mentis alienatio, quæ interdum prorſus amentes, nonnunquam verò ſemiſtultos reddidit, niſi ab indiſcretione latentique ſuperbia, qua nec ſenioribus, nec expertis aſſentire voluerunt? De alijs verò, qui rationis vſum habentes malè profecerunt, vitijsque multis ſe contaminantes, duros ſæpenumerò ſolitudinis labores perdidêre, nihil referre opus eſt, exemplorum plena ſunt omnia. Sed nec expedit quidem de miſeris noſtri temporis moribus quicquam afferre, præſertim cùm eò inſaniæ res deducta ſit, vt plærique generalem de vitijs diſputationem, in ſuam referant contumeliam: quicquid vel generatim dixeris, vel ſcripſeris, in ſuggillationem ſui factum eſſe putant, eaque de re turbantur non leuiter, grauiter ſtomachātur, & monitorem ipſum peroſi, nonnunquã reipſa, frequentiſſimè verò tabifica lingua perſequũtur. Deniq; ſua commotione, quales intus ſint, ſatis indicant. Itaque miſeriæ huius rationem habentes, interim diſſimulamus, maximè cùm noſter Oblocutor multa deprompſerit, quæ (prô dolor) à veritate non abhorrent. Nihilominus tamen concludamus, ſolitariam vitam ſuaptè natura, nec malam, nec vituperabilem eſſe, ſed eos planè vituperijs multis eſſe onerãdos, qui in tam alto, nobiliq; ſtatu demiſsè nimis ac turpiter ſe gerunt. Iam verò tertiæ obiectioni principali reſpõdere pergamus, ſupponentes (quod ſuprà diximus) ſolitudinem tribus aptis modis ſuſcipi poſſe. Primò quidem facta inprimis ſufficiẽti probatione in monaſterij ludo, *Tribus modis ſo-*

…ſtem ludo, qui modus olim vſitatiſſimus, & à Sanctis
…ſuſci- quoque paſſim ſuaſus ac probatus fuit. Deinde
pi poſſe. ſuſcipi poteſt experimento prius facto ſub alicuius probati ſenioris magiſterio, vbi monaſterij non ſuppetit diſciplina, quod ſatis etiam in principio frequens fuit apud antiquos anachoretas. Nam & multos Antonius diſcipulos habuit, qui ex ſeculari conuerſatione ad eum ſe contulerant, & Antonij quoque diſcipuli poſtmodùm ſeculares ad ſe confugientes admiſerũt, docueruntq; diligenter, quod ſatis inſtructi forent quo ad ſingulare certamen cum hoſte verſuto conſerendum. Denique alio modo, ſcilicet peculiari Spiritusſancti inſpiratione aptè ſolitariam vitam interdum ſuſcipi poſſe, quorundam exempla docuerunt. Sed quoniam pauciſſimi fuêre, qui hoc ſpeciali munere (quod paſſim cognoſci non poteſt) donati ſunt, eam ob rem in exemplum trahi nō debet. His ſuppoſitis, à calce incipientes, reſpondeamus, eorum, qui ex ſeculari conuerſatione ſolitudinem (præſertim extremam) nulla facta probatione aggrediuntur, ſuſpectum eſſe negotium. Si dixerint, ſe peculiari afflatu inſtigatos deſerta petere, ipſi viderint. Enimuerò ſi nos audire voluerint, hor-
1. Ioã. 4. tabimur probandum eſſe ſpiritum, an ex Deo ſit. Afferemus quoque pericula quæ obtingere ſolent ijs, qui ante legitimam probationem heremos adeũt, addentes multos fuiſſe hoc modo deluſos. Denique ante oculos ponemus altitudinem vitę, quàm ſuſcipere non trepidant. Quibus ſi aſſentire noluerint, ſed pergere in cœpto decreuerint, pergant. Noſtro enim officio functi ſumus: poteſt autem fieri, vt res benè habeat, poteſt fieri etiam vt malè. Expectandus, ante-

quam

quam iudicetur negotiũ ipſum, finis erit, quandoquidẽ à quo ſpiritu ducti ſunt huiuſcemodi, non exordium, ſed progreſſus, aut certè exitus probabit. Sed hos qui rariſſimi fuerint miſſos facientes, dicamus ſecundum ſuſcipiendi modũ longè tutiorem eſſe, ſi tamen probati huius diſciplinæ magiſtri poſſent hac tẽpeſtate, vt olim, reperiri. Non enim conſultum eſt quibuſdam noſtri temporis barbatis ſe committere, quippe qui nec in re ſolitaria quicquam capiunt, & antè magiſtri eſſe cœperunt, quam diſcipuli. Hos igitur fugiendos tanquam peſtem quandam teterrimam (quod iam ſuprà diximus) potius cenſemus. Si tamen Sanctus atque probatus quiſpiam inueniretur, poſſet ſolitaria vita ſub eius magiſterio probanda ſuſcipi, & poſtmodùm ſine vllo conſortio agi. Sed iam alium modum (qui primo loco poſitus, & cæteris ſecurior atque; vſitator dictus eſt) proſequamur, dicentes, ſi fœlicitatem tantam haberent noſtra tempora, quantam illa vetuſta (quibus anachoreticum decus florebat) habuëre, eos putaremus in ſolitudinem etiam extremã admittendos, qui ſufficienter in monaſterio probati ad tantæ vitæ culmen digni aptique viderentur, hoc eſt, qui iam perfectionẽ aſſecuti forent: debet enim & ſibi ipſi per ſe ſufficiens eſſe, & perfectionem quoque habere, qui omninò ſolitarius viuere cupit. Alioqui præuaricatur. Debet itaque pro conſuetudine exercitatos habere ſenſus ad diſcretionem boni & mali, ne ſcilicet noxijs pateat erroribus. Debet, inquam, poſſe quæ contemplanda, quæ agẽda, quæ vitanda, quæ demùm pro illius propoſiti tenore obſeruanda ſint. Debet quoque multum feciſſe periculum in diſtortis affectionibus

Qualis debeat eſſe, qui ſolitarius eſſe cupit.

reprimendis, profligandiſque tentationibus, fame toleranda, perferenda nuditate, ſectandis vitæ illius aſperitatibus, & demùm alijs id genûs obſeruandis, quæ Hieronymus, Caſſianus, Benedictus, alijq; probatiſſimi Patres de anachoretis loquentes tradiderunt. Sed dices: Nulli hoc tempore ſinũtur monaſticis clauſtris egredi ad anachoreticam vitam agendam. Fatemur, illud propter pericula multa, quæ ob facilem diſceſſum à clauſtris quondam obtigêre, à multis iam ſeculis non fuiſſe permiſſum, eaque de re multis de cauſis, quas dicturi ſumus, ſolitariã vitam (prorſus extremam) paulatim à rebus humanis exulaſſe, adeò quidem, vt vix vlla eius veſtigia poſſint vſpiam inueniri. Nihilominus diuina clementia humanæ conſulens vtilitati, aliam ſolitariæ vitæ ſpeciem, honeſtiorem quidem ac ſecuriorem, ſcilicet Cartuſianam, ſuſcitauit, quę non ſolùm doctos atque perfectos ſuſciperet, ſed etiam alios, qui bonam gerẽtes voluntatem, ad id negotij videntur opportuni. De his autem vberiùs perſequi certum non eſt, quòd hac temporum fœce non ſint, qui extremæ anachoreſis veſtigia ſectentur vt decet. Ea propter ad quartam obiectionem principalem accedamus, dicentes, ſolitariam vitam multum ſemper humano generi profuiſſe (quod Sancti Auguſtini authoritate comprobauimus) nec vlli prorſus iniuriam eſſe. Quòd ſi parentes propter liberorum diſceſſum ſe mœrore conficiant, ipſi viderint. Deberent equidem multo propterea affici gaudio, immenſaſque agere gratias, quòd tali prole donati ſunt. Sunt hæc anilia dimittamus. Quantum autẽ hoc tempore proſit ea, quæ remanſit ſolitaria vita, dicetur pleniſſimè, cum

de Car-

de Cartuſianæ vitæ commoditate agetur. Interim obſecro, ſi vita ſolitaria debitè ſuſcepta, nec ſuperis grata, nec mortalib' fructuoſa foret, qua ratione Dominus ſacris in literis ſolitariũ commendaſſet, beatiſſimum Iob hoc modo alloquens: *Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cur dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis? Contemnit multitudinem ciuitatis, & clamorem exactoris non audit: circunſpicit montes paſcua ſua, & virentia quæque perquirit.* Qua, inquam, ratione fuiſſet myſticus onager, id eſt, ſolitarius tantiſper à Deo commendatus, ſi vita ſolitaria nec laudabilis, nec vtilis eſſet? Commendatus ſiquidem eſt ſolitarius illis in verbis, quòd ſit à ſecularium negotiorum turbine liber, cuius & vincula ſoluuntur, quando carnalium deſideriorum atque infirmarum cogitationum nodi diſſipantur. Commendatus, inquam, quòd cum ſolitudine corporis, ſolitudinem quoque mentis habeat. Turba etenim deſideriorum terrenorum profligata, intimo cordis potitur ſilentio. Et vitæ quoque huius tabernaculis degens, cœleſtis patriæ ſitibundo deſiderio ſuccẽditur. Commendatur etiam, quòd humanæ cõuerſationis commertia, ſtudiaq; praua deuitet, & exactoris quoque, dœmonis ſemper mala ſuggerentis, violentos tentationũ motus non admittat. Non admittat, inquam, exactoris ventris, quotidie debitũ quoddam exigentis, deſideria flagitioſa. Commendatur denique, quòd altis contemplationibus (quibus ſuauiter paſcitur) intentus, æterna quæ nunquàm marceſcunt) bona deſiderando requirat. Quòd igitur ita ſit diuinitùs commendatus, magna patet ſolitariæ vitæ & dignitas, Iob. 39.
& vti-

Oſeæ 2. & vtilitas. Adde quòd idem Dominus Oſeę Secundo, de anima, quæ diuinæ contemplationi vacare deſiderat, ita inquit: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Hæc putas à Domino dicerētur, niſi ſolitaria vita & ei grata, & apprimè laudanda foret? Non profectò. Sed de his ſatis. Ad vltimam obiectionē multas in ſolitariam vitam oblatrationes complectentem, quæ paſſim à plerisque ſecularibus leuiter depromuntur: Reſpondemus, vitam ſolitariam nō eſſe imprudentiæ arguendam. Etenim ſi debitè ſuſcipiatur, ſecuriùs ac frequētiùs vitæ perfectæ ſublimitatem aſſequitur, quā vix ſocialis vita multis expoſita periculis conſequi poteſt. Siquidem longè difficilius eſt in humana conuerſatione bene viuere, quàm in ſolitudine. Quod facilè conficiet, qui diligenter illa pericula, quæ in ciuili conſortio reperiuntur, aduertere voluerit. Nec tamen inficiamur, virtutes in medijs ſæculi turbinibus poſſe comparari, ſed dicimus, eas admodum raras eſſe, quarum & facilis eſt iactura. Non negamus quoque, eos qui vrbes habitant ſaluos fieri poſſe, ſed putamus id perdifficile, quod & cum ingenti periculo ac raritate contingere ſolet. Quod autem ſubiungis, mi Oblocutor, ſi omnes efficiantur ſolitarij, res humanæ peribunt: Dicimus pariter tibi poſt diuum Hieronymum, ſi omnes tecum fatui fuerint, nullus ſapiens erit. Dicimus, inquam, illud metricum:

Si cælum rueret, multæ caperentur alaudæ.

Rara eſt virtus, quę à pauciſſimis expetitur, quapropter timendum non eſt, genus humanū proptereà periturū. Quòd inſuper vitam ſolitariam temeritatis inſimulas, dicens, multos ab ea excidiſſe,

cidiſſe, pari modo dici poſſet (ſed impiè) taxandam eſſe Chriſtianam religionem, quandoquidem multi ab ea defecerunt. Sed rectiùs aliter dici poteſt, pro diui Chryſoſtomi ſentētia, paucos aliorum cōparatione ab huiuſmodi vita corruiſſe. Ea propter non carpenda, ſed potiùs laudanda eſt, vtpotè quæ tantæ ſit virtutis, vt nec infęcundas arbores ſuis in ſyluis retinere ſoleat. Quòd verò addis, paucos vitæ huius cacumen conſcendiſſe, hoc planè inficiamur, cùm innumerabiles olim fuiſſe huiuſcemodi, memoriæ proditum ſit. Age verò, ſi pauci eſſent (vt tu falsò putas) nunquid proptereà culpanda foret ſolitaria vita? Minimè quidem, cùm in alijs viuendi modis rari ſemper fuerint, qui vitæ perfectionem ſint aſſecuti, nec tamē ſtatus ipſos proptereà damnare iuſtè poſſis. Quòd autem poſteà quæris, quid opus eſt tanta vitæ ſanctimonia ac perfectione? Nonne ſufficit communis vita? Ita non quæreres, niſi te totum deſidioſus ſpiritus poſſideret, qui bonis omnibus inuidens, & innumeras (quas habet) nequitiæ ſuę verſutias vbique ſpargere geſtiens, hanc quoque excogitauit diſſeminauitque inſaniam, quæ callidè admodùm bonis operibus impedimento foret. Dic obſecro mihi, quis, vnquam niſi mentis inops contentus fuit, parùm doctus artifex euadere, quando doctior fieri potuit? Quis paruus mercator, vbi plurimas ei merces licuit aggregare? Quis pauper, quando ſibi diteſcere conceſſum fuit? Quis deniquè parùm literatus, quando literas multas potuit comparare? Nemo planè. Cùm igitur ita res habeat, vt in cæteris rebus copiam, incrementum, perfectionemque multam & deſideremus, & quæramus: cur precor, in virtutibus ipſis,

bus ipſis, quæ præſtantiores ſunt ac vtiliores, non faciamus?

Adde quòd perfectum eſſe nolle, delinquere eſt. Denique turpe eſt, ſeruum ad dominum ſuũ cum paruo lucro rediſſe, qui cum magno venire poterat. Quod deniq; ſubnectis, ſolitarium nõ eſſe de ſua ſalute ſecurum, fateor id quidem. Sed obſecro quis ille ſtatus eſt, qui viatorem in hac peregrinatione tutum faciat? Hæc obiectio totius inertiæ ac nequitiæ fomentum eſt, quam tamen nihil habere apparentię facilè conficitur. Pari enim modo diceretur agricolæ: quid tu frumentum ſeminas? Non enim tibi compertum eſt, an granum, quod in terram iacias, creſcere habeat. Eodem modo & militi obijci poſſet, cui militas? Non enim exploratum habes, an victoria ſis potiturus. Simili modo diceretur mercatoribus, opificibus, cæteriſque id genûs hominibus: cur vos laboribus incumbitis? Non enim de lucro reportando prorſus eſtis certiores. Denique Chriſtianis omnibus dici poſſet, cur vos diuinorum mandatorum obſeruationi operam datis? cur vos pijs laboribus atteritis? Non enim de perpetua ſalute conſequenda ſecuri eſtis. Hęc autem ex intimis tartareæ fraudis penetralibus deprompta, cùm paſſim (& meritò quidem) non curentur, nec illud quoque, quod in ſolitariam vitam allatum eſt, curari debet, ſed potius ſectanda ſunt, quæ ſuperis grata, optatam ſalutem afferunt. Nec interim à bonis operibus ceſſandum eſt, ſed ſecuriora videntur amplexanda, certaq; ſectanda: incerta verò ac futura (quæ Deus hominem latêre voluit) temerè deſtituenda non ſunt. Quiſquis enim & fideliter & perſeueranter diuinis reſponderit mandatis, proculdu-

Non ideo à bono ceſſandũ, quia rei exitus ignoratur.

culdubio ſaluabitur. Sed dicis: Quid ſcio, ſi in finem vſque perſeuerauero? Et ego ſimiliter: Quis nouit, ſi tu perſeueraturus non ſis? Cùm igitur neutrum tibi prorſus exploratum ſit, cur in tuam perniciem alteri magis credendum putas? præſertim cùm ſatis noris, facienti quod in ſe eſt, perſeuerantiæ munus nunquam denegari ſolere. Non igitur poſthàc huiuſmodi latebroſam quis excuſet inſaniam, quæ totius ignauiæ ac diffidentiæ parens eſt. Verùm ab his ſe tricis explicans, melioribus incumbat, altioraque ac perfectiora quantùm poterit ſectetur, quoniam cùm mors aduenerit, omnia (quæ quantumuis multa tum fuerint congeſta) pauca paruaque videbuntur. Sed de his iam ſatis. Quod aũt in calce ais, ſolitudinem homines melancholicos facere ſolere, hoc cõcedi poteſt de illa, quæ ineptè ſuſcipitur, coliturque indecenter. Sed de illa, quæ diuerſo modo ſe habet, ſecùs eſt: quę licet quandam ſanctam triſtitiam pariat, tamen internam lætitiam habet, quemadmodũ in ſolitarijs penè innumeris patuit. Cæterùm ad Cartuſianam vitam iam redeundum eſt.

Perſeuerãtiæ donum cur non denegatur.

CAPVT XX.

Oſtenditur inprimis, Cartuſianam vitam eſſe ſolitariam, anachoreticam, & nihilominus vtcunque mixtam: deinde oppoſita rationes diſſoluuntur.

POſtquàm ſatis de ſolitaria vita proſecuti ſumus, de Cartuſiana vita peculiariter agamus oportet. Oſtendamus igitur inprimis, eam & ſolitariam & anachoreticam eſſe, & nihilominus eam vtcunque mixtam dici poſſe. Deinde rationibus ſuperiùs adductis, quæ

tria

tria illa improbare nituntur, reſpondeamus. Inprimis ergo probemus, eam ſolitariã eſſe, quandoquidem ſolitudini cellæ iugiter incumbit. Quod non tam ratione vel authoritate, quàm experientia ipſa confici poteſt, quod prorſus ſatis eſſe debet, quandoquidem contra experientiam pugnare, inſanire eſt. Non itaque videtur in re huiuſmodi diutiùs fruſtrà laborandum. Ergo probemus, quod non ita palàm eſt, eam heremiticam ſeu anachoreticam eſſe. Inprimis authoritate Summi Pontificis, qui in priuilegio Cartuſiani Ordinis confirmatiuo, ipſum ordinem heremiticum vocat. Quem ſectari ſucceſſores eius permulti, ac varijs ordinẽ ipſum priuilegijs decorantes, heremiticum eum vocitârunt. In quibus ſunt Alexander tertius, Lucius tertius, Clemens tertius, Celeſtinus tertius, Honorius tertius, Alexander quartus, de quibus poſtmodùm agetur. Guigo quoque noſter, qui primus Cartuſias conſuetudines in volumen redegit, vitam quoque ipſam Heremiticam, & domos Heremos vocat. Cui rei D. Bernardus præfati Guigonis contemporaneus aſtipulatur, dicens, antequam ſolitariæ vitæ gloriam ſe inueniſſe in campis Syluæ, in monte Dei, in monte pingui. Denique vita illa optimo iure dicenda eſt heremitica, quæ in heremis agitur, iugiterq; anachoreſim ſectatur. At ita eſſe de Cartuſiana vita palàm experientia ipſa declarat. Igitur Cartuſianam vitam nõ modò ſolitariam, ſed etiam Heremiticam ſeu Anachoreticã eſſe, fatendum eſt. Verùm ne fruſtrà in re ſatis aperta ampliùs deſudemus, tandem probemus, Cartuſianam vitam vtcunque mixtam eſſe. Qua in re aduertendum eſt, vitam, quantùm hîc ſufficit, duobus modis

modis mixtam dici poſſe. Vno quidem modo, cum ex actiua contemplatiuaque vita conflatur: Altero verò, cùm ex anachoretica cœnobiticaque diſciplina conficitur. Vtroq; autem modo bifariã contingere poteſt, ſcilicet abſolutè, vel vtcunq;. Hoc eſt (vt ſcholaſtico more vtar) ſimpliciter, aut ſecundũ quid. Simpliciter aũt mixta vita eſt, quando de vtraque vita tantũ miſcetur, quantũ ad denominãdam vitæ qualitatem ſufficit, putà cùm æqualiter vtriq; vacatur: vel ſi inęqualiter, nihilominùs tamẽ vtriq; frequenter ac principaliter incumbitur. Secundùm quid verò mixta vita dicitur, cùm aliquam certa ratione recipit admixtionem, ſed vitæ denominationi abſolutè non ſufficit: putà cùm nec frequenter, nec principaliter huiuſmodi mixtio admittitur, ſed vel rarenter, vel minùs principaliter, & quaſi adminiculatiuè, vtpotè cùm vitæ contemplatiuæ aliquid actionis inſeritur: vel cum ſolitariæ aliquid ſocialis vitæ interponitur, quò rectiùs agi queat. Vix enim ita purè agi vita aliqua poteſt, quin de altero viuẽdi genere commertium aliquod habeat. quod quidem accipit velut inſtrumentum quoddam, quod ad præcipuum ſui ſtatus finem ordinat. His prælibatis Cartuſianam vitam mixtam eſſe breuiter cõficiamus. Etenim ad vitanda contemplatiuæ vitæ pericula, quibus humana imbecillitas obnoxia eſt, quędam actiuæ vitæ exercitia miſcenda putauit, vtpotè laborem corporalem, mutuum aliquãdo conſortium, aliaq; nonnulla, quæ magis ad actiuam vitam ſuaptè natura pertinere videntur. Itaque ex contemplatiua, & actiua vtcunque ea ipſa mixta eſt, quamuis (vt diximus) contẽplatiua abſolutè ſit cenſenda. Inſuper ad vitanda quoque ſolita-

Cur vita Cartuſiana quedã admittit actiuæ vitæ exercitia.

riæ vitæ pericula, leuanda quoq; tam arduæ vitę onera, quædam ſocialis vitæ exercitia prudēter miſcere curauit. Siquidem, vt ea taceantur, quæ generalia ſunt, vtpotè, quòd omnes Cartuſiani propoſiti domus vnà confœderantur, omnesq; generales capituli ſubſunt imperio, ꝙ etiam in qualibet domo ſunt officiales cōmunia negotia curātes, tribuentesq; cæteris ea, quibus opus eſt, ne videlicet quiſpiam de ijs ſollicitus, vel ſuas procurare nēceſſitates, vel deuotionis ſynceritatem perturbare, vel demùm proprietatis vitiū admittere impellatur: Vt, inquam, hæc taceantur, tanganturq; peculiaria, inprimis Cartuſiana vita diebus dominicis cœnobiticam vitā agere conſueuit. Illis etenim diebus ſinguli diligenter ad Eccleſiam conueniunt. Primam ibidem cantaturi, deinde Capitulū ingreſſi, audiunt à Priore quomodo per totam hebdomadam cultū diuinū exoluere debeant, ſuasq; culpas (ſi quas habent) profitentur, arguuntur (ſi res ipſa flagitet) alioqui monentur, vt decet. Deinde facta re diuina, Refectorium intrantes ſimul reficiuntur, ſimul prandio facto, colloquūtur, ſimul deniq; cœnam faciunt. Quibus expletis ad ſua præſepia reuertuntur, ibi totam hebdomadam in quiete, ſolitudine, ſilentioque traducturi, niſi fortè aliquod feſtum capituli contigerit. Hæc enim feſta, cœnobiticè inſtar diei Dominicæ apud eos agi conſueuerunt. His itaque demptis, totam penè hebdomadam diſtinctis in cellis ſolitariæ vitæ deputant. Non enim cellam paſſim egredi fas eſt, niſi pro cultu diuino perſoluendo, quod ſcilicet diebus non feſtis, partim in Eccleſia ſimul dicunt, ſcilicet Miſſam, veſperas, matutinasque: reſiduū autem ſeorſum in cellis perſol-

perſoluunt. In quibus & ſinguli habitant, ſoli refectionem ſumunt, ſoli dormiunt, ſoli diuinis rebus vacant, ſoli laboribus, horis ad hoc deputatis incumbunt, ſoli deniq; victitantes, quæ ſuæ ſaluti conducere queant, diligenter volutant. Hæc igitur cũ paſſim à Cartuſianis obſeruentur, palàm eſt, Cartuſianã ex heremitica, & cœnobitica vita vtcunq; mixtam eſſe. Adde quòd ſingulis hebdomadibus datur generatim omnibꝰ pręfinito die ſemel colloquendi facultas, vt ſcilicet recreationis quippiam capere, vel de ſuis negotiolis communicare, vel demum aliquid ſibi inuicem auxilij (ſi opus ſit) impendere queant. Denique peculiariter facta per Superiorem facultate, nonnunquam ſolent pro caſibus emergentibus ſe mutuò viſere, & mutuam ſibi opem ferre. Quibus animaduerſis dubium eſſe nõ debet, Cartuſianam vitam ex anachoretico, cœnobiticoque commercio mixtam quodammodo dici poſſe. Sed quæras, quid ipſos Cartuſianæ vitæ fundatores cõcitauit ad mixtionem huiuſmodi faciendam? cur nõ potiùs vel omninò anachoreticam, vel prorſus cœnobiticam vitam inſtituerunt? Reſpondemus, eos partim authoritate, partim ſimilitudine, partim ratione concitatos fuiſſe ad mixtionem ſiue temperamentum huiuſmodi efficiendum. Inprimis putantur huiuſmodi ſancti patres ea perlegiſſe, atque ponderaſſe, quæ Diuus Auguſtinus libro de Ciuitate Dei decimo nono, tradidit de triplici genere vitæ, ſcilicet otioſo, actuoſo, & ex vtroque compoſito. *Cartuſ. vita cur adeo mixta fuit instituta.*

Cuius authoritatem ſectari volentes, potiùs tertium vitæ genus elegerunt, quod ſcilicet nec omninò otioſum, nec prorſus actuoſum eſſet:

Moti quidem tanti Doctoris verbis, præſertim illis, quæ ibidem ſubiungit. Ex tribus(inquit) illis vitæ generibus otioſo, actuoſo, & ex vtroq; compoſito, quamuis ſalua fide quiſque poſſit in quolibet eorum vitam ducere, & ad ſempiterna præmia peruenire, intereſt tamen, quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Nec ſic eſſe quiſq; debet otioſus, id eſt, contemplatiuus, vt in eodem otio vtilitatem nō cogitet proximi, nec ſic actuoſus, vt contemplationem non requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet, ſed aut inquiſitio, aut inuentio veritatis, vt in ea quiſque proficiat, & quod inuenerit, non alteri inuideat. In actione verò non amandus eſt honor in hac vita, ſiue potentia, quoniam omnia vana ſub ſole, & cætera quæ ſequuntur. His itaque Auguſtini verbis(quod autumamus) concitati primi Cartuſiani, quoddam vitæ genus temperatum(quod mixtum ac compoſitum vtcunque dici poteſt) inſtituendum curauerunt, vt faciliùs atque vberiùs & ſuæ & proximorum conſulerent vtilitati. Deinde ſimilitudine quadam etiam ad hoc impulſi videntur. Siquidem animaduertentes hominem ipſum (qui principatum in creaturis inferioribus tenet) ex corpore (quo mediante fieri ſolet actio) & mente (quæ contemplationis principium eſt) compoſitum, cenſuerunt & vitam compoſitam(qua viuendum illi ſtudioſè foret) inſtituendam, in qua & corpus interdum per actionem, & animus frequētiſſimè per contemplationem exerceretur. Itaque tertij quodammodo generis ordinem excogitarūt, qui in ordinibus religioſis principatum ſibi vindicaret. Denique certa ratione idipſum feciſſe creduntur.

Otioſus quid facere debet.

In actione quid curandum.

duntur. Enimuerò cũcta diligentiſſimè luſtrantes, videntesque & cœnobiticam vitam per orbem diffuſam, & è diuerſo anachoreticam miſerè collapſam atque humi iacentem, cœnobiticam dimittentes, ad eam quæ corruerat erigendam, omnes neruos intendendos putauerunt. At verò cùm rationi conſentaneum eis non ſatis videretur, vt ea ipſa ſcilicet anachoretica quæ certis de cauſis, quas dicturi ſumus, peſſum ierat) in priſtinum tenorem ac extremitatem prorſus ſuſcitaretur, vtpotè quæ & periculoſa admodùm, & humanis virib⁹ importabilis erat, excogitauerunt (Spiritu ſancto dirigẽte, qui huius rei præcipuus author fuiſſe creditur) quoddam vitæ temperamentum & quaſi tertium ordinem miro modo efficere, in quo quidem anachoretica vita præcipuas ſibi partes vendicaret, & nihilominùs cœnobitica vita aliquid loci haberet. Itaque mirabili temperamento ordinem inſtituerunt, qui & ſimpliciter anachoreticus, & ſecundum quid compoſitus dici meretur. In quo & actio non impedit contemplationem, & contemplatio non prorſus abigit actionem. In quo denique & heremiticus rigor præcipuè viget, & nihiloſeciùs ipſa vitæ cœnobiticæ veſtigia quædam apparent. Mirabile prorſus commertium, & prioribus ſeculis incognitum. Hîc forſan quæras, cur anachoretica vita ante originem Cartuſienſium collapſa fuerat. Nempè inprimis, quòd populus augeri, & ipſas quoq; heremos colere ſucceſſu temporis cępit, hinc effectum eſt, vt loca vitæ huiuſmodi apta non ita paſſim, vt olim, inueniretur. Deinde quòd graſſatores frequenter ipſos anachoretas libris alijſque ſarcinulis ſpoliabant: Inſuper quòd vires tùm

Vide ca. 1. 3. Tract. 2. lib.

tùm mentis, tùm corporis imbecilliores factæ ſunt. Feruor enim deuotionis plurimum remiſſus eſt, quo iam pridē vita ipſa fouebatur. Ad hęc quod periculoſa erat, & à ſanctis doctiſque viris (ipſa præſertim extrema) diſſuaſa legebatur, propter multa, quæ contigerant pericula, & ſæpè contingere poſſe putabantur. Denique quòd pro Comici ſententia, omnium rerum viciſſitudo ſit. Itaque ceſſit ipſa, vt alia (ſcilicet Cartuſiana) in locum eius ſufficeretur, quæ ipſam honeſtiùs, ſecuriùs ac perfectiꝰ repararet. Sed iam ad obiectiones ſuperiùs poſitas reſpondendum eſt, quarum quidem prima conficere nitebatur, Cartuſianam vitam minimè ſolitariam eſſe: altera verò, non eſſe anachoreticam: poſtrema denique, eam mixtam nullo modò dici debere.

Ad primam igitur fateor, Cartuſianos in eodem clauſtro manere, verùm hoc nihil prohibere, quin propoſitum Cartuſianum ſolitarium ſit. Habitant ſiquidem ipſi diſtinctis in cellis, arctiorem ſolitudinem obſeruantes, quàm eorum multi, qui remotas heremos coluēre. Non enim Cartuſianis licet cellam deſerere, niſi cùm vel ad Eccleſiam, vel clauſtrum (ſeruato ſemper ſilentio) properandum eſt. Ad Eccleſiam autem, vt diximus, diebus non feſtis ſingulis, ter duntaxat pro cultu diuino, in honorem ſanctæ Trinitatis conueniūt: quod ſupereſt ſeorſum in cellis exoluentes. Illis ergo diebus, ſpiritum partim in Eccleſia reficiunt, cùm tamen in ipſa duntaxat cella corporalem cibum ſumentes, defectum corpus reficiant. Hæc autem cùm ſingulari propoſito non aduerſentur, ſed aſtipulentur, minimè faciunt, quin Cartuſiana vita abſolutè ſolitaria

taria optimo iure dici queat. Ad confirmationem reſpõdemus, inter egregias quas habet laudes Cartuſianã vita, nõ paruam illam eſſe, quòd ſolitaria ſit atque heremitica: ea enim de re multum præconium habet, tantũ abeſt, vt propterea ſit vllo pacto vituperanda: quandoquidem ſolitaria vita (quod ſatis pro virili monſtrauimus) non vituperio, ſed præconio multo digniſſima eſt.

Ad ſecundam obiectionem dicimus, Cartuſianos vitam in multitudine quidem agere, ſed non cum multitudine. Quod profectò ſtatum ipſum ſolitarium eſſe non prohibet. Non enim anachoreticus ſtatus omninò refugit eorũ, qui eiuſdem ſunt propoſiti, conſortium, nec communem quoque eiuſdem loci incolatum abhorret, modò ſint diſcretæ cellulæ, in quibus ſolitudini decenter incumbatur. Eſtò igitur, Cartuſiani anachoretæ non ſint, ſi vocabulum ipsũ anguſtę capiatur: propriè tamen apteque ſatis anachoretæ dici queunt, vtpotè quorum propoſitum ſit, ſine choro ſeu conſortio vitæ ſingularitati paſſim incumbere. Deniq; ſolitarius omninò locus ſolitariam vitam non ſemper efficit, ſicut nec multitudo ſocialem, ſed inſtitutio potiùs ac obſeruatio vitæ, quæ quidem maximè conſideranda eſt.

Ad tertiam obiectionem dicimus inprimis, eandem vitam abſolutè ſolitariam, & mixtã vtcunque ſimul dici poſſe. Hæc enim inter ſe non pugnant. Ea enim, quæ ſecundũ quid dicuntur, poſſunt cum his, quæ abſolutè conueniunt, conſentire. Deinde dicimus, id quod propriè mixtum eſt Phyſica mixtione, nõ poſſe cõuenienter alicuius eorum, ex quibus conficitur, nuncu- *Locus non ſemper efficit ſolitariam vitam.*

pationem ſumere. Quod enim ex elementorum mixtione reſultat, nullius elementi nomine vocari conſueuit. Secùs eſt, cùm aliquid ſecundùm quid mixtum dicitur mixtione morali, quemadmodum in propoſito eſſe conſtat. Nec illud adimit vitæ puritatem: vtpotè quòd nullam ſecum impuritatem affert, ſed duntaxat quandam intercapedinem, quæ inſtauratione interponitur, ne ſcilicet ipſius contemplationis iugitas aliquid afferat detrimenti, quod facilè vſu veniret, ſi gratę cuiuſdam actionis interpolatione non leuiaretur. Non igitur actio admittitur, vt contemplationem impediat, perturbet, aut confundat, ſed vt pauliſper aciem mentis remittendo confortet, animumque ipſum leuiorem expeditioremque ad contemplandum efficiat. Denique non hîc mixtionem Phyſicè capimus, in qua ſcilicet miſcibilia alterata vniuntur, quomodo (pro Ariſtotelis ſententia) mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, ſed moraliter pro quadam operationum alternatione, quæ ſi perfectè fiat, mixta vita ſimpliciter reſultat. Sin minùs, vita vtcunq; mixta euadit, quod in propoſito contingit. Eſt enim Cartuſiana vita (vt ſæpè diximus) abſolutè anachoretica, ſecundùm quid verò mixta. Cæterùm cùm iam ſatis de qualitate vitæ Cartuſianæ fuerimus proſecuti, operępretium eſt ſequenti tractatu aliud ſubnectere, & patefacta vitæ ipſius conditione, de nuncupatione eius tandem diſcutere.

Actio cur à Cartuſianis admittitur.

Quartus primi libri Tractatus, in quo agitur de nuncupatione Cartuſianæ vitæ.

CAPVT

CAPVT I.

Quædam prælibantur de ſignificatione nominum.

OBLOCVTOR.

AGAMVS igitur (quando tibi ita videtur) de peculiari Cartuſianę vitæ nuncupatione, primùm quærentes, quid cauſæ fuerit, cur ab inculto monte tua Cartuſiana vita nomen acceperit. Putaſne ex hac indecora, voluntariaque nuncupatione eam paruifaciendam non eſſe? Falleris, ſi ita ſapis. PET. De Cartuſianæ vitæ nuncupatione dicturi, primùm breuiter adferendum cenſemus id, quod de nominibus, quibus res ipſæ vocantur, quidam magnæ eruditionis viri tradidêre. Putauit inprimis Plato, nomina, quibus vtimur, nō eſſe hominibus, vel rebus alijs indita temerè aut caſu aliquo, ſed potius vi quadam & prouidentia, ita ſcilicet inducente, ac velut de induſtria, dictante natura, quæ multò antè præuidens, quid cuique ſit euenturum, & qualis quiſq; futurus ſit, ita nomen imponit. Itaque Plato ipſe voluit, nomina potiùs ſecundùm naturam, quàm voluntatem ſeu impoſitionem ſignificare. Quod & de rationibus intellexiſſe putatur, quas tanquàm ſupellectilem ſeu inſtrumentum naturale ſignificare credidit. At verò vtrunque Platonis dictum, ſcilicet à natura rerū nomina fuiſſe impoſita, & orationem quoque à natura ſignificationem habere, viris doctis non placet. Et primùm quidem ſi vniuerſaliter accipiatur, facile eſt improbare, quoniam multos inuenire eſt eodem nomine nuncupatos, qui diſſidentibus inter ſe conditionibus, moribusque prorſus aduerſis extitêre. *Plato.*

Quòd liquidò conſtat in Simone Apoſtolo, & Simone quodam mago. Itemque in Iuda Thadæo, & Iuda Schariote Chriſti proditore. Duobus enim illis Simoni mago, & Iudæ proditori, nomina illa nõ ſunt à natura impoſita, cũ Simon interpretetur obediẽs, & Iudas cõfitens vel glorificans, quæ ſanè interpretationes perditis illis viris rectè adaptari non potuêre. Alterum verò
Ariſtot. Platonis dictũ reprobat Ariſtoteles in libro Periermenias dicens, orationem ſecundùm placitum, non autẽ naturaliter ſignificare. Nec iniuria quidem. Si enim voces ſuis eſſent impoſitionibus viduatæ, quis obſecro audeat aſſerere, id eas naturaliter importare, quod per inſtitutionem ſignificabant? Puto neminem hoc ſanè dicturum. Sed his contentionibus peritorum virorum dimiſſis, afferamus id quod nobis verum videtur, dicamusque, nominum, quæ vel hominibus, vel rebus alijs conueniunt, quædam eſſe impoſitionis, altera verò naturæ. Quæ impoſitionis ſunt, hoc eſt, quæ ex impoſitione ſignificant, multa ſunt genera. Quædam enim diuinitùs impoſita creduntur, & hæc quidem ſemper denotant, aliquod munus gratuitum, ſeu peculiarem gratiam diuinitus impertitam ei, cui tribuuntur. Quoties enim hominibus à Deo vel imponitur, vel mutatur nomen, ſingularis meriti indicium eſt. Hoc in Abraham & Petro luculenter conſtat. Primò enim cùm antè Abram vocaretur, dictum eſt Ge-
Gen. 26. neſis 26. *Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Secundò quoque di-
Matt. 16. ctum eſt Matth. 16. *Tu es Petrus*, quod nomen in tota ſacræ Scripturæ ſerie, nulli ante principem ipſum Apoſtolorum, legitur impoſitum fuiſſe, & pri-

& primò eidem dictum eſt: *Tu vocaberis Cephas.* Hoc etiam in alijs multis patet, in quibus vocabulo cœlitùs vel mutata, vel impoſita, rerum mutationem, vel peculiarem aliquam gratiam inſinuant. Alia verò nomina à rei proprietate imponuntur, quomodo putant nomina cunctis animantibus per Adam impoſita primùm fuiſſe, quippè qui perfecta rerum cognitione ab exordio conditionis ſuæ donatus, diligenter conſiderans naturas proprietatesque animantium vniuerſorum, quæ ad eum vel nutu diuino vel per Angelos adducta fuerant aptis nominibus, Hebræaque lingua (quæ prima, ſolaque fuit ante confuſionem Babylonicæ turris) ea vocauit. Poſtmodum verò filij Noë (à quibus, vt ita dixerim, populata eſt terra) poſt diluuium nomina locis, gentibusque reliquerunt, ex quibus poſteà mutata ſunt plurima. Solent enim nomina locorum gentiumq; plerumque vetuſtate mutari. Itaque nomina ipſa partim ob longitudinem temporum, partim propter bella quæ inter homines ſuſcitata ſunt, partim denique propter linguarum diuerſitatem, lapſu temporis, mutationem habuerunt. Sed ad inſtitutum reuertentes, dicamus eam, quæ à rei natura ſeu proprietate ſumitur, impoſitionem aptam inprimis eſſe. Tunc enim conuenienter nomen imponitur, cùm eius ſignificantia rei proprietati conſentit. Alia autem nomina ſunt ijs penè ſimilia atque vicina, quæ ab aliqua qualitate ſeu conditione extraria imponuntur, quemadmodum de primogenito Iſaac legitur, *qui ab eo quòd rurſus eſſet, & totus in morem pellis hiſpidus*, Eſau dictus eſt. Platonem quoque ſic nuncupatum viri docti tradiderunt,

Adam quomodo nomina primum impoſuit animantibus.

Gen. 2.

Gen. 10.

Apta nominũ impoſitio quæ.

Gen. 25.

quòd

quòd amplos ſeu latos humeros haberet. Sic demum ab aliqua rei conditione extraria nomina frequenter impoſita ſunt, in quibus aliqua ſunt, quę qualitatem ſeu conditionem denotant, non quidem rei cui tribuuntur conuenientem, ſed alteri quæ ad eam quandam habitudinem habet, vtputà mõs Carmelus (qui ſcientia circumciſionis interpretatur) non ita dictus eſt, quòd ei ſcientia conuenerit, ſed quòd habitatores habuerit, in quibus fuerit huiuſmodi ſcientia. Alia inſuper nomina ab aliquo alio, cauſa quadam impellente, nõ autem ſola voluntate ſumpta ſunt. Interdum quidem à tẽpore, quemadmodum nomina Sanctorum pueris, die natali eorum naſcentibus, ſolent imponi: Interdum
Exo l. 2. verò à loco, quomodo Moyſes nuncupatus eſt, quòd ab aquis extractus ſit. Nonnunquam ab euentu, quo pacto Ioſeph primogenitum ſuum
Gen. 41. Manaſſem vocauit, dicens: *Obliuiſci me fecit Deus laborum meorum*, Geneſ. 41. Aliquando à cognatione. Sic nomina patrum filijs imponuntur:
Luc. 1. quod Diui Baptiſtæ conſanguinei facere voluerunt, cupientes eum nomine patris ſui nuncupari, cui tamen diuinitùs nomen Ioannes impoſitum fuerat.

Alia denique ſunt nomina, quæ mera voluntate impoſita ſunt, & paſſim ad placitum ſignificare dicuntur. Ad placitum quidem, nõ meum, vel tuum, ſed eius qui authoritate præditus impoſuit. Hanc autem poteſtatem habet communitas, habet & princeps communitatis, habet vicarius principis, & communitatis, habet denique vſus ipſe, qui magnus quidem præceptor eſt, & magnam vim habet in inſtituendis, deſtituendiſque denominationibus. Et hęc quidem

dem impoſitio in nominibus, & denominationibus reperitur, imprimiſque bipertita eſt. Quædam enim fit ſecundùm propriam ſignificationem, eaque de re primaria dici poteſt. Altera verò ſecundaria vocatur, quæ quidem fit præſuppoſita priori ſignificatione. Quod ſæpe contingit in metaphoris alijſque figuratis locutionibus, vtpotè cùm dicimus, littus arari, operam ſcilicet fruſtrà conſumi intelligentes. Interdum verò contingit ratione coniunctionis vnius dictionis cum alia, quę ſignificatio à nonnullis reſpectiua vocatur, cuius vna pars conditionata ab eis dicitur, vt Sortes, ſi eſt Sortes. Altera verò ex adiuncto, vt Sortes imaginatiuè eſt aſinus. Sed de ijs impoſitionibus iam ſatis. Alterum igitur præcipuum membrum tangamus, quod nomen naturæ principio vocaueramus. Verùm (ne quid nos fallat) animaduertendum nobis eſt, per nomen naturæ inprimis intelligi poſſe nomen, quod naturam, & eſſentiam quandam vniuerſalem pluribus ſuppoſitis communicabilem ſignificat. Hoc modo (pro ſententia eorum, quos Reales nuncupant) nomina illa, quæ Grammatici appellatiua, Logici verò genera, & ſpecies vocant, naturæ nomina ſunt, quippe quæ naturam quandam realem à ſingularibus, vel realiter (vt aliqui) vel formaliter (vt alij ſentiunt) diſtinctam pro eorum opinione ſignificent. Verùm quia hæc monſtra iampridem & ab Ariſtotele deriſa, & à peritorum cœtu prorſus exploſa ſunt, eam ob rem poteſt exemplum aliud dari, quod apud Theologos nonnullos vſitatum eſt, qui illam abyſſalem Trinitatis ſublimitatem tractantes, dicunt nomina quædam eſſe naturæ, quæ ſcilicet eſſentiam ſeruatu- *Nomina naturæ ſecundum Theologos.*

ram

ram diuinam immediatè ſeruant, alia verò ſuppoſiti ſiue perſonæ. Quibus aſtipulantes recentiores quidã, & peculiariùs rem ipſam diſcutientes, quatuor diuinorum nominũ genera ponũt, ſ. eſſentialia perſonalia, rationalia, cõmuniaq; de quibus nõ eſt modò dicendũ per ſingula. His itaq; prętermiſſis, dicamus altero modo per nomen naturæ idipſum accipi, quod à natura, hoc eſt, rei proprietate ſeu qualitate ſumptũ eſt, ſecundùm quam acceptionẽ nomen naturæ à nomine impoſitionis realiter nõ ſemper diſcreparet. Quàm acceptionem probant, qui dicũt, nomina, ſi benè imponantur, à naturis ſeu proprietatibus rerum imponi debere. Hoc etiam modo cepiſſe Plato videtur, dicens, nomina à natura rei poſita fuiſſe potiùs quàm mera voluntate. Quod quidem Platonis dictum, licèt peculiariter verum ſit, vtpotè quando ſignificatio à proprietate rei ſumpta eſt, generatim tamen acceptũ veritati conſentaneũ non videtur: quandoquidem multa ſunt nomina, quæ voluntariè ſignificant, vt docuimus. Denique per nomen naturæ intelligi poteſt nomen, quod ſuaptè natura ſiue naturaliter apud omnes idem repræſentat, cuiuſmodi ſunt nomina inutilia, quæ nullius ſunt linguæ, nulliusque idiomatis, non articulantur, non cõficiuntur ex literis & ſyllabis, ſed tamen cùm ſint quædam naturalia ſimulachra, ſeu imagines ac ſimilitudines rerum, apud omnes idem naturaliter ſignificãt. Hoc tertio modo capiendum eſt naturæ nomen, quando partitionem terminorum faciunt dicentes, terminorum quoſdam ſignificare per impoſitionem ſeu placitum, alios verò naturaliter. Sed de ijs hactenus.

CAPVT

CAPVT II.

De Cartuſiana vitæ nuncupatione.

IAM verò ad Cartuſianam vitæ nuncupationem accedamus. Qua in re tradunt ſimpliciter nonnulli, ab ipſo Cartuſiæ monte, Cartuſianam vitã fuiſſe vocitatam, quomodo & Carmelitæ à mõte Carmelo ſibi nomen aſſumpſiſſe putãtur. Interdum enim à loco, interdũ ab authore, nonnunquã ab habitu, aliquando à vitæ qualitate, & denique ab alijs id genus permultis diuerſis viuendi modis, eorumque ſectatoribus impoſita ſunt nomina. Alij verò neſcio quàm etymologiam ſectantes, putant Cartuſianam vitam à multa viuendi aſperitate nuncupatã. Nam (vt aiunt) Cartuſia caro tuſa interpretatur. Verùm hæc interpretatio non ſatis apta eſt, ſed potiùs de earum numero eſſe putatur, quæ contortæ, corruptæ, deprauatæ, aut certè volũtariæ dicuntur, & à viris doctis paſſim rideri ſolent. Fateor quidem, ex nominibus ipſis, eorumque interpretatione res ipſas plerumque indicari, ſi modò & impoſitio à rei natura effecta, & interpretatio certa ſanaque fuerit. Alioqui fallere- tur, qui per etymologiam putaret rem ipſam certò ſciri poſſe. Igitur & rem ipſam, & veram nominis interpretationem conſiderantes, dicamus, Cartuſianam vitam cùm à loco, tùm à qualitate ſuum nomen accepiſſe. Et primùm quidem diuina prouidentia, cui præſentia ſunt omnia, volens in loco aſpero tetricum viuendi genus inſtituere, dedit aptum loco vocabulum, vt ſcilicet ipſa loci nuncupatio, vitæ (quæ ibi futura erat) qualitati cõcordaret. Cartuſia enim interpretatur perfecta Dei vocatio, quandoquidem

Vita Cartuſiana vnde nomen accepit.

dem

dem pro Hieronymi ſententia *cartus* perfecta vocatio dicitur, *ya* verò Deus ſiue Dominus appellatur. Itaque Cartuſia nomen cōflatum, perfectam Dei vocationem ſonat. Quòd igitur ita vocatus ſit locus, diuinum numen fuit. Poſteà verò plantata vita Cartuſiana, animaduertens cum ſuis Bruno, tùm aptiſſimam loci nuncupationem, tùm vitæ ipſius (ad quam diuinitus cum ſuis vocatus fuerat) perfectionem, eam Deo inſpirante) Cartuſianam, hoc eſt, perfectæ vocationis vitam vocauit. Neque enim aliundè nuncupandam eſſe cenſuit. Vocauit & ſuos alumnos Cartuſianos, hoc eſt, perfectè, ſeu ad perfectionem à Deo vocatos. Itaque diuinitùs factũ fuiſſe crediderim, vt & à loco tam aptè nuncupato, & à ſtatus qualitate ſeu perfectione, Cartuſiana vita nuncupata fuerit. Quamobrèm cum tibi Cartuſiane, Cartuſianum nomẽ profertur, ſubire debet in mentem loci mirabilis, mirabiliterque nuncupati, conditio. Subire debet & vitæ mirabilioris mira nuncupatio perfectioque prorſus admiranda, ne ſcilicet tui nominis immemor, tuæ quoque profeſſionis obliuiſcaris. Semper ergo interpretare vocabulum Cartuſiani, hoc eſt, nomen tuum. Cartuſianus enim dicitur (vt tetigimus) qui perfectè ſeu ad perfectionem à Deo vocatus eſt. Qui ergo ad perfectionem vocatus es, caueas ſemper radicibus inhærere, ſemper imis contentus eſſe, ſatage culmen vitæ conſcendere, iugiter ſectari contende, quæ perfectionis ſunt. Nolle enim perfectum eſſe, delinquere eſt. Denique tuæ nuncupationi reſpondere cura, ne ſcilicet reipſa vacuus nomen inaniter geras. Sed de ijs hactenus.

CAPVT III.

Reſpondetur Obiectioni de Cartuſianæ vitæ nuncupatione prius facta, ſimulqúe de laudibus Cartuſiani montis, per comparationem eorum montium, de quibus Sacræ literæ meminerunt.

IAM verò noſtro obtrectatori reſpondere cupientes, oſtendamus Cartuſianam vitam ab ipſa nuncupatione reprobandam non eſſe, ſed multis potiùs laudibus efferendam. Quandoquidem ſi vitæ qualitas (quàm vera nominis interpretatiò monſtrat) aduertatur, dubiũ non erit, multis eam præconijs digniſſimam eſſe. Si loci quoque ipſius conditio, nuncupatio, delectioque diligenter volutentur, idipſum quoque mox conficietur. Sed quoniam montem ipſum (à quo vita Cartuſiana partim nuncupata eſt) incultum, laudibusque indignum in vitæ ipſius, ac ſuæ nuncupationis ſuggillationẽ noſter Oblocutor dixit, ea propter montis ipſius præſtantiam monſtrare pergamus, & quidem aliter quàm ſuprà fecimus. Itaque dicamus nihil in alijs mõtibus myſticæ dignitatis inueniri, quod in Cartuſiano monte reperiri non liceat, eaque de re & montem ipſum, & propoſitum ab eo nuncupatum multis laudibus dignũ eſſe. Quod ne gratis dictum videatur, in mediũ afferamus montes, præſertim eos, de quibus ſacra ſciptura commemorat, & ex myſtica comparatione, ac vera nominum interpretatione, applicationeque opportuna, oſtendamus quod propoſuimus. Enimuerò (vt rem ipſam tangamus) mons Cartuſiæ, mons eſt Synai, hoc eſt, mandati, in quo alter Moyſes, ſcilicet Bruno, de aquis mun-

Montis Cartuſiæ præſtãtia notatur.

Exod. 19.

mundalibus extractus, anachoreticæ vitæ (quæ propemodùm à terris exulârat) mandata ſuſcepit, populumque diuinitùs adunatum ſapienter erudiuit. Mons, inquam, Cartuſiæ, mons eſt Horeb, qui & Sina dictus eſt, hoc eſt ardoris. In quo videlicet mentes habitantium magno charitatis ardore ſemper flagrârunt, & de ſeruanda lege ſibi data diuinitùs, multa cura putantur inflammatæ. Mons quoque Cartuſiæ, mons eſt Seir, hoc eſt, fortunatus, vtpotè cui tantùm acceſſit fortunæ, vt fœlices incolas habere mereretur. Mons etiam Cartuſiæ, mons eſt Samariæ (qui cuſtos interpretatur) ibi ſiquidem pij Samaritani habitantes; præcepta conſiliaque dominica iugiter cuſtodire ſtuduerunt. Mons inſuper Cartuſiæ, mõs eſt Carmeli, qui ſcientia circũciſionis dicitur, quandoquidẽ in eo ſpiritalis ſcientia circumciſionis (per quã vitia, ſuperfluaq; morum circunciduntur) ſemper viguerit nec incircumciſum quicquam aliquando inuentum ſit. Mons præterea Cartuſiæ, mons eſt Moria, hoc eſt, viſionis: & planè viſionis mons rectiſſimè nuncupari poteſt. Siquidem ibi viſæ ſunt ſtellæ ſeptem, quæ diuinitùs locum ipſum oſtenderunt. Viſæ ſunt & ſeptem viuentes ſtellæ, quæ locum ipſum ſua cùm præſentia, tùm ſanctitate illuſtrârunt. Viſus eſt Christvs Dominus, qui & gratum ſibi habitaculum ſe tibi altruere aſſeruit. Viſa eſt ipſius Domini parens ſanctiſſima, quæ ſuos deuotos admonere dignata eſt, vt ſuas horas quotidiè dicerent. Denique ibi viſa ſunt mira alia quamplurima, de quibus apto in loco dicturi ſumus. Itaque reliqua proſequamur. Mons Cartuſiæ, mons eſt Syon, qui ſpecula interpre-

Exod. 3. Gen. 14. 3. Reg. 16. 3. Reg. 18. 2. Par. 3. Gen. 22.

terpretatur. Ex eo ſiquidem loco, vtpotè edito atque eminenti, proſpectant pij ſpeculatores, ne callidi hoſtes latenter irrumpant. Speculantur & diligenter, quæ ad contemplationis perfectioniſque arcem muniendam ac protegendam conducunt. Mons Cartuſiæ, mons eſt Galaad, qui aceruus teſtis dicitur. Ibi enim ſaxorum ingens aceruus eſt, qui teſtatur locupletiſſimè, quanta ſit ibi vitæ tetricæ aſperitas, quāta ſanctimonia, quantus denique vigor animi, qui talem habitationem ferre poſſit. Mons Cartuſiæ mons eſt Myrræ, hoc eſt, amaritudinis. Ibi enim rigidioris vitæ amaritudine iugiter amaricantur corpora. Ibi quoq; pęnitentiali mœrore afficiuntur & mentis penetralia. Ibi alienæ miſeriæ compaſſione cruciantur. Ibi demùm pijs deſiderijs, ſuſpirijs, lachrymiſque mortificantur. Mons Cartuſiæ, mons eſt Libani, id eſt, candidationis. In eo ſiquidem candida ſunt omnia, candidæ niues, candidæq; veſtes, & pulchra quadam ſpecie cum candore montis & veſtis adeſt candor pectoris. Ipſa etenim pectora, quæ per ſecularem conuerſationem priùs nigredine fuſcata fuerant, cœleſti ſplendore efficiuntur candidiora. Mons Cartuſiæ, mons eſt Effraim, hoc eſt, frugifer, ſeu creſcens. Tametſi locus ipſe exteriùs videtur infœcundis arboribus plenus, ſunt tamen arbores ſpiritales, quæ & ſuaues, pulchroſque fructus adferunt: & indies ita creſcunt, vt ſua proceritate iam cęlos arduos tranſeant. In quibus ſuorum tandem laborum fructum accepturi ſunt. Mons Cartuſiæ, mons eſt Thabor, qui aduētus luminis interpretatur. Ibi enim non tantum ſydereæ (quę corporeis oculis patet) ſed & ſpiritalis lucis acceſſus fit, qui

2.Reg.5. 1.Par.6. Gen.31. Cant.4. Deut.3. 3.Reg.5. Ioſu.13. Iere.46. Iudic.4.

tenebras interiores pulſans, mentemque illuſtrans, homines à ſe diuerſos facere & miro
Marc.11. quodam modo transfigurare ſolet. Mons Cartuſiæ mons eſt Oliuarum, vbi ſcilicet oleum non peccatoris, non adulationis, ſed ſuauis charitatis, lætitiæque interioris de conſcientia bo-
Pſal.47. norum operum proficiſcentis abundat. Mons Cartuſiæ, mons eſt ſanctus ſeu ſanctificatus. Ibi enim omnia ſanctimonia redolent. Ibi tria ſanctitatis præcepta ſeruantur, quæ à Re-
Pſalm. 36. 33. gio vate tanguntur, cùm ait: *Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam.* Ibi multa ſanctitatis argumenta claruerunt. Ibi ſancta plantatio diuinitùs effecta eſt. Ibi ſemper ſancti habitatores fuêre. Ibi demùm ad ſanctitatem acquirendam, augendam, perficiendam, conſeruandamque apta ſunt omnia. Quid plu-
Pſal.67. ra? Mons Cartuſiæ, mons Dei eſt, in quo ſcilicet religioſè colitur. *Mons pinguis*, in quo deuotionis adipe mentes pingueſcunt. Mons domus templique Domini, quo ſcilicet beneplacitum eſt Deo habitare in eo, vbi & domus Dei grata extructa, & templa Deo ſacrata ſunt, quibus iugiter præſens, ſuauiterque permanens oblectatur. Mons denique hæreditatis eſt mons Car-
Exod.15. tuſianus. In eo ſiquidem hæredes cæleſtis regni habitantes ſupernæ hæreditatis pignus accipiunt, poſtmodum pleniſſimè rem ipſam tandem, ſi perſeuerauerint, poſt labores accepturi. Quibus animaduerſis, nihil eſt Liuide, cur abs te Cartuſiana vita ſit nuncupationis ſuæ contemplatione taxanda, cùm è diuerſo potiùs multis præconijs efferenda ſit. Iam verò ad vitæ ipſius inſtaurationem accedendum eſt.

TRA-

TRACTATV QVINTO AGITVR DE inſtauratione vitæ Cartuſianæ. Vbi primum præmittitur, cur intermiſſa ſit vita ipſa: deinde quòd propterea non ſit deſpicienda, & poſtremò ipſius authoris, ſcilicet Brunonis, ſubnectitur quod reliquum eſt, ſcilicet de vitæ illius fine, obitu, & canonizatione.

CAPVT I.

Primum de conuerſatione Brunonis cum ſuis in Cartuſia: deinde de cauſa diſceſſus eius ab ea: & denique de deſtitutione loci Cartuſiani, quæ propterea facta eſt.

OBLOCVTOR.

INſtaurationem Cartuſianę vitæ læto admodum animo tangere libet. Ex ea enim facillimè confici poteſt, Cartuſianum negotiũ non fuiſſe cœlitus inſtitutum. Si enim diuinum habuiſſet exordium, nec tam citò interruptum ac diſcontinuatum, nec ille quoque conuenticulus tam leuiter diſſipatus fuiſſet. PET. Antequàm tibi reſpondeamus, probemusque affatim Cartuſianũ propoſitum non propterea floccifaciendum eſſe, quòd paruo tempore intermiſſum ſit, inprimis pręmittenda videtur duplex Cartuſianæ vitę inſtauratio, deinde ſubnectendum, quęnam Brunoni Cartuſiæ deſtituendæ cauſa fuerit. Inſtaurationis partionem breuiter tangentes, dicimus quandam eſſe actiuam, alteram verò (vt Logicis vtamur verbis) paſſiuam. Inſtauratio enim & actiuè, & paſſiuè accipi poteſt. Actiua ea eſt, qua ſtatum anachoreticum propè lapſum; Cartuſiana vita reparauit: Paſſiua autem, per quam ipſamet paruo tempore deſtituta atq; interrupta, mirabiliter reſtaurata eſt. Primam

autem, quæ ad ipſius Cartuſianæ vitę laudes pertinet, non hîc, ſed aliâs: alteram verò in præſentiarum diſcutere certum eſt, ſi tamen anteà fuerit à nobis declaratum, quid poſt multifariam Cartuſianę vitę plantationem aptamque nuucupationem, Brunonem ad deſtituēdum Cartuſię locum incitârit. Verùm vt altius quoque repetamus quæ ad ſuſcipiendam animarũ ſarcinã generatim exiguntur, ſcilicet ſcientia ſufficienti, vita honeſta virtutibusque referta, ſincera quoque intẽtione & demùm canonica inſtitutione comitatus, cum ſuo puſillo grege angelicam in terris vitam agens, mirũ in modũ ſtudebat, perfectum paſtorem ſe exibere, eaq; ſectari diligẽtiùs, quę paſtorali cura iam ſuſcepta ſublimis tremendusq; Prælationis ſtatus efflagitat. Et nihilominùs cum paſtorali cura ſimul ea, quę ſolitariæ vitæ ſunt, obſeruare curabat. Curabat, inquam, quantùm ad ſe pertinebat, ſtudioſam vitam agere, ſecundis rebus non efferri, nõ frangi aduerſis, mundum ipſum paruipendere, hoſtiles incurſus variaque tentamina propulſare viriliter, bonis operibus incumbere, cenſuram obſeruare ſilẽtij pro ratione ſuſcepti gregis, ſolitudinem magno complecti amore, vitæ aſperitate mirum in modum ſectari, lectione paſcere animum, orationis feruori iugiter vacare, pijs cogitationibus affici, deſiderijs ſanctis totus anhelare, rapique meditatationum ſublimitate in mentis exceſſum, ſuauitate cõtemplationis refici, præcipua actione nonnunquã exerceri, & demùm pro viribus priſcos referens anachoretas, ſolitariam vitã propè lapſam inſtaurare. Sed & ſuſceptæ paſtoralis ſarcinæ non immemor, ſuis ꝙ debebat ouiculis ſtudebat exoluere diligentiùs.

Brunonis ſtudia.

tiùs. Itaq; bonæ inprimis vitæ ſublimia exẽpla tribuebat, & tanquam exemplũ formaq; gregis præcedendo ad opus, ſanam propinabat doctrinam, ne ſuũ errore gregem inficeret. Voluebat enim priùs ſecum quid eſſet dicendum, ne ſcilicet proferret tacenda, vel proferenda reticeret. Exhortando quoq; ſtudebat ſapiẽter, modò priuatim, modò publicè vt res ipſa flagitabat, conſiderabatque ſagaciter perſonas, ætates, complexiones, pronitates, mores, conſuetudines, loca, tempora, affectiones, aliaque id genûs permulta, quæ in docendis monendisq; ſubditis obſeruanda ſunt, & à D. Gregorio, nonnullisque alijs plenè tanguntur. Corrigere etiam ſollicitus erat aberrantes. Quod tamen rariſſimè eum feciſſe putandum eſt. Non enim in illo ſancto paruuloque cœtu facilè reperire fuit, quod animaduerſione dignum eſſet. Sed quoniam hæc mortalitas vitam pror irreprehenſibilem eſſe non ſinit, eam ob rem ſi quando errabatur, ſtudebat corripere delinquẽtes: tanta tamen charitate ac diſcretione, vt & dilectionem intùs retinens, & foris debito vtens moderamine, palàm oſtẽderet, non homines, ſed errores ingratos ſibi eſſe. Itaque vt verſificator quidam ait:

Cum terrore patris, monſtrauit viſcera matris.

Vbi verò de culpis non agebatur, ſe fratrem ſociumq; exhibebat; ſciens ſe natura æqualem eſſe, nec homini ſuper homines, ſed ſuper beſtias imperium principio datum fuiſſe. Quid plura? Non tantùm exemplo, doctrina, exhortatione, correctioneq; debita, creditum ſibi gregem inſtituebat regebatque, ſed etiã multa ſolicitudine paſcebat, neceſſaria vitæ tribuẽdo, curamque prębendo de temporarijs bonis, quantùm ratio-

nabile putabat. Deniq; prudenter cogitans ſtultum eſſe alios curando, ſeipſum negligere, ſollicitus erat iugiter ad ſe redire, ſuæ mentis faciẽ contemplari, ſciſcitari quid adeſſet boni, indagare quid ſibi virtutis deeſſet. Cauebat quoque diligentiſſimè, ne ſuæ oculus intentionis corruptus eſſet, ne inanis gloria (q̃ vel pias mentes ſpoliare ſolet) ſuos labores diſperderet, ne demũ ſuperbia inflatus, tandem reprobus inueniretur. Dabat itaque operam, vt cum literis, & authoritate (quod rariſſimũ eſt) radicem virtutum humilitatẽ ſociaret. Prudenter enim animaduertebat, nec literaturam, nec poteſtatem ſine humilitate alicuius eſſe momenti. Animaduertebat, inquàm, neſcio quod miſerum fœdus, elationem cum literis ſtatusq; ſublimitate iniјſſe, vt has ſine illa vix reperire queas. Ergo veræ humilitatis regulam tenens: Nullus (quod verſus quidam ait) eum magnum, ſed mitem ſenſit, vt agnum. Nullus quoque turbulentum aut iracundum expertus eſt, quandoquidem (vt verſiculus alius habet.)

Semper erat feſto vultu, ſermone modeſto.

O mirabilem planè virum, & vix mortalibus imitabilem. Imitabantur tamen eum ſui pro viribus alumni, quos vt pater filios feruentiſſimè diligebat, quippè quos ſancta ſectari veſtigia lætis oculis intuebatur. Hæc autem cum fierent, en repentinus quidam turbo ſuboritur, qui pacatas illas deſerti arbores perflare conturbareq; cœpit. Enimuerò; cùm ſex annos vel circiter Bruno cum ſuo grege anachoreticam, imò verò angelicam in Cartuſiano monte vitam egiſſet, Sũmus Pontifex Vrbanus eius nominis ſecũdus, Otto anteà dictus, atq; monachus Cluniacenſis (cuius

Quando & quare Bruno Cartuſiã reliquit.

(cuius Bruno antè Præceptor fuerat) recordatus ſapientiæ, probitatis, præcipueque diſcretionis, quibus Brunonē ipſum affatim præditum nouerat, accerſire curat, eum inprimis ſibi opportunum fore, ſeque multa illius ope faciliter pro re Eccleſiaſtica facturum arbitratus. Quidam putant Brunonem ſtatim ab Vrbano, poſtquam Pontificiū fuiſſet adeptus, vocatum fuiſſe, quos legitima ſupputatione prorſus errare luculenter oſtenditur. Cùm enim ordo Cartuſianus, quem anno octogeſimo quarto ſuprà milleſimū cœpiſſe paſſim dicunt, circa finem pontificatus Gregorij ſeptimi ſumpſerit exordium, & inter Gregorium, & Vrbanum paruum fluxerit interuallum (ſolus enim Victor medius fuit, qui paruo tēpore ſedem tenuit, poſt cuius obitum ſedes ipſa menſes quinque vacauit) fieri nō poteſt, vt Bruno Cartuſiam, quod tamen ipſi fatentur, ſex annos coluerit, & ſtatim ab Vrbano ipſo poſt ſuam creationem accerſitus ſit. Non igitur dicta ſibi conſtant. Dicamus igitur id quod vero propius videtur, ab Vrbano Brunonem vocatum fuiſſe poſt aliquot ſui Pontificatus annos, cùm ſcilicet maioribus fortè negotijs curiſque preſſus, Brunonem ſibi notiſſimū multam ſuis rebus opem ferre poſſe putauit. Quando autem vocauerit, parùm curandum eſt, cùm ſatis conſtet, Brunonem ab Vrbano vocatum fuiſſe. Itaque cœptum ſequamur. Accepto autem huiuſmodi nuntio, quantis anguſtijs quantoq; dolore Bruno cum ſuo paruulo grege affectus ſit, facilè dici non poteſt. Cogebat eum Apoſtolico mandato vis obedientiæ protinus audire. Nec clàm erat, quod primi Regum capite 15. ita deprompt͏um habetur. *Melior eſt obedientia quàm victima, & auſ-*

Ordo Cartuſ. quādo & ſub quo cœperit.

1. Reg. 15.

& auſcultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle aquieſcere. Pulſabat nihilominùs Brunonis animum vehemẽter ſui gregis diſſipatio, quam ob diſceſſum ſuum imminere videbat, præſertim cùm omnes palàm aſſererent, ſine patris conſortio ſe nullo pacto manere velle, ſed nec tutum quidem eſſe, pauculas oues vicinis lupis ſine paſtore ipſo in deſerto habitare. Itaque graui in lucta conſtitutus erat Bruno. Parte quidem vna pugnabat obedientiæ virtus, ad diſceſſumque impellebat: altera verò certabat compaſſio, quæ lugentes miſerata ſtimulabat patrem, ne filios deſereret. Quid faceret dominici gregis paſtor? quid pius Pater diceret? Nunquid putas eum perplexitate quadam (ſi tamen vera vlla eſſe poſſit) tum intricatum? Verùm Bruno tali modo conſtrictus, anxiè cogitans quid ſibi ſanè faciendum eſſet, tandem iuſtis rationibus impulſus, cenſuit abſcedendum eſſe. Inprimis quidem, vt quam ſæpe verbo laudauerat obedientiam, facto probaret, ac re ipſa monſtraret. Caſſa enim ſunt præcepta, quæ aduerſis operibus improbantur. Ne igitur vel obedientiæ iura temeraret, vel præcepta ſua contrario ſolueret exemplo, putauit diſcedendum ſibi eſſe. Deinde vt tam egregio exemplo doceret, viriliter maioribus eſſe parendum, cunctaque (quantumuis grata) potius eſſe deſerenda, quàm obediẽtię iura violando: doceret, inquã, nõ verbis tantũ ac ſignis patres à filijs honorandos, ſed reipſa quoq; iuuandos eſſe, quum vel ſe opportunitas offert, vel flagitat neceſſitas. Qua in re debent, qui ſe Brunonis diſcipulos profitentur, dili-

diligenter aduertere, quanta cura, quantoq; ſtudio ſit maioribus obediendum. Si enim Bruno ſolitudinem, quam tanto labore quæſierat, gratiſſimamque ſocietatem, & denique miram cõtemplationis ſuauitatem deſtituere decreuit, ne ſanctiſſima obedientiæ iura labefactaret, quid obſecro Brunonis poſteritas factura eſt? Enimuerò præceptoris veſtigia ſectando, intemeratam obedientiam iugiter obſeruare debet, ſi ſapit: præſertim cùm ſine obedientiæ condimento nihil Superis ſuaue, nihilque gratum eſſe credatur. Quapropter cætera omnia tantæ virtuti cedant, operæpretium eſt. Sed ad inſtitutum reuertamur. Bruno denique diſcedendum putauit, vt priſcos anachoretas imitaretur, quos iuſta impellente cauſa ſuas heremos deſeruiſſe non ambigebat. Ne igitur degener videretur, in hoc quoque eos referre ſtuduit. His itaque cauſis (quas diximus) Bruno perſuaſus, locum cœtumque gratiſſimum cenſuit deſerendum. Verùm enimuerò qua erat prudentia, antequam locum miſſum faceret, in primis eum putauit reponendum in eorum manibus, à quibus principio acceperat, ne ſcilicet ad indignas vel prophanas manus locus ipſe, diuinis iam dicatus, aliquando deueniret. Itaque montem ipſum Abbati Caſæ Dei (qui ex ſeptem donatoribus vnus fuerat) tradidit, publicoque inſtrumento confecto palam commendauit. Quibus expletis, mox Bruno Papam adiuit. Quo autem Brunonis alumni ſe contulerint, nõ ita certum eſt. Quidam putant, eos ſuauiſſimo patre orbatos in diuerſa ſe contuliſſe. Alij dicunt, eos patrem ſecutos pontificiam quoque curiam adiuiſſe. Verùm vtcunque res habeat, certum eſt montem

Sine obedientia nihil Deo gratum.

tem

tem ipſum Cartuſianum, & à Brunone,& à ſuis quoq; alumnis derelictum fuiſſe. Itaq; locus ille ſexto anno poſtquam habitari cœperat, ſuis eſt habitatoribus deſtitutus. Tùm vidiſſes arduos montes non ſaltare, ſed lugere, niues quoq; mœrore confectas nigreſcere, & demùm feras quibus poterant lachrymis ſuorum dominorum abſceſſum mirabiliter proſequi.

CAPVT II.

De inſtauratione vitæ Cartuſianæ, gratia cuius videtur potius laudanda, quam taxanda vita ipſa.

SEd iam miram Cartuſianę vitę inſtaurationē afferamus. Deſtituto, vt diximus, monte Cartuſiano, Brunoneq; apud Pontificem agente, pientiſſimus Dominus, cuius incomprehenſibilia ſunt iudicia, qui & diſperſa congregare, ruinasq; implere, & aberrantes reuocare ſolet, rei Cartuſianæ ſic afflictæ miſericorditer conſulere dignatus eſt. Eius ſiquidē numine (quod ſæpiùs Brunonem, qui ſuorum diſceſſu filiorum vehementiùs cruciabatur, precibus ſollicitaſſe putamus) factum eſt, vt Brunonis ipſius diſcipuli necdum anno vno poſt diſceſſum finito, ad eum quem deſtituerant locum, omnes vnanimiter redire, ibique habitare decreuerunt. Quod vbi cordatus Bruno intellexit, omnibus inceſſit lætitijs, curauitq; protinus literas Apoſtolicas ad venerabilem virū Siguinum Abbatem Caſæ Dei mittendas, quibus mandabatur, vt Cartuſianum montem per Brunonem ſuis in manibus dimiſſum, ipſius Brunonis diſcipulis intra dies triginta cum omni priſtina libertate redderet. Quod Abbas libenter effecit, & per publicū inſtrumen-

ſtrumentum magiſtro Lauduino cæteriſq; Brunonis alumnis locũ ipſum plenè reſtituit. Quem læto alacriq; animo ſuſcipientes, feruentiùs poſteà coluerunt. Sic ergo volente Deo, ſollicitante Brunone, mandãte Pontifice, fauente Abbate, Brunonis diſcipuli Cartuſianam vitam vtcunq; intermiſſam mirabiliter inſtaurauerunt. Tum montes, quos anteà ſuorum diſceſſum incolarũ luxiſſe dixeramus, in huiuſmodi reditu ſua præ gaudio motare cacumina, niues magis ac magis candeſcere & demùm feras, ac ſi Orpheus lyra perſonuiſſet, mirum in modum ſaltare vidiſſes. *Inſtauratur vita Cartuſien.*
Iam verò probandum eſt, nec Cartuſſanum locum indigniorem putare debere, quòd aliquando ſit deſtitutus, nec Cartuſianum quoq; negotium minoris eſſe, vel momenti, vel dignitatis, quòd paruo tẽpore intermiſſum ſit. Inprimis locus ipſe nõ floccifaciendus, ſed potiùs cõtrà pluris æſtimandus eſt, quippe qui tantæ fuerit virtutis, vt ſuos incolas reuocare potuerit. Tantæ quoque dignitatis, vt nec ſine Dei cultoribus, nec abſque diuinis laudibus valuerit remanere. Ipſe quoque ſtatus Cartuſianus mirabilior cenſeri debet, quòd poſt breuem interruptionem ita inſtauratus ſit. Siquidem ea, quæ poſt intercapedinem quandam reparantur, ſolent poſtmodùm meliora, firmioraque ſæpe videri. Sic enim ſemina in terram iacta prorſusq; defecta, poſteà vberiora recipiuntur. Sic vires per laboris improbitatem fatigatæ, atq; (vt ita dixerim) interruptæ, maiores redire conſueuerunt. Sic exercitus principio diſſipatus, ſi poſtmodùm vniatur, fortiùs pugnat. Sic multi peccato ſauciati, per pœnitentiæ lamenta ſanctiores interdum efficiuntur. Sic gratia per ſcelus exploſa,
maior

maior in reſurgentibus ſpiritaliter pro communi ſentētia redire ſolet. Sic humana corpora per mortem diſſoluta, longè præſtantiora reſurgũt,
Exod.14. quam meruerunt. Et vt de ſcripturarum authoritate quicquam proferatur, ſic tabulæ legis lapideæ, quæ per Moyſen confractæ fuerant, iuſſu Dei reparatæ perſeuerauerunt, multoque diutiùs quàm alteræ durauerunt. Sic volumen le-
Iere.36. gis per Baruch, Hieremia dictante ſcriptum, quod Ioachim rex Iuda impia temeritate igni conſumpſerat, poſteà reparatum multò plures, quàm antè, ſermones complexum legitur. Sic
1. Eſdr. 6. templũ Domini, quod duce Zorababel inſtaurari cœptum fuerat, & perditorum quorundam accuſatione intermiſſum, poſtea regijs ſumptibus diligenter confectum eſt, cuius maiorem, quàm primi fuiſſe gloriam, ſacræ ipſæ literæ te-
Agg. 2. ſtantur. Sic Iudæi flagitijs promerentibus in di-
Iudit.5. uerſa diſperſi poſtmodum fortius adunati ſunt Sic diſcipulorum (quos Chriſtus Dominus ele-
Luc.24. gerat, & iam ex eis quoſdam cœli, terręque prin-
Ioan.21.
Act.2.3. cipes conſtituerat) collegium vſque adeò in eius morte diſperſum, vt etiam relicta Hieruſalem nonnulli ad caſtella ſe conferrent, ipſo Domino corporaliter ſuſcitato, ſpiritaliter mirabiliterque ſurrexit, conſtantius quidem ac firmius, & fide, amoreque feruentius. Sic denique alia multa id genus interdum diſſipata, poſteà mirabiliter inſtaurata fuiſſe, graues hiſtoriæ meminerunt. Quibus animaduerſis, non debet inſtitutio Cartuſiana minus æſtimari, quod ſemel diſſipata ſit, cùm firmior, ſanctaque perſeuerantia fortior ita ſit effecta, vt nullam deinceps vacillationem ſenſerit vnquam. Sed nec myſterio vacat, quod ſeptimo poſtquam cœpta fuerat anno, repara-

parata ſit. Vt enim ſeptimo die poſt rerum creationem Deus ipſe ceſſauit ab operibus quæ parârat, & ſabbato (qui ſeptimus dies eſt) in ſepulcro poſt mundi reparationem quieuit, & denique ſeptimum annũ quieti, ac iubilæum (qui ſepties ſeptem continet) libertati deputari lex vetus iuſſit: ita Cartuſiæ habitatores non iniuria ſeptimo anno regreſſi putantur, vt à ſeruilibus ceſſantes operibus, & quieto contemplationis otio in cella (velut quodam ſepulchro) incumbentes, tandem exacto huius vitæ ſeptenario (vita enim præſens replicato ſeptem dierum curriculo agitur) ad æternam libertatem ac requiem (quæ per iubilæum deſignatur) ſe cum ſua poſteritate peruenire poſſe intelligerent. Sed de his hactenus Iam verò poſtquam de Cartuſianæ vitæ origine, authore, qualitate, nuncupatione, & demùm inſtauratione ſuprà dictum eſt: de ipſius commoditatibus, excellentijs ac exercitijs, dicendũ foret, ſed præſtat inprimis ea, quæ de authore eius Brunone dicenda ſuperſunt, in præſentiarum afferre, ſicque primo huic certamini finem imponere.

Geneſ. 2. *Luc. 23.* *Leuit. 25.*

CAPVT III.

Ad Brunonem reditur, explicaturq́; quid Bruno poſt diſceſſum à Cartuſia egerit, cur ad eam tandem non redierit, quid poſtea egerit, & demùm quo pacto obierit.

OBLOCVTOR.

PLacet ea, quæ de tuo Brunone dicenda ſuperſunt, diſcutere. Ex his enim tuam Cartuſianam vitã nec Superis, nec mortalibus fuiſſe gratam, apertè mõſtratur. Si enim ſancta, Brunonique grata fuit, cur obſecro ad ſuos Cartuſiæ

vitam

vitam illam agentes, dimiſſa curia non redijt, ſed aliò ſe conferens, rebus exceſſit humanis? Pet. Réliqua noſtri Brunonis geſta narrare, vitæque illius finem imponere cupientes, aptum putamus ea quę dicta ſunt, breuiſſimè replicare, ſimulque illa perſtringere, quæ ſuperſunt, quò vitæ ſummariũ ante oculos auidi lectoris ponatur, & dictis commodiùs aptentur dicenda. Itaq; (vt epitoma tangamus) de noſtro Brunone primum diximus qualis fuerit tùm origine, tùm ſeculari (ne dixerim mundiali) conuerſatione, deinde rem proſecuti, declarauimus quid eũ impulerit ad ſeculum deſtituendũ. Poſteà verò cur ſolitariam vitã potiùs, quàm aliã quamuis regularem duxerit eligendã. Inſuper quid cauſæ eũ mouerit ad petendam regionem Gratianopolitanam. Porrò quonam modò iter ipſum confecerit, & ab Hugone pio antiſtite ſuſceptus ſit. Poſtmodùm cur locũ montuoſum, & eum quidem Cartuſianũ magis quàm aliũ, habitare conſtituerit. Ad hæc quid in arido deſertoq; loco tulerit ipſe frugis, quamq; plantationẽ ibi fecerit. Ampliùs quid nominis ſuſcepto propoſito impoſuerit. Deniq; qua rationẽ locũ ipſum tanto labore quæſitũ deſtituerit, deſtitutumq; nihilomin⁹ inſtaurari curauerit. Hoc eſt Epitoma eorũ quæ ſparſim de Brunone ſuperi⁹ dicta fuere. Iam verò ſupereſt afferre, quid Bruno poſt Cartuſiani loci deſtitutionẽ, apud Romanũ Põtificem fecerit, cur ab eo diſceſſerit, quid etiam cauſæ fuit, cur ad ſuos Cartuſianos non redierit, quò ſe contulerit, quidnã egerit, quo pacto vita deceſſerit, & demùm cur Canonizationis honore tam diutino tempore decoratus minimè ſit. Hæc eſt Brunonianæ vitę ſumma. Hæc inquam,

tota

tota noſtri Brunonis vita punctis quibuſdã ſummatim perſtricta, & ante lectoris oculos adducta. Cuius bonam, vt diximus, partem iam explicauimus. Reliquum eſt vt Epitomate propoſito declarationem eorum, quæ plenius diſcutienda ſuperſunt, aggrediamur. Qua in re primùm tractemus, quid Bruno pontificia in curia verſatus, egerit. Nempe cum Vrbano ipſo, qui Brunone vſus præceptore fuerat, multos pro re Eccleſiaſtica ſuſcepit labores. Sed nec tribulationũ, quibus affectus fuit Vrbanus, expers Bruno fuiſſe credendus eſt, quippe qui fidus pontificis comes lateri ſemper hærebat. Enimuerò, vt de Vrbani afflictionibus aliquid tangamus, cùm ipſe parùm tutus Romæ foret, vel quod Romani rebus nouis ſtuderent, horrerentque ciuitatem recenti incendio adhuc conſternatam, vt inquit Platina, vel vt alijs (in quibus eſt Sabellicus) placet, quod timeret ab Henrico imperatore pati quicquam detrimenti (Vrbanum enim infenſũ habebat Henricus ipſe, propterea quod Gregorij 7. viri ſanctiſſimi acta tueretur, quem Henricus multis dum viueret calamitatibus affecerat) ſeſe in vrbe non continebat, ſed varia in loca ſe recipiens, orbis potius quàm vrbis agebat negotia. Quæ quidem, vt tractaret commodiùs, multos conuentus ſeu Concilia generalia conuocauit. In quibus præcipuum illud fuit, quòd apud Clarum montem Auernorum vrbem celebratũ eſt. In quo multa ad Eccleſiæ Catholicæ decus incrementumq; ordinata ſunt, peculiariter verò bellum pro recuperanda terra ſancta decretũ eſt. Sancitum quoque, vt B. Virginis Horæ quotidiè dicerentur, quod fratribus Cartuſiæ anteà per Virginem ipſam reuelatũ fuiſſe dicunt. Hæc

Bruno qd in Ro. Curia fecerit

igitur, aliaque id genus permulta cùm Vrbanus ageret, multumque pro Chriſtiana pietate ſollicitus laboraret, Bruno ipſe pontificẽ multis leuabat oneribus, iuuabat cõſilijs, & demùm, qua erat induſtria ac promptitudine, multa faciliter expediens, non parùm Eccleſiæ frugis afferebat. Interea dum hæc agerentur, Vrbanus ipſe tantam Brunonis induſtriam, probitatemq; diligenter contemplatus, voluit eum Archiepiſcopali Riſenſis ſeu Reginenſis Eccleſiæ dignitati (ad quam, ipſo pontifice curante, fuerat electus) præficere. Verùm Bruno ipſe nullo penitus modo aſſentire voluit, ſed oblatam ſibi ſarcinã humiliter reiecit. Quid hoc loco, precor dicturi ſunt noſtri tẽporis ambitioſi, qui cum ſæpè nullius ſint momenti, nihilque habeant ſacerdotio dignum, totos intendunt neruos, vt deſideratos honores conſequantur, quos ſancti viri (in quibus fuit Bruno) totis viribus quondam reſpuebant? Sed inſtitutum proſequamur. Bruno recordatus quietæ ſuauitatis, qua iugiter in heremo paſci aſſueuerat, graues tandẽ tumultus aſſiduaſque curas, quibus ſectatores ſuos curia ſolet afficere, & grauiter ferre (vtpotè quibus deuotionis feruori magnum frequentius afferat detrimentum) & ſolitariã vitam deſiderare vehementius, ſuſpirareq; cœpit. Nec mirum prorſus. Habet. n. neſcio quid latentis energiæ ſolitudo, qua ſuorũ amatorum intima penetrat, eoſque velut natale ſolum quadã dulcedine allicit, immemores nec ſinit eſſe ſui. Itaq; miro ſolitudinis ardore ſuccẽſus Bruno, tam ardens deſiderium, quo ſollicitũ pectus æſtuabat, nec diutiùs cælare, nec conceptum mente dolorem vltrà diſſimulare valens, quid intùs anguſtiarũ, quid deſolationum haberet,

Bruno recuſat Archiepiſcopatum.

ret, Vrbano tandem aperuit, inſtantiſſimè rogitans, vt diſcedēdi facultatem impertiretur. Quā Pontifex ipſe multis precibus victus, tandem (licet ægrè admodum) conceſſit. Hoc loco forſan loquacior aliquis Brunonem incuſabit, quod & Pontificium, cui plurimùm aptus erat, refutârit, & curiæ labores fugerit, quibus non parùm Eccleſiæ conſulebat vtilitati. Verùm vt hæc reprehenſionis pellatur temeritas, rogo ſi licuit ſacerdotium iam habitum (quod ſupra diximus) deſtituere, cur non licuit pontificium longè quidē grauius ac periculoſius, quod nondum habebat, refutare? Deinde ſi viri præſtantes, quam habebant dignitatem pontificalem deſeruerunt (qui tamen propterea reprehēſi non leguntur) quare non potuit Bruno tremendum onus (quod ſuis necdum humeris impoſitum erat) prorſus refellere? Enimuerò, vt aliquid probatiōis afferatur, Gregorius Nazianzenus, vir eloquentiſſimus (quo ſe præceptore vſum ſacer Hieronymus refert) dignitatem epiſcopalem, cunctis licet repugnantibus, ſponte depoſuit, publiciſq; laboribus prætulit otia literarum. Petrus quoq; Damianus exemplum huiuſmodi ſecutus, copioſè diſſeruit Pontificiam ſarcinam gratia ſolitariæ vitæ deſeri poſſe. Denique Hieronymus ipſe (de quo nuper meminimus) quamuis Reipubl. mirum in modum vtilis eſſet, & Romæ adeò clarus haberetur, vt omnes eum Papatu digniſſimum acclamarent, vrbem reliquit, liuidorumque perfidiæ ceſſit, quorum inſanos motus faciliùs putauit per abſentiam ſedari poſſe. Si abſcedere Hieronymo licitum fuit, nonnè & Brunoni curiæ tumultus fugere licuit, vt pericula fugeret, mentiſq; incumberet tranquillitati, & deniq; quam

Greg. Nazianz. Epiſcopatū relinquēs, ſolitariam vitam obiuit.

in heremo ſuauitatem expertus fuerat, recuperaret? Sed ad inſtitutum redeamus. Bruno ita diſcedendi facultate donatus, curiam protinus miſſam facere, & heremum quãdam, cui Turris nomen erat, in Calabriæ Diœceſiſque Squilacenſis finibus ſitam, diligenter adire curauit. Verùm antequam proficiſceretur, Cartuſianum (quod ſuprà diximus) locũ ſuis alumnis reſtitui, & magiſtrum Laûduinum in ſuum locum ſubrogari fecit. Hic autem grandis quæſtio, quam noſter Oblocutor vtcunque mouit, curioſam mentem pulſare poteſt, cur Bruno ſolitariam vitam ſitiẽs ad Cartuſianum montem, quem diuinitus elegerat, miroque fuerat amore complexus, curia ſalutata reuerſus non eſt, maximè cum ſocios illuc regreſſos, primoque in propoſito perſeuerantes non dubitaret? Cui reſpondentes inprimis dicimus, diuina hoc prouidẽtia factum fuiſſe, quæ vbi Cartuſiana vita regionem Ciſalpinã decorauerat, in eaque ſpecioſiſſimam columnã, hoc eſt, anachoreticã vitam, erexit, voluit quoq; Trãſalpinam plagam per Brunonem huius muneris fieri participem. Deinde hoc à Brunone factum putatur, vt inanem gloriam fugeret, fugiẽdamque doceret. Timuit enim laudis humanæ ſtimulis agitari, quibus duri quoque perduntur heremi labores. Erat enim fama eius per loca Cartuſiæ finitima quam vulgatiſſima. Quamobrem ſibi conſulere volens, locum magis adeundum putauit, in quo mortalib⁹ incognitus, prorſuſque inglorius viuere poſſet. Sciebat enim, humilitatem (in qua præcipua eſt Chriſtianæ religionis diſciplina) honoribus periclitari ſolere. Sciebat, inquam, magnos viros interdum vanæ gloriæ flatibus agitatos corruiſſe, multoſq; tandem

dem perdidiſſe fructus, quos diutino tempore magniſque ſudoribus legerant. Timens igitur Bruno, callidæ huius beſtiæ inſidias (quas rari etiam ſpiritales vix euadere poſſunt) aliò migrandum putauit, vbi tutiùs agere poſſet. Inſuper hoc Bruno feciſſe putatur, ne propter multam ſecularium frequentiam (quæ veris ſolitarijs odioſa eſſe ſolet) ſeu temporalium negotiorum implicationem, à tranquillo mentis ſtatu vel dimoueretur, vel impediretur. Nolebat enim homines fugiens, iterum homines inuenire. Nolebat, inquam, ſeculi tumultus deſerens, rurſum curis ſecularibus occupari, ſtultũ eſſe reputans, corpore quidem deſertum colere, mente verò temporarijs ſollicitudinibus lacerari. Ne igitur in detrimenta huiuſmodi eum incidere oporteret, Cartuſiam redire noluit. Enimuerò cum Vrbanus ipſe, de quo ſuprà meminimus, gratia cõcilij apud Clarum montem celebrandi. Alpes tranſgreſſurus eſſet, prudens Bruno ſatis præſagiebat, multam curialium turbam partim ſui (ſi Cartuſię habitaſſet) partim loci videndi cauſa, illuc eſſe cõceſſuram, quæ dubio procul optatã mentis quietem habere eum non ſiuiſſet. Adde quòd non ignorabat, ſe Cartuſiæ ſine impedimẽtis eſſe non poſſe. Si enim eum Vrbanus magnis negotijs tũc temporis preſſus, habuiſſet in promptu, multis & literis & nuncijs ad opem Reip. ferendam ſollicitaſſet. Non potuiſſet igitur, quod optimè nouerat, id aſſequi, propter quod curiæ tumultus deſtituerat. Non potuiſſet, inquam, vt dicamus apertiùs, quiete, ſuauitateq; mentis frui. Deniq; hoc factum fuiſſe putari poteſt, vt talentum ſibi creditum varijs in locis multiplicaret, ſuoq; doceret exemplo, eos quibus libera facultas adeſt,

non vno tantum loco bonæ vitæ ſemen iacere debere. Cùm igitur magiſtrum Lauduinum virum probum atque aptum in ſui locum ſubrogari curaſſet, ſatisq́; negotio Cartuſiano ſuo fuiſſet iudicio conſultum, aliò migrandum putauit, quò ſalutis perpetuæ lumen diffunderet, multoſq́ue faceret heremiticæ vitæ cultores. Sed iam aſſignatis huiuſcemodi cauſis, reliqua proſequamur. Bruno curia non citra rationem ſalutata, ſocijs quibuſdam comitatus, quos heremiticæ vitæ deſiderium, bonuſq́ue ardor Brunonis in ſuos ad quærendam ſolitudinem concitauerat, heremum (quam diximus in Calabriꝫ finibus ſitam) adijt, vbi cum ſocijs, quorum alij clerici, alij laici erant, ſibi diuinitùs adiunctis, heremiticam vitã plantare feruenter ſtuduit. Et primùm quidem habitacula ſeu domunculas, feris quàm viris aptiores, quas & potiùs ſpelũcas ſeu cauernas, quàm cellas dixeris, vili quidem materia, ſed in Chriſto prætioſa, extruere cœpit. Non enim ſinebat inopia maiora principio ædificia conficere. Sed nec humanum ſubſidium Bruno concedebat flagitãdum, quippe qui tum latêre, tum in magna paupertate viuere decreuerat. In his itaq; latibulis Bruno cum ſuis degens anachoreticam vitam (quàm primùm Cartvsiae plãtauerat) deuotè agere, diuinis laudibꝰ precibusq́; aſſiduis incumbere, nocturnas diligenter obſeruare excubias, cõtemplationis ſuauitate mirum in modum oblectari, & denique angelicam in terris vitam ducere, totis viribus ſtuduit. Sed nõ multò pòſt, tantum ſydus ſuum iubar emittere diuina prouidentia fecit, neque paſſa eſt lucernam huiuſmodi ſub modio diutiùs latitare, ſed eam voluit ſuper candelabrum poni, vt luceret omnibus

Bruno latere voluit.

nibus in Eccleſiæ domo conſtitutis. Quod quidẽ hoc modo fuiſſe factũ, paſſim Rogerius refert. Cum eo tempore Dux Calabriæ in locis heremo vicinis, venationi incumberet, contigit canes omnia ſuo more luſtrantes, ad heremum ipſam venire. Qui Brunonem cum ſuis intuentes, mox (diuino numine id agente) genua flectunt, caudæq; blandimento lætitiam oſtentant, & maiorem in modum latrantes copioſam, nouamq; venationem ſe reperiſſe indicant. Itaq; tam ingenti latratu Dux ipſe percitus, calcaribuſque equum in quo ſedebat vehementius ſtimulans, ad clamoris locum multo agmine ſtipatus citiſſimè properat, multam ſperans venationem ſe reperturum. Nec enim fefellit opinio. Dum enim feras venando ad mortem perſequi animus eſſet, ſuam ipſe animã venatus eſt ad vitam. Igitur cùm ad venaticos canes perueniſſet, eoſque vidiſſet poplite flexo, Sanctos ipſos venerari, caudæq; blandimento adulari, latrare præ gaudio, & demũ immobiles permanere, miro ſtupore afficitur, ſtatimq; equo deſiliẽs, patres illos ſalutat reuerenter, cauſamq́ue rogat, curnam in locum illum ſe recepiſſent. Quibus reſpondentibus, heremiticæ vitæ gratia illuc aduenisse, ingenti gaudio affectus Comes, immenſas Deo gratias egit, qui tanta eum præda dignum feciſſet. Itaq; totus gratulabundus, ſimulque ſperans ſeipſum terramque ſuam precibus eorum protegi foueriq; poſſe, dedit eis Eccleſiam B. Mariæ & ſancti Stephani de heremo, vt quietiùs viuere poſſent, & à loco, propoſitoq́ue cœpto nõ dimouerentur, quibus & de vitæ neceſſarijs prouidere, conſolari, & viſitare, diligenter curauit. Sed & quamdiu vita comes affuit, patres ipſos

ingenti ſemper & veneratione, & amore proſecutus eſt, quos & frequenter (vt diximus) viſere, & eorum ſe precibus plurimùm facere commẽdatum ſolebat. Peculiariter verò Brunonem venerabatur diligebatq; intimius, quem ad ſe frequenter euocabat, & quaſi primum in ſua domo habebat, cuius & conſilijs inhærebat, & orationibus iugiter ſe commendabat, cõfidens ſibi nihil poſſe detrimenti contingere, ſi orationibus illius pręmunitus foret. Cuius non inanem ſpem fuiſſe, ſequens probauit euẽtus. Enimuerò Brunonis precibus à proditione, quæ in eum à Sergio natione Græco excogitata, parataque fuerat, quo tempore ciuitatem Capuanam obſidebat, liberatus fuit. Quod nonnulli hoc modo factum referunt. Cùm enim contra principem Capuæ bellum Comes ipſe Rogerius haberet, ac vrbem eius multa manu obſideret, tẽtauit ipſe princeps Capuæ quoſdam ipſius Rogerij nobiles muneribus corrumpere, & ad prodendum eum ſuiſque manibus tradendum inclinare. Cui cùm aſſenſiſſent, & breui ſuæ vellent promiſſioni reſpondere, mox Bruno ipſe (qui ſeptem dierum itinere & eo amplius à loco illo diſtabat) Comiti per viſum in ſomnis apparuit, dicens: Surge qui dormis. Confeſtim exurge, ſume arma, ſi liberari te Deus permiſerit, tuorumque animas pugnatorum, alioqui proditus à tuis in manu principis Capuæ traderis. Præſtò ſunt, qui te tradere properant. Mox verò dux ipſe Rogerius ſomno excitatus, ſumpſit arma, multos ex proditoribus cepit, inquiſitionem fecit, veritatem comperit, & tandem flagitioſos illos, qui proditionis authores fuerant, in carcerẽ coniecit extremo ſupplicio poſtmodùm afficiendos. Verùm Bruno

Brunonis precibus Dux ipſe à proditiõe ſeruatus eſt.

duci

duci ſoporato rurſum apparens, prohibuit ne id attentaret. Caue inquit, ne id feceris, hoc enim modo ſuperos grauiter offenderes. Non enim proditores ipſos arcu tuo cepiſti, non tua quoq; induſtria, non tua ſapientia, ſed diuino munere id effectum eſt. Quibus verbis dux ipſe perſuaſus, proditoribus quidem ſuis pepercit, eos tamen ſeruituti ſubiecit in hunc modum. Quoniã inquit, per viſum meꝰ mihi Bruno apparuit, interdixitque ne meritas pœnas exigam: veniam quidem vobis eius contemplatione tribuo, ſed vos cum poſteritate veſtra in perpetuam ſeruitutem Brunonis monaſterio ſubijcio. Quàm illi ſententiam ac legem libenter amplexantes, ſeruos præfati monaſterij per publica inſtrumenta ſe profeſſi ſunt. Cuius rei cauſa multæ poſſeſſiones ad Brunonis monaſterium poſteà temporis lapſu peruenêre. Hæc autem, quæ retulimus, an vera ſint omnia, hæſitamus, quapropter fides ſit penes authorem. Nihilominùs tamen ſatis exploratum eſt, ipſum Rogerium Comitem precibus Brunonis à proditionis periculo liberatum fuiſſe. Quod Comes ipſe ſuis patentibus literis teſtificatur, quas & in hac parte potiùs ſectandas eſſe putamus. In ipſis enim literis fatetur apertè Rogerius ipſe, Sergium Græcum excubiarũ magiſtrum prodere eum voluiſſe, & dum ſoporatus eſſet, quendam plorantem, & vt ſurgeret excitantem ſibi aſtitiſſe, qui ei per omnia Bruno eſſe videbatur, deniq; cùm excitatus arma ſumpſiſſet, clamaſſetque militibus, vt armati equos aſcenderent, ex ſequacibus Sergij fugientibus, & in Capuam ſe recipere molientibus, centum ſexaginta duos inter vulneratos & ſanos ſe cepiſſe aſſerit, à quibus viſionis veritatem habuit.

De altera verò viſiõe, quæ narrata eſt cõſequenter, nihil meminit. Fatetur tamen poſtquã à bello redijt, multa obtuliſſe Brunoni, quæ cùm recuſaſſet, tandem ab eo ſe impetraſſe dicit, vt monaſterium S. Iacobi cum caſtro aliaque bona acciperet. Sed ad Brunonem redeũtes reliqua eius geſta, quæ inuenire potuimus, ſubijciamus. Bruno igitur maiorem nactus oportunitatem, plures heremiticę vitę ſectatores (in quibus aliquos benè eruditos quadam Epiſtola commemorat) diligenter adunauit, cum quibus diuinas obſeruans excubias, Domini præſtolabatur aduẽtum, vt cum veniret ille, confeſtim ei aperiret. Cæterùm nõ ſuis tantùm cum quibus viuebat, ſed alijs quoq; permultis etiã longè poſitis prodeſſe, & creditum ſibi talentum impertiri curauit. Siquidem (vt pauca tangamus) ſuorũ filiorũ, quos Cartuſiã colere norat, curam gerẽs, ſuauiſſimas ad eos literas dedit. Quibus gratulatus plurimũ, quòd in ſuſcepti propoſiti cẽſura permanerent, dulciterq; ſolatus ſalubriter admonuit, vt in cępto pergerent, & Lauduino Priori ſuo (quem apud ſe retinere voluerat) opportuna humanitatis officia impenderent, eumq; reuerenter impellerent ad ea ſumenda, quæ ſibi neceſſaria viderentur. Enimuerò Lauduinus ipſe ad viſendũ Brunonem ſe ad heremũ Calabriæ contulerat, in qua Bruno ipſe crebris grauibusque languoribusq; affectus, Lauduinum retinere voluit. At prudẽs Bruno animaduertẽs Lauduinũ ipsũ multo fratrũ Cartuſianorũ deſiderio ſuccenſum nõ poſſe ſine graui moleſtia apud ſe manere, tandẽ remittere, & ne fortè quodam indiſcreto zelo ſe nimiùm conficeret, ſuos ne id permitterent, admonêre curauit. Curauit & morbis atq; incommodi-

Bruno plures collegit monachos.

moditatibus ſuis alio pacto cōſulere. Ipſe ſiquidem Bruno (quantùm intelligi datur) multis ieiunijs, alijsq; id genus exercitijs ſe ipſum conficiens, in malam valetudinē (qua frequenter afficiebatur) inciderat. Quod & alijs multis patrib' contigiſſe non dubitatur. Siquidē D. Hieronymus ita duris ſe verberibus alijsque detrimentis attriuiſſe fertur, vt & ad inceſſum, ignauia mēbra ſtriderēt, & tandem pendenti è lacunaribus fune, ac manibus comprēhenſo, defectum corpus ægrè leuaret. Sanctum quoque Bernardum legimus vſque adeò vires attenuaſſe, vt & conuentum (quod & ipſe dolenter refert) non poſſet pro voto ſectari. Deniq; multi reperiuntur eximia ſanctitate viri, qui grauibus ſe aſperitatibus cruciantes, in morbos (nonnunquam perpetuos) propterea inciderint. Quid nos hoc loco vētris animalia dicturi ſumus? Quando (precor) nimio abſtinentiæ rigore morbis conficeremur, qui (prô dolor) niſi prurienti gulæ ſuprà modum tribuerim' quod expedit, niſi pinguis aqualiculus varijs cibis fuerit affatim refertus, niſi demùm turgidæ Baccho venæ intumuerint, cōtenti non ſumus, grauiter ferimus, ingratè murmuramus. Sed cœptum proſequamur. Bruno igitur tùm diuinis, tùm humanis literis egregiè præditus, fama percelebris, virtutum plenus, fęcundus meritis, Superis gratiſſimus, optimeque meritus de religione, & demùm in omni ſanctitate conſummatus, poſt multos diutinosque huius calamitoſæ vitæ labores, anno (poſtquàm egreſſus Cartuſia fuerat) vndecimo vel circiter, in extremum decidit languorem. Quod animaduertens, fratres ſuos adeſſe iuſſit. Quibus à teneris (vt aiunt) vnguiculis ætates ſuas,

Aſpera vita ſanctorum Patrum.

Ingulæ ventriq; deditos.

ſuas, totumque exactæ vitæ tempus inprimis retulit. In quo nihil niſi laude dignum apparuit. Deinde admonens ad humilitatem ſectandam, obſeruandamque perſeueranter charitatem virtutum parentem, eam, quam de ſancta Trinitate fidem intus habebat, longo profundoq; ſermone declarauit, & tandem ita concluſit: Credo etiam Sacramenta, quæ ſancta credit, & veneratur Eccleſia, ſpeciatim verò poſt panis & vini cõſecrationẽ quæ in altari fit, verum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, veram ſcilicet carnẽ, & ſanguinem eſſe, quæ nos accipimus in remiſſionem peccatorum & ſpem ſalutis æternæ. Denique in hac fide perſeuerans fœliciter migrauit ad Chriſtum, pridiè nonas Octobris, anno Domini ſuprà milleſimum centeſimo primo. Cuius corpus fratres digno honore afficientes, ſepulturæ crediderunt, tumuloque eius huiuſcemodi Epitaphium appoſuerunt.

Fides Brunonis de Sacramento altaris.

Epitaphiũ Brunonis.

Primus in hac heremo, Chriſti fundator ouilis
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Alemania, meq;
Tranſtulit ad Calabros grata quies heremi.
Doctor eram, præco Chriſti, vir notus in orbe,
Deſuper illud erat, gratia, non meritum.
Cuius vincla dies Octobris ſexta reſoluit.
Spiritui requiem, qui legis iſta, pete.

Miraculum.

Poſt funus autem, Brunonis ipſius ſanctitas etiam miraculis declarata eſt. Etenim fons quidã viuus in probationẽ ſanctitatis eius ſtatim poſt mortem erupit, qui multis languoribus contulit optatæ remedia ſoſpitatis. Aliud quo nimirum ſanctimoniȩ ei' teſtimonio acceſſit. Enimuerò poſt funus ipſum continuò rumor Brunonis vita defuncti per longa terrarum ſpatia volauit,

uit,vt niſi diuino numine crederetur effectum, vix referendum videretur. Sed cum multa celerioris famæ peruagatique rumoris legantur exempla,quæ authores quidem literis credidêre.dubitari non debet in re tam pia accidere potuiſſe,quod in prophanis cõtigiſſe putatur. Adde cùm paulò antè apud Clarũ montem in Concilio generali, bellum pro recuperanda terra ſancta(quod Brunonis temporibus geſtum eſt) vna omnium ſententia fuiſſet decretum,eodem die famam eius vſque ad extremas terras perueniſſe dicunt. Itaque mirum quidem, ſed impoſſibile videri non debet, quod diximus, ſcilicet famam Brunoniani obitus ſtatim per diuerſas diſtantiſſimasque prouincias vagatam fuiſſe. Qua dolenter accepta,protinus verſiculis (parùm quidem politis, ſed tamen fideliter confectis) quiſque pro viribus tantum virum defleuit, multiſque laudibus eſt proſecutus. Quod certè à tam multis tam repentè fieri non potuit, niſi Bruno fama ſuper æthera notus, & ſanctitatis opinione percelebris, & Superis gratiſſimus fuiſſet. Neque enim ſinguli homines duntaxat, ſed & hominum cœtus ac communitates titulos funerales cõfeciſſe, & in Brunonis laudes certaſſe leguntur.Denique non facilè alium quantumuis illuſtrem inueneris, cui vita perfuncto tanta honoris obſequia à tam multis, tàm ſubitò, tàm varijs in locis exhibita ſint.Non igitur errauerit ille qui dixerit,mirabilem virum miris præconijs(ita Deo peculiariter agente)decoratum fuiſſe.

CAPVT

CAPVT IV.

Agitur inprimis de dilatione canonizationis beatiſsimi patris Brunonis, deinde de ipſa canonizatione ac modo eius.

SED iam opus eſt huic negotio finem imponere, & de canonizatione Patris Brunonis in calce ſubnectere. Qua in re primùm quæri poteſt, cur Bruno in Sanctorum numerum aut ſtatim relatus, aut certè Pontificia canonizatione decoratus non fuit. Cui reſpondemus inprimis, ea quæ poſt Brunonis obitum contigêre, eique miro (vt diximus) modo exhibita fuerunt, ad fidem ſanctitatis eius indubiè aſtruendam ſuffeciſſe, nec alia probatione opus fuiſſe. Deinde dicimus, quadam ſuorum incuria hoc forſan accidiſſe, qui non ſatis diligentes in tanto Patre celebrando, digniſque laudibus proſequendo, fuiſſe videntur. Si enim diligentiam eorum, qui vel multa importunitate ſollicitant principes, terraſque ac maria concitant, vt ſui reponantur in Catalogo Sanctorum, fuiſſent imitati: iampridem Brunonis canonizatio vulgata per orbem, loquaciũ multorũ ora compreſſiſſet. Huius autem incuriæ cauſa, non vna tantùm fuiſſe videtur. Putauerunt enim fortaſsè Brunonis alumni illa, quæ dicta ſunt, ſanctitatis teſtimonia, poſt mortem ſtatim exhibita, ſatis eſſe ad ſanctimoniam Brunonis aſſerẽdam. Aut certè arbitrati ſunt non ita curãdam eſſe humanam probationem, cum multi eximia ſanctitate viri mortalibus incogniti ſint, qui tamen maioris putantur meriti, quàm eorum nõnulli, quos pontificia canonizauit authoritas. Vel denique animaduertentes domum illam Calabriæ, in

qua

qua Brunonis corpus ſepultum erat, à cœpto tenore Cartuſianoque propoſito tandem defeciſſe, alienamque factam fuiſſe: non putauerunt, Brunonis canonizatiõi incumbendũ eſſe. Enimuerò cùm domus ipſa Calabrina quinquaginta annos & ſuprà in heremitica vita per Brunonem oſtenſa perſeuerans, quinque Priores poſt Brunonis obitum habuiſſet, nec temporis lapſu potuiſſet à maiori Cartuſia Patres habere, qui eius curam gererent, tandem tepeſcere cœpit. Erat enim domus illa ſola in regione diſtantiſſima. Cartuſianus quoque Ordo multùm in Burgundia, Subaudia, alijſque locis Cartuſiæ vicinis incrementum acceperat, qua de re oportebat Patres Cartuſianos plurimùm ſolicitos eſſe pro fouenda radice, quæ recens erat, ac riganda planta, quæ in vicinia fuerat plantata. Itaque ſatis in re huiuſmodi tunc temporis occupati, non potuère domus vnicæ ac diſtantiſſimæ curam gerere. Quapropter domus illa Cartuſianum rigorem deſerens, vt diximus, tepeſcere cœpit, & Ciſtercienſibus (qui in ea terræ plaga recenter ſuborti erant) adhæſit. Sic de facto Ciſtercienſis effecta eſt, non autem de iure, vtpotè quę pro Cartuſienſi, non autem Ciſtercienſi ordine, fundata dotataque fuerat. Hic quærere libet, num grauiter incuſari meruerint illi Brunonis ſucceſſores, qui heremiticum rigorem deſerentes, laxioremque vitam ſuſcipientes, paternam hæreditatem alienis tribuerunt? Ita planè. Sed nunquid excuſari potuerunt Ciſtercienſes illi, qui domum non ſibi fundatam inuadere, & tanto tempore ſuis in manibus retinere non erubuerunt? Minimè quidem. Sed quid? Nonnullos offendas, qui, vt ſuas fimbrias dilatent,

Calabria domus quomodo & quãdo defecit.

dilatent, ac maiores opes, gloriam, famamque aſſequantur, nihil intentatum, intactumque relinquunt. Sed ad cœptum redeamus. Animaduertentes igitur Cartuſiani, ſui principis corpus alienis in manibus eſſe, de illius canonizatione admodùm non ſolliciti fuerunt, ne videlicet alieni laborum ſuorum gloriam fructumque caperent. Iam verò tertiam de canonizationis dilatione causã ſubnectamus, dicẽtes, Cartuſianos pauperes, & qui principio de ſuis laboribus victitabant, tunc non potuiſſe, ſed vix etiam nunc poſſe illas facere impenſas, quæ in plena ſanctorum canonizatione neceſſariæ dicuntur. Itaque Brunonem ſuum æthereas ſedes adijſſe, Sanctorumque agminibus fœliciter ſociatum eſſe, nullo pacto ambigentes, minimè curauerunt attentare, quod viribus impar fuiſſet. Tribus igitur de cauſis, quas diximus, Bruno per multa ſecula, in obſcuro penè verſatus, pontificia canonizatione donatus non eſt. Quibus & quarta, ſi placet, addi poteſt. Tantum enim negotium in tempora noſtra dilatum fuiſſe, ac ſummo Pontifici Leoni decimo reſeruatum, non iniuria putari poteſt, quippe qui tanquàm Leo, ſuo rugitu onagrum in deſerto longo tempore ſoporatum excitare, & decimus, hoc eſt, perfectus (numero enim denario perfectio deſignatur) Brunonem perfectiſſimum virum in perfectiſſimæ ſanctitatis teſtimonium canonizationis munere donare aptiſſimè poſſet. Sed iam declaratis cauſis de dilatione canonizationis Brunonis, modum tangamus oportet. Poſtquàm (volente Deo) illam Sancti Stephani domum, in qua Brunonis corpus conditum erat, tandem Cartuſianus ordo recuperaſſet, eamque certa lege

Modus canonizationis Brunonis.

Recuperatur loc⁹ vbi ſepultus eſt Bruno.

lege recepiſſet à quodam domino Cardinali in cuius manibus erat, tam fœlicem nactus opportunitatem, & ſui Principis venerabile corpus in ſua facultate habens, protinus curauit quem potuit honorem ei diligenter impendere, & de canonizatione illius ſollicitus eſſe. Itaque rei huius gratia quidam Cartuſiani Patres ad hoc deputati, præfatum Pontificem Leonem decimum, anno ſuprà milleſimum quingenteſimo quartodecimo, die nonadecima menſis Iulij adierunt, inprimiſque retulerunt ea, quæ Pontificem ipſum ad canonizandum Brunonem Cartuſienſis ordinis primarium inſtitutorem inclinare poſſent, videlicet quo pacto beatus ipſe vir, declinante Chriſtiana militia, & charitate propter iniquitatis abundantiam plurimùm frigeſcente, tanquam Dux ſtenuus ad reſiſtendum hoſtibus nouum in Dei Eccleſia inſtruxit & inſtaurauit exercitum: quoque pacto ille in vineam dextera Domini plantatam, iamque vitiorum ſentibus obſitam, veluti ſolertiſſimus Paterfamiliâs vſque adeo multos fideles conduxit, miſitque operarios, vt vberiores ex ea fructus Eccleſiæ ſanctæ prouenirent, & odorem ſuauitatis proferant, & ſanctitatis. Quomodo inſuper ipſius beati Brunonis admiranda variaque doctrina, vitę caſtigatiſſimæ odor, innocentiæ exemplum, & munditiæ ſplendor, multos ſanctæ adoptionis filios peperit paritque, ac nutrit inceſſanter: denique quomodo præfatus Ordo, Patris ipſius & meritis exornatur, & comprobatur miraculis, & demùm iugiter de virtute in virtutem creſcit, rigans montes de ſuperioribus ſuis, & de fructu operum ſuorum ſatians terram. His igitur alijsque id genûs ad per-

ad perſuadendum depromptis, Patres illi ſuppliciter flagitârũt, vt pro Omnipotẽtis Dei gloria (qui in ſuorũ exultat veneratione Sanctorũ) ac præfati Cõfeſſoris honore, illiusq; patentiſſimis ſanctitatis operibus, ſignisq; virtutũ (quibus in carne poſitus claruit, & ad cœlos euocatus perpetuo ſplendore micat) de Apoſtolica benignitate dignaretur, Põtifex ipſe impertiri facultatẽ feſti quotannis celebrandi ſub ſexto Octobris die, quo poſita carnis ſarcina B. ipſe Bruno perpetuam volauit ad gloriã. Tandem poſt narrationem propoſitam precesq; fuſas, Pontifex ipſe aſſerẽs (quemadmodum in literis ſuper hoc cõfectis habetur) ſe iamdudum multa de laudibus ac ſanctitate ipſius diui Brunonis intellexiſſe, arbitratus dignum eſſe ac rationi conſentaneum, vt quem Deus tantis in hoc ſeculo donis ac gratijs inſigniuit, ad cœlosque euocatum multo honore dignatus eſt, in terris quoque digna veneratione colatur, eique debitæ deuotionis impendatur obſequium, ipſorum oratorum precibus libenter aſſenſit, omnibusque Cartuſianis feſti ſolenniter quotannis faciendi poteſtatem ſuis in domibus dedit. Dedit & facultatem ipſius Brunonis corpus digno honore proſequẽdi, aptumq; Officium decãtandi, & denique memoriam eius ſingulis diebus faciendi.

Quibus modis colendi ſunt Sancti.

Quam gratiã nos Brunonis alumni non ingratè ſuſcipientes, agamus (ſicut par eſt) iugem noſtri principis memoriam, inclita geſta referamus, proſequamur laudibus Patrem, Præconia hilariter decantemus, feſta veneremur deuotiùs, arduam vitam miremur, ſancta ſectemur veſtigia, & denique ſupplices aſſiduasq; preces ei fundamus, quibus adiuti aſperum, difficilè, altumque

tumque iter, quod nobis dux ipſe oſtendit, inoffenſo calle tenere, mundum prorſus floccifacere, hoſtes nobis iugiter aduerſantes ſuperare, & demùm vita perfuncti cæleſtem adire patriam fęliciter valeamus. Amen.

Primi Libri de vita Cartuſiana Finis.

D. PETRI SVTORIS
DOCTORIS THEOLOGI
PROFESSIONE CARTVSIANI,
de vita Cartuſiana,
LIBER SECVNDVS.

LIBER SECVNDVS QVINque Tractatus complectens. Quorum primo agitur de generalibus vitæ Cartuſianæ laudibus, quæ partim figuris, partim ſimilitudinibus, ſiue comparationibus explicantur.

CAPVT I.
LIBRI HVIVS PARTITIO PRAEMITtitur, & Cartuſiana vita ſub nomine cellæ, collaudanda inſinuatur.

OBLOCVTOR.

QVANQVAM multa de tua Cartuſiana vita dixiſti, eius originem qualitatemque ſuperiori libro ſtabilire conãdo, non tamen omnia ſic abs te tacta ſũt, quin adhuc mul-

ta ſuperſint, quæ paſſim in tuum Cartuſianum ſtatum obijci ſolent. E quibus(vt aliquid tangatur) ſe primùm offert vitæ ipſius dignitas: quippe quæ nec vetuſtis(aliorum inſtar) præmõſtrata figuris, nec vllis quoque alijs præconijs decorata videtur. Pet. Iam ſatis ea, quæ in Cartuſianum propoſitum latraſti, ſufficere tibi debuerant. Debuerat & laboris innanitas te ab inutili certamine vel tandem reuocare. Verùm tanta eſt tui liuoris improbitas, vt non tantùm Cartuſianæ plantationis exordium (quod iam feciſti) ſed incrementum quoque ac profectum improbare, funditusq́ue delere moliatur. Cui nihilominùs temeritati ac inſaniæ obuiam ire, & reliquas(quas tui ſimiles iaculari ſolent) oblocutiones propulſare cupiens adhuc tecum manus cõſerere decreui, ne ſcilicet qui te primo congreſſu ſuperaſſe puto, renouatũ certamen detrectare videar: quinetiam tua iacula parui faciens, multa duri Martis incitamenta proponere, & quinque altera Cartuſianæ vitæ pũcta, quinque huius ſecundi libri tractatibus proſequi conſtitui. Conſtitui, inquam, primò de figuralibus generalibusq́ue Cartuſianę vitæ laudib⁹ agere. Deinde de varijs eius cõmoditatibus proſequi. Poſtmodum varias eius excellentias, prærogatiuaſq́ue afferre. Inſuper de ſpiritalibus eius exercitijs, præſertim quæ ad diuinum pertinent officium, differere. Denique de cæteris Cartuſianis occupationibus quippiam ſubnectere, finemq́ue negotio imponere. His enim diſcuſſis atque expletis, nihil(vt ſpero)loci poſthàc vanis oblocutionibus relinquetur. Sed iam primũ aggrediamur, hoc eſt, figurales Cartuſianæ vitę laudes afferamus, vt ſcilicet exordiũ libri huius cum initio

tio prioris cōſentiat. In quo videlicet de multifaria Cartuſianæ vitæ origine agentes, nos generatim dixiſſe meminimus, eam vetuſto tēpore præfiguratam fuiſſe, peculiariter aūt rem ipſam tunc proſecuti non ſumus, quod hîc facere nobis certū eſt. Verùm vt aptiùs res agatur, Cartuſiana vita ſub nomine cellæ atq; cellicolæ commendanda nobis videtur. Nec iniuria quidem. In cella enim Cartuſiana vita ab ipſo cellicola agitur. Cellæ autem nomine, ne quiſpiam allucinetur, in præſentiarum intelligimus domunculam ſolitariā, hoc eſt, ad agendam ſolitariam vitam inſtitutā. Tametſi cella propriè ſignificat locum, in quo ea reponuntur atq; celantur, quæ volumus eſſe occulta. Interdumq́; generalius capitur pro omni loco, in quo quid reponitur. Eaq́ue de re variam habet ſignificationē ex varietate adiunctorū. Dicitur enim cella vinaria, cella frumentaria, cella olearia, cella pigmentaria, cella libraria. Cùm tamen inter ſolitarios de cella ſine addito agitur, pro ſolitaria domo capi cōſueuit. Nec ineptè quidem. Verba enim ſecundū materiam ſubiectam capi ſolent. Itaque cella in propoſito ſolitaria domūcula eſt, in quam videlicet ſolitarius ſe recipiens atque recondens, vitam latentem & quodam modo occultam agit. Sed iam ipſius cellæ laudes ac dignitates ex vetuſtis figuris oſtendere pergamus.

Laudatur vita Cartuſiana ſub nomine cellæ.

CAPVT II.

Variæ ponuntur figuræ Cartuſianæ vitæ ſub nomine cellæ atque cellicolæ, quibus multa eius dignitas oſtenditur.

INprimis cella ipſa per archam Noë figurata fuiſſe creditur, quippè quę ſupra montis ver-

ticem ſiſtens, cellulas in montibus quietas ſignificaſſe videtur. Deinde per archam teſtamenti, quę diuini decalogi tabulas reconditas habebat, qua nimirum figurabatur cella Cartuſiana, quæ tabulas viuas, hoc eſt, animas, in quibus diuina mandata digito Dei deſcripta ſunt, continet.

Gen. 8. *Exo. 40.* *Deut. 10.*

Porrò per ſcalam Iacob ſolo in loco erectam rectè deſignata putatur, quandoquidem ſcala eſt, per quam itur ad cælum, & Angelici ſpiritus ad humanum demittuntur auxilium. Ad hæc per fiſcellam ſcirpeam, in qua Moyſes aquis expoſitus ſaluatus eſt, quandoquidem in ea myſticus Moyſes tentationum aquis agitatus, à periculo gehennalis ſubmerſionis liberatur. Inſuper per caſtra Iſrael (quę in aduerſarios ordinata fuerāt) cellæ Cartuſianæ cōgruè referuntur, vtpotè quę contra hoſtes tartareos ordinatim poſitæ cōſpiciuntur. Quæ itidem expreſſæ etiam videntur per turrim Dauid & propugnacula Ieruſalem.

Gen. 28. *Exod. 2.* *Cant. 4.*

Poſtmodum per Tentoria Prophetarum præfigurata fuiſſe cenſentur ipſa Tabernacula Cartuſianorum. Illa enim ſolitarijs in locis ædificata quietum præſtabant habitaculum. Hæc quoque ſilentibus in heremis extructa, tranquillam ſuis habitatoribus manſionem præbent. Adde, per fornacem ſeu caminum Chaldaicum, rectè monſtratum fuiſſe Purgatorium Cartuſianum. Ibi enim Sanctorum puerorum nexus fuēre diſſoluti, intacta manſêre corpora, & vires demùm Incendij cohibitæ ſunt: hic quoq; vincula peccatorum ſoluuntur, intacta manent pectora, & denique vitiorum flammæ comprimuntur, ne malè vnquam Sanctos pueros afficiant. Denique per dominicum præſepium ſimul & ſepulchrum figurata eſt ſpelunca Cartuſiana. In ea ſiqui-

4. Reg. 6. 1. 1. Reg. 10. *Daniel. 3.*

ſiquidem Chriſtus ſpiritaliter natus reponitur, quando in ſolitariæ mentis præſepio collocatur, cui vix in ſeculi diuerſorio locus eſſe poteſt. Reconditur & mortuus in ſepulchro, dum cellicola mundo mortuus Dominum in ſuo pectore & ſuauiter & feliciter complectitur.

Verùm enimuerò non ſolùm præfatis rebus, ſed & præſtantibus hominibus cella, vel potiùs cellicola prçfiguratus eſt. E quibus (vt primũ eos afferamus, qui naturali lege viuebant) in mediũ prodeat Enoch, qui cum Deo ambulans, non apparet, quia tollit eum Dominus. Quo ſanè figuratus cellicula fuiſſe videtur, qui cum Deo ſpiritaliter ingrediens in medijs ſeculi turbis non comparet, quod eũ Dominus in ſpiritalem paradiſum tranſuexit. Noë quoq; iuxta ſui nominis interpretationẽ requiem habere geſtiens, & propterea in archã ſe recipiẽs, cellicolam referre videtur: qui nimiũ diluuiales peccatorũ aquas ſuper terram excreſcere conſiderans, in ipſis archæ myſticæ latebris ſe occulit. Abrahã quoque de terra, cognationeq; ſua egredi, & in mõte filium offerre iuſſus, cellicolam figurare putatur, qui charis parentibus, natalique ſolo relictis, non filium, ſed ſeipſum totum in monte ſacrificat. Cuius myſtica Sara moritur, & in ſepulchro duplici ſepelitur, quando mens cellicolæ mundo per affectionem mortua, & interiori cõtemptu, & reali abiectione mundanarum oblectationum, quaſi duplici monumento tumulatur. Qui nihilominus bifido exercitio, defœcatæ ſcilicet contemplationi, & actioni egregię ſegregatim incumbens, vitam in Chriſto abſconditam habet. Porrò Iſaac iuxta puteum habitãs, cuius nomen eſt Viuentis & Videntis, in agrum

Gen. 5.

Gen. 7.

Gen. 12.

22.

Gen. 23.

Gen. 24.

ad meditandum ſolus exire aſſuetus, cellicolam prefigurat, qui in loco viuentiũ aquarum ſe continet, vbi & Deum videt pura contemplatione, & viuit perfectiori actione, quibus ſanè greſſibus ad æternæ feſtiuitatis riſum properat. Iacob
Gen. 28. quoq; fraternã iram fugiens, ad caput habens lapidem, in ſcalaq; cœleſtes nuncios puris intuitus ocellis, deſignat cellicolã, qui perſequentis mũdi veſaniam peroſus, aſperamq; & penè lapideã vitam agens, puriſſimo ſpiritum cœleſtium intuitu nonnunquàm oblectatur. Denique Ioſeph
Gen. 50. centum & decem annos natus, multisq; aromatibus cõditus, cellicolam præ ſe tuliſſe creditur, quippe qui centũ, & decẽ, id eſt, in sãctitatis perfectione decalogũ obſeruans (numerus enim cẽtenarius perfectionẽ, denarius ve ò legẽ innuit) odoriferis virtutũ aromatibus conditur: ſicq; in cellæ ſecreto velut in quodã loculo reconditus manet. Manet, inquã, corporaliter in huius ſeculi AEgypto, & ita verſatur in mundo, vt nõ ſit
Exo. 2. 3. de mundo. Sed iam ad legis ſcriptæ patres tranſeamus, in quibus primus occurrit Moyſes, qui de aquis extractus, & gregem in deſertum ducẽs paſcensque, & magnam videns viſionẽ, cellicolę figura eſſe cenſetur: quippè qui de aquis mundialibus abſtractus, ſuum paruulum gregem, virium ſcilicet & virtutũ, ducit ad deſertum. Quẽ ibi ſanctarum cogitationum gramine paſcens
Num. 13. magna planè ſacramenta Incarnationis dominicæ virginaliſque fœcunditatis intuetur. Sed quid eſt Ioſue, terram promiſſionis de longè conſpicatus, niſi cellicola cœleſtem terram in deſerto contemplans fidelibus repromiſſam?
1. Reg. 3. Quid, inquã, puer Samuel in tabernaculo ſolus dormiens, niſi purus cellicola in cellulæ habitacule

culo ſolus degens? Quid etiam Dauid columbæ *Pſal.54.*
pennas deſiderans, & tandem elongans, manenſque in ſolitudine, niſi cellicola, qui mundanis primùm tumultibus agitatus, ad volatum impellitur, per quem ſibi quies in ſolitudine cellæ paratur? Quid inſuper Helias dimiſſo puero ad de- *3.Reg.19.*
ſerti feſtinans latibula, niſi cellicola, qui puerili ſenſu dimiſſo ad ſecretum cellæ properat, vbi ab externis occupationibus immunis, internis meditationibus excitatur, excitatus reficitur, refectus denique in fortitudine cibi cæleſtis (ſacrę ſcilicet contemplationis) tandem peruenit ad montem Dei Horeb? Quid porrò Heliſæus ſe- *4.Reg.13.*
pultus, ſuoque tactu mortuum viuificans, niſi cellicola, qui quaſi in cella tumulatus, mortuos ſenſus viuificat, & ad vitam reparat ſalutarem? Quid vltrà religioſus Rex Ezechias (qui conuer- *1.Reg.20*
tens faciem ad parietem, plorans orat, & orans plorat, qui etiam ſicut pullus hirundinis ſic clamat, meditatur vt columba) niſi cellicolam de- *Eſai.38.*
ſignat, qui corpus ſuum velut quendam parietem inter vitam & mortem conſiderans, quique malum ſuum quandoque affectum velut maceriam quandam inter Deum & ſua facinora diuidentem, ſedula mente volutans, iugiter deflet, clamatque inſtar pulli hirundinis, phy phy, mũdanas ſcilicet voluptates deteſtatus: demùm inſtar columbæ circunſpectæ in cauerna cellæ ſe continet, vbi & oculis ſpiritalibus diligenter luſtrans, cauet ne ab infernali accipitre inuadatur. Cæterùm quid aliud eſt Eſaias Dominum vi- *Eſai. 6.*
dens ſedentem ſuper Solium excelſum & eleuatum, quàm cellicola in contemplationis puritate conditorem vniuerſitatis intuens intellectiuæ præſidere creaturę per vnum ſanè mediatorẽ

[...]m. 9. inſtauratę? Quid eſt Hieremias populi ſui interfectos lugere cupiens in ſolitudine, præterquàm cellicola deflens in cella miſeros peccatores gladio tortoris infernalis iugulatos? Quid aliud
Ezech. 8. Ezechiel inter terram & cęlũ eleuatus, & de Chaldæa in Hieruſalem ſpiritu ductus, vt videat abominationes, quæ fiunt in Templo, præter cellicolam, qui ardua contemplatione ſuper terram (infra tamen cœlum) hoc eſt, infra apertam Dei viſionem ſublimatus, videt, lugetque piæ compaſſionis oculo vitia nimium execranda, quibus Dei templa, ſcilicet Chriſtiana pectora miſerè polluuntur? Quid plura? Nonne Daniel abſtinẽs ab eo, quod ſuaue eſt ventri, vt aſſequatur quod menti gratum eſt, cellicolam exprimit: qui lautos cibos fugiens intelligentiam meretur viſio-
Pſal. 136. num? Sed & ſuper huius mundanæ Babylonis flumina ſedens, ſupernæque Syon recordatus, incolatum ſuum deflens largiſſimè, cordis ſui feneſtris ad Deũ apertis ter orat, vt & pacem Hieruſalem ciuitatis ſupernæ, & ſummæ Trinitatis viſionem conſequatur. Sed iam ad tempus legis gratiæ deueniamus, vbi legis illius author præſtantiſſimus inprimis adeſt, qui videns turbas aſ-
Matth. 6. cendit in montem, aliaque vice, conſcendit in montem ſolus orare. Quo nimirum exemplo docebatur, & ſegregatim orandum, & ſolitudini
Luc. 1. incumbendum eſſe. Ipſius quoque præcurſor Ioannes adhuc puer creſcit & confortatur ſpiritu, manens in deſertis vſque ad oſtenſionis ſuæ diem ad Iſrael. Quo ſanè exemplo putatur imbui cellicola, vt adhuc puer & recens creſcat meritis virtutum, cõfortetur ſpiritu, ne deficiat in ipſis tentationum bellis, maneat perſeuerans, quoad oſtenſionis ſuæ dies in cœleſti Hieruſalẽ

elu-

eluceſcat. Ipſius quoque Domini Apoſtolus Petrus ad ſuperiora conſcendens, eſurienſque, pręclara Cornelij fide mox ſatiãdus, cellicolam docuit per contemplationem ſurſum aſcendere, incumbere orationi, alienamque ſalutem ſitire, vt poſtmodũ pleniſſima ſatietate potiatur. Denique ipſius Domini Euangeliſta Ioannes relegatus in inſulam, ibique mira videns ſacramenta, cellicolã repræſentat, qui velut à mundo relegatus, ſecretas altasq; reuelationes meretur. Sed iam ſatis per ſacræ Scripturæ campum, ab exordio fermè auſpicantes, ibique pulcherrimos flores carptim legentes decurrimus, & figurales cellæ, hoc eſt, Cartuſianæ vitæ laudes proſecuti ſumus. Quamobrem opus iam videtur per comparationes ſiue ſimilitudines aptas, cellæ ipſius dignitatem præconiaque ſubnectere, & quantũ inde cella ſit efferenda, breuiter oſtendere. *Actor. 10.*

CAPVT III.

De laudibus Cartuſianæ vitæ ſub nomine cellæ per ſimilitudines ſiue comparationes, quibus eius dignitas oſtenditur.

IGitur Cellæ comparationes ac ſimilitudines breuiter tangamus, dicamuſque inprimis, cellam tranquillo portui rectè comparari poſſe. Vt enim in portu, ita & in cella tranquilla penè ſunt omnia, nec adeò, vt in periculoſis ſeculi turbinibus timentur ſentiunturque fluctuantis vitę procellæ. Deinde comparatur cella munitioni ſeu aſylo tuto. Sicuti enim tutiores eſſe cõſueuerunt, qui ſe in aſylum recipiunt: ita ſecuriorem agere vitam putantur qui in cella, velut refugio quodam, ſe iugiter continent. Porrò cella confertur lauacro nitido. Quemadmodum enim in

puro balneo ſordes abluuntur corporum: ſic in cella, mentium colluuies abſterguntur, ibique pulchram candoris ſpeciem ſuſcipiunt. Inſuper cella mutatorio aſſimulatur. Sicut enim in mutatorio ſolent aues mutari: ita & mundiales homines abiectis ſecularibus plumis, hoc eſt, leuitatibus quibus ad inania volare ſolebant, mirum in modum commutantur. Mutantur (inquam) verba, mutantur geſtus, mutantur demum cum exterioribus & interiores habitus, vſque adeò vt quem in cella videas, vix putes eum eſſe, quem in ſeculari conuerſatione noueras. Ad hæc, cella ſimilis eſt herbæ fullonum. Vt enim aſperitate herbæ illius ſuperflua reſecantur: ita & auſteritate cellæ, quæ in moribus ſuperuacanea ſunt, prorſus euelluntur. Quæ res ſi forſan durior prima fronte putetur, leuior ſanè videbitur, ſi conſideretur diligentiùs, aut in hoc, aut futuro ſeculo ſuperflua quæque funditus eradenda fore. Non enim vitia tantùm, ſed malæ quoque conſuetudines, pronitateſque, & cætera quæuis ſuperflua prius extirpanda ſunt, quàm cœleſtis candoris decor ſpiritibus tribuatur. Poſtmodum cella comparatur ſpeculæ ſeu cauernæ. Qui enim in ſpecula ſunt, luſtrant oculis omnia, ne fortè hoſtes latenter irrumpant: ita qui in cella ſunt conſtituti, ſpeculantur ſubtiliùs callidas vaferrimi hoſtis inſidias, inſultuſque varios, & velut columbæ in cauerna maceriæ circumſpiciunt, ne ab accipitre infernali capiantur incautæ, diriſque gryphis lacerentur. Amplius religioſa cella confertur cellæ medicinali. Vt enim in hac, varia medicaminum genera reperire eſt, quæ diuerſis morbis opitulari poſſunt: ſic in cella religioſa, varia ſpiritalium medi-

Vitia quæque aut hic aut in futuro prorſus eradenda.

medicinarum antidota comperiuntur, quæ ſanandis animæ languoribus creduntur aptiſſima. Poſteà cella militari paleſtræ videtur aſſimilis eſſe. In militari ſiquidem agone exercentur Neoptolemi, grauibuſque laboribus contendunt coronam ſibi comparare triumphalem. In cellæ quoque conflictu multis tentationum ictibus pulſantur athletæ Chriſti, quos & fidei, & patientiæ clypeo iugiter reijcientes, anhelant ad gloriam, in qua ſperant & immarceſſibilem coronam, & perpetuos honores tandem ſe duris pro laboribus habituros. Adde cellam ſcholæ doctrinali perſimilem eſſe. In ſcholis enim pueri ſolent erudiri, vt literas humanas (quæ vitæ putantur antidota) adipiſci queant. Et in cella quoque (quæ Diſcipulorum Chriſti ſchola eſt) ſancti imbuuntur pueri, quò cæleſtes diſciplinas (quibus ad Sanctorum & ſcientiam & gloriam tandem peruenitur) capere poſſint, Cella quoque nitido ſpeculo ſimilis eſſe putatur. In ea ſiquidem mens humana ſuam ſpeciem limpidius intuetur, intuendo ſeipſam cognoſcit intimius, cognoſcendo denique videt maculoſa (ſi qua adſunt) videt & multa ſibi deeſſe bona, quæ adeſſe queunt. Hinc felix ſui contemptus naſcitur, hinc prouocatur luctus, hinc demum ad meliora mens ipſa excitatur. Cella etiam nuptiali thalamo rectè confertur, quandoquidem in eo fœlix anima caſto commercio ſuo Sponſo fœderatur, & futuræ gloriæ pignus ad ſpem magis ac magis roborandam, ei dulciter tribuitur. Cella inſuper ſcalæ comparatur. Vt enim per ſcalam itur in ſolium, ita per cellam itur ad cœlum. Quæ ſanè res in veteri Teſtamento per figuram oſtenſa legitur, quando

Geneſ. 28. Iacob ſcalam cœlo tenens erectam in ſomnis vidit, & tremens ac ſtupens dixit: *Non eſt hic aliud,* Geneſ. 2. *niſi domus Dei & porta cœli.* Ad hæc cella terreſtri paradiſo rectè comparatur. Vt enim fluuius inde profluẽs paradiſum irrigat, qui & in quatuor capita diuiſus terras multas luſtrat: ſic in cella vitæ quidam curſus eſt, qui actione, lectione, oratione, & meditatione, ſeu contemplatione, velut quatuor capitibus diuiſus totam cellicolæ terram irrigat fœcundatque. Denique cella cæleſti quoque paradiſo aptè conferri poſſe videtur, cùm nihil aliud ſit cella, quam iuxta nomen ſuum, cœli aula. Habent enim inter ſe multam Comparatio cellæ cum cœlo. ſimilitudinem atque germanitatem cœlum & cella: quod ex epiſtola ad fratres de Monte Dei luculenter oſtenditur, in qua ſic dicitur. Cellæ ſiquidem & cœli habitationes cognatæ ſunt. Sicut enim cœlum & cella ad inuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, ſic & pietatis. A celando enim cœlum & cella nomen habere videntur, & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis: quod geritur in cęlis, hoc & in cellis. Quid nam eſt hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cum ſecundum ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, Sancti Angeli Dei cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur in cellis, ac in cœlis. Et ſubditur. A cella enim ſæpe in cœlũ aſcenditur, vix aũt vnquam à cella in infernũ Pſal. 54. deſcenditur, niſi ſicut dicit Pſalmiſta, *deſcendent in infernum viuentes*, ne deſcẽdant morientes. Et poſt pauca. Moriens autem vix aut nunquam aliquis à cella in infernum deſcẽdit, quia vix vnquam aliquis, niſi cœlo prædeſtinatus, in ea vſq; ad mortem perſiſtit. Filium enim gratiæ fructũ ventris ſui, cella fouet, nutrit, amplectitur, & ad pleni-

plenitudinẽ perfectionis perducit, & colloquio Dei dignum efficit. Hæc ibi. Non ineptè igitur dictum eſt, cellam cæleſti paradiſo ſiue cœlo rectè conferri poſſe. Sed de ijs comparationibus ac ſimilitudinibus iam ſatis ſuperq; dictum eſt, præſertim cùm de huiuſmodi negotio pleniùs diſcutiendum ſit, cùm de cellæ commoditatibus agetur. Cæterùm hoc forſan loco queratur aliquis, & dicat, me non debuiſſe, vel figurales, vel ſimilitudinarias ſeu comparatiuas laudes (quod partim ſuperiori, partim verò hoc capite factum eſt) Cartuſianæ vitæ peculiariter tribuiſſe, quippè quæ ſint alijs religionibus etiam communes. Cui reſpondemus primùm, viros & doctos, & probos interdum ea, quæ communia erant, ſuæ ſectæ peculiariter tribuiſſe. Deinde dicimus, ea quæ tacta ſunt, Cartuſiano propoſito ritè obſeruato rectiùs atque aptiùs, quàm cæteris applicari poſſe, vtpotè in quo maior vitæ ſecuritas, aſperitas, puritas, perfectioque, ac demùm cætera id genus, quæ per ſimilitudines præfatas deſignantur, inueniri queant. Eaque de re per quandam antonomaſiam ipſi Cartuſianę vitæ tribui debere, nobis viſum eſt. Sed his iam ſatis diſcuſſis, ad ipſius vitæ Cartuſianæ commoditates (ſi ita tibi videtur) tranſeundum eſt. *Cap. ſeq.*

TRACTATVS SECVNDVS SECVNDI libri, in quo de commoditatibus vitæ Cartuſianæ agitur.

CAPVT I.

De commoditatibus vitæ Cartuſianæ quantum eſt ex parte ipſius cellicolæ. Quæ generatim duplices ſunt, ſcilicet corporales, & ſpiritales. De primis parum, de ſecundis

cundis verò multum agitur, quæ & ad numerum quindenarium ſub nomine cellæ protenduntur.

Oblocvtor.

PLacet Cartuſianę cellę commoditates (quas tu ineptè ac falsè commoditates nuncupaſti) palàm afferre, & quàm inutilis, nulliuſq; frugis ſit ipſa cella (hoc eſt, vita Cartuſiana) paucis aperire. Inprimis nullam ſuis cultoribus affert commoditatem. Quid enim boni cauernæ illæ, quæ feris quàm viris aptiores ſunt, ſuis habitatoribus afferre poſſunt? Deinde vita cellicolæ cæteris hominibus prorſus inutilis eſt. Nihil etenim commodi vel patriæ, vel parentibus, vel amicis, vel cęteris proximis adfert huiuſmodi vita: quippè quæ ita latenter ac ſingulariter agitur, vt à nemine propemodum videatur. Itaque tota ſibi ſoli vacat, ſolaq; ei cura eſſe videtur de otio ſectando, ventreque replendo, eaque de re non iniuria tui Cartuſiani paſſim ſolent Porci Dei vocitari. Denique viris, ſaltem literatis, omninò noxia eſt atque infructuoſa, quippe quæ non ſinat ſcientiæ talentum proximis impertiri, ſed cogat pecuniam dominicam in terra fodere, ſeu in ſudario ligare, quod periculum quàm graue ſit, ſatis literæ ſacræ teſtantur. Pet. Vitam Cartuſianam & ſuis cultoribus, & alijs quoque hominibus, etiam literatis vtilem admodum eſſe, cupientes oſtendere, agendum inprimis cenſemus ſub nomine cellæ de commoditatibus quas vita Cartuſiana ſuis cultoribus adfert. De illis autem, quas cæteris confert, poſteà dicetur. Itaq; hoc loco de commoditatibus, quas ſuis cellicolis confert Cartuſiana cella, dicturi, præmittamus, eas in genere bipertitas eſſe. Quædam enim corpo-

Duplices cōmoditates cellæ.

corporales dici poſſunt, alteræ verò ſpiritales. Corporales autem commoditates Cartuſianam vitam ſuis cultoribus afferre, nemo eſt qui neſciat. Dat enim cum habitatione victum veſtitūque ſufficientem. Quid autem aliud vltrà iuſtè poſſit monachus expetere, non video: prȩſertim cum generaliter Apoſtolus moneat, vt *habentes victum & veſtitū ijs contenti ſimus.* Cùm igitur hæc cella tribuat ſuis habitatoribus, vtilis admodum eſſe credenda eſt. Sed ad ſpiritales commoditates, quæ maiori nobis eſſe curæ debent, transeamus. Qua in re animaduertendum inprimis eſt, quoſdam nonnihil huiuſmodi commoditatum, quæ multæ ſunt, tetigiſſe quidem, ſed indigeſtè, ac ſine ordine. Quod dubiò procul fugiendum eſſe, nullus ignorat. Parum enim vtilitatis, imò faſtidij plurimum parere ſolet (nec iniuriâ) ineptus confuſuſque agendi modus. Quapropter ipſas commoditates numero præfinito (quindecim enim ponentur) certoque ordine, ſcilicet, de infimo ad ſupremum tendēdo, complecti decreuimus. Itaque rem ipſam ſeriatim proſequamur. *1. Tim. 6.* *Cellæ commoditates ſpiritales 15.*

1. Cella inprimis locus eſt refugij, ſedes quietis, tranquillitatis portus, refrigerium laboris. Enimuerò qui fuerint in ſeculi tumultu fatigati, ad cellæ fugientes præſidium, quietis aſylum ſe lætantur inueniſſe. Qui mundialibus procellis agitati naufragium paſſi fuēre, in cella reperiunt portum tranquillitatis optatum. Qui laſſati ſunt in via iniquitatis, & (vt apertis verbis agamus) grauibus peccatorum ſarcinis prægrauati penè ſuccumbunt, ibi gratum iniqui laboris ſolamen inueniūt, finemque peccatis imponere mox incipiunt.

2. Cella locus eſt pœnitentiæ faciendæ, purgandiſque piaculis aptiſſimus. Eam ob rem

fornax, officina, conclaue, purgatorium, balneum, ſeu lauacrum, ſpiritaleque mutatorium, non iniuria vocitatur. Fornax enim eſt, vbi ſuperni Regis vaſa formantur, igne coquuntur pœnitudinis, malleo pœnitentiæ percutiuntur, & lima ſalutiferæ correctionis eraſa, incredibilem nitorem aſſequuntur. Officina eſt, in qua rubigo mentis abſumitur, ſcoriæ ponuntur vitiorum, & obtuſi ſenſus ad ſui acuminis redeunt ſubtilitatem. Conclaue eſt, in quo medicamina ſanandis animæ vulneribus reperiuntur aptiſſima. Purgatorium eſt, vbi & à malis humoribus corpus, & à prauis moribus animus expiatur. Lauacrum eſt, vbi & peccatorum lauantur maculæ, & mens ipſa lymphis amariſſimis abluta, niuei ſuſcipit candoris dignitatem. Denique mutatorium eſt diuinum, vbi ſcilicet aues inprimis mundiales dextera excelſi mutantur, à ſeipſis redduntur extraneæ, & per vitæ nouitatem ſpiritales eſſe incipiunt. Illic ſiquidem fiunt de ſuperbis humiles, pij de crudelibus, de iracundis mites, temperati de glutonibus, de loquacibus ſilentes, caſti de libidinoſis, graues de leuibus, de doloſis ſimplices, de vitioſis multis virtutibus exuberantes.

3. Cella locus eſt malis & aſſuetudinibus, & procliuitatibus extirpandis opportunus. Etenim poſt flagitia per pœnitentiam deleta, ſupereſſe ſolent quædam reliquiæ, quæ ad priſtina mala faciliter impellunt, quas nimirum cellæ, ſilentijque cenſura velut quadam herba fullonum eradere opus eſt. Ipſis enim perſeuerantibus, non poſſet animi gratior haberi tranquillitas.

4. Cella locus eſt ad vitia, periculaque cauenda plurimum accommodatus. Purgata enim labe pec-

cato-

catorum, operæpretium eſt à futuris ſibi cauere. Hoc autem in cella fieri oportunè dubium non eſt. In ea ſiquidem mens humana velut ſpecioſa columba in cauerna maceriæ ſe continens, ab auium infernalium ſe rapacitate tuetur. In ea quoque quaſi è ſpecula prudenter obſeruat hoſtiles incurſus, & nequid eam incautam amplius conficiat, omnia circumſpicit diligentiſſimè. Cella locus eſt intrarijs paſſionibus ſedandis admodum idoneus. Eſtò ſint vitia cum malis pronitatibus iam euulſa, ſuperſunt tamen ex natiuo languore quædam interiores diſcraſiæ, quæ & victus & indumentorum aſperitate, & ſolitariæ cellæ anguſtia viriliter edomandæ ſunt. Itaque cella huiuſmodi negotio perapta rectè camino Chaldaico comparatur. Vt enim in fornace feruida trium puerorum corpuſcula mansêre diuinitus intacta, ita in cella ſancti pueri crepitantium in ſe flammarum ardorem non ſentiunt, ſed laſciuientis carnis igniculos, faces, ſtimulos, caſtitatis virtute compeſcunt. 5.
Cella locus eſt ſacræ militiæ, debellandiſque hoſtibus mirificè conueniens. Superato enim aduerſario domeſtico, aut certè repreſſo, adhuc exteriores inimici grauiter inſurgere ſolent, qui doloſis machinis conantur perdere, quos nec ſeculi blandimenta, nec carnis illecebræ ſuperare potuerunt. In hoc itaque certamine, qui tutiores eſſe voluerint, ad cellam victoriæ aptam, maligniſque ſpiritibus terribilem confugiant. Ipſa enim eſt turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Ipſa Dei caſtra, tuta munitio, præſidium denique ſpiritalium bellatorum. 6. Cant. 4.
Cella locus eſt reparandæ virium virtutumque dignitati aptiſſimus. Cùm enim poſt 7.

actam pœnitentiam, poſt deletas peccatorum reliquias, poſt multam pro vitãdo recidiuo cautelam, poſt habitas denique multas contra hoſtes tùm interiores, tùm exteriores victorias, vſu veniat aliquando, doctiſſimos, fortiſſimoſque milites (de ſpiritalibus loquor) in aſſiduo bello nimirum ſauciari: operæpretium eſt, inflictis vulneribus aliquid medicaminis adhibere. Cella autem putatur ad præſtanda medicamina, virtuteſque inſtaurandas aptior officina. In cella enim reſurgitur faciliùs, in qua & peccatorum vulnera, quæ fuerant ab ipſis hoſtibus inflicta, longè meliùs, quàm in ſeculo, curari conſueuerunt.
8. Cella locus eſt vtilibus diſciplinis, etiam humana induſtria parandis, congruens non vulgariter. Etenim vbi abiecta fuêre ſeculi impedimenta, vbi tenebræ peccatorum fugatæ, vbi frenatæ paſſiones, vbi denique hoſtiles tumultus ſedati, magna literis adipiſcendis via parata eſſe putatur. Hæc autem omnia cum in cella tanquã in palæſtra doctrinali fuerint inuenta, mirum eſſe non debet, ſi multi cellicolæ (qui principio parum docti videbantur) tandem ſolitudinis adiumento, plurimum literarum aſſecuti ſint. Sed quas literas? Nempè diuinas, quas vel vrbani homines, qui magni aliquando putati ſunt, ignorauêre.
9. Cella locus eſt illuſtrando diuinitùs ingenio admodum congruus. Eamobrem rectè ſchola cœleſtis doctrinæ, diuinarumque artium diſciplina vocatur. Cùm enim multa ſint, quæ nec ſtudio, nec humanis viribus capi poſſunt, opus eſt earum rerum ſcientiam à ſuperis expetere. Non enim omnia vitæ præcepta ſic ſunt in manibus hominum, quin multa ſuperſint à Deo poſtulanda. Hæc autem ſolitarijs viris

ris potiùs reuelari conſueuerunt. Nec iniuria
quidem. Feruentiùs enim ea flagitant, ſanctiuſ-
que viuunt, eapropter ad id muneris aptiores eſ-
ſe creduntur. Cella locus eſt conficiendis libris 10.
vehementer accommodus. Vbi enim cùm hu-
mano ſtudio, tùm diuina ope humanus intelle-
ctus fuerit literis affatim imbutus, reliquum eſt
(vbi commodè fieri poteſt) intricatos nodos ſol
uere, abſtruſos in lucem prodere ſenſus, & deni-
que ſuæ vitæ monimenta, poſteris aliquando
profutura conficere, ne ſcilicet laboretur ingra-
titudine, vel ſapientiæ talentum in terra turpi-
ter abſcondatur. Quæ vitia noſtri Maiores ſoli-
tariam vitam agentes vitare, & reipublicæ con-
ſulere cupientes, illa quæ leguntur volumina
diligenter elaborauerunt. Vnde quæſo tam co-
pioſa doctrinarum fluenta manarunt? Vbi pre-
cor, cœleſtes veritates ſunt tam profundè diſ-
cuſſæ, tamque ſubtiliter (quemadmodum in ſo-
litarijs, ſilentibuſque locis) adinuentæ? Enim-
uerò qui grande aliquid meditari voluerunt,
ſemper auxiliares captauêre ſolitudinis com-
moditates. Cella locus eſt inflammandæ affecti- 11.
oni, ſanctiſque deſiderijs excitandis conſenta-
neus. Non enim ſatis eſt ingenio colendo dili-
genter incumbere, niſi & affectus curetur dili-
gentius. Ad ſanctum autem huiuſmodi nego-
tium, nullus locus aptior eſſe, quam cella vide-
tur. Ibi enim ſancti cogitatus ſunt frequentes,
diuinæ meditationes creſcunt vberiùs, & cœle-
ſtes penitus contemplationes eleuatum animum
grata ſuauitate reficiunt. Cella locus eſt virtuti- 12.
bus gignendis, augendis, perficiendis, conſeruã-
diſque non ineptus. Non enim ſatis eſſe vide-
tur, pijs affectum deſiderijs inflammaſſe, niſi &

 ſtudio-

ſtudioſis operibus virtutes ipſæ gignantur, genitæ creſcant, creſcentes perficiantur, perfectæ demũ conſeruẽtur magna cura magnaq́; diligẽtia. Hæc aũt nullibi commodius, quàm in cella fieri aſſueuerunt. Eam ob rẽ fomes, nutrixq́; virtutũ, areola aromatũ, exedra gemmarum cęleſtiũ, voluptatiſq́; paradiſus, rectè cella vocatur. Cella lo-
15. cus eſt ſupernarum viſionũ, cęleſtiumq́; viſitationum cònſcius. Ibi enim cellicola ſolus corpore conſtitutus, ſed virtutibus comitatus, mundana omnia mente tranſcendit, penetrat cœlos, paradiſum ſpiritu deambulat, & cum animis cęleſtibus ſæpenumerò verſatus, mira videt quæ non licet homini loqui. Illuc quoque superni ciues multò cellicolam honore dignati, ſæpe deſcendunt, dulcia faciunt colloquia, ſpiritales miſcent confabulationes, & denique quem ſolitarium inueniunt, ſolum prorſus eſſe non ſinunt. Itaque optimo iure cella vocatur conciliabulum Dei & hominum, compitum animarum ſpirituumq́ue cœleſtium, & diuinum prorſus habitaculum. Vocatur & nuptialis thalamus, in quo tribuitur arra Spiritus ſancti, & cœleſti ſponſo mens humana caſto commercio fœderatur. Vocatur & via aurea, per quam humani diuiniq́ue ſpiritus ingrediuntur. Vocatur denique ſcala Iacob, per quam Angeli videntur & deſcendere, ad præſtandum rebus humanis auxilium, & ruſus aſcendere, vt miro quodam modo ſecum ducant ſpiritum humanum cœleſtia contemplaturum, vel certæ pia ſanctarum orationum vota cœleſti patri referant. Cel-
14. la locus eſt non modò vitę perfectioni, ſed mortis quoque debitæ plurimum conſulens diſpoſitioni. Etenim iugi mortis memoria (quam in i-

mo

mo cellicola pectore cōdit) nimirum vſu venit, vt mortem ipſam ſupra modum non timeat, ſed ad eam potius obeundam paratior inueniatur. Adde cùm pondus aduenerit languoris, eum nō habere occupationes illas, quæ tum bonæ mentis diſpoſitioni impedimento eſſe ſolent. A vitijs enim curiſq; ſeculi liber, & quæ ſaluti cōducunt dũtaxat cogitare aſſuetus, nihil habet quod eum mors ſollicitum reddat. Deniq; cella locus eſt ad mortem ſecuriùs liberiuſq; ſuſcipiendam 15.
opportunus. Etenim ibi ſpiritus iam multo languore preſſus, mortiſq; telis confectus liberiùs, fidentiuſq; à corporis ergaſtulo egredi conſueuit. Enimuerò qui ſolitudinem diuini amoris fuerat contemplatione ſectatus, ſolet libentiùs fiducialiusq; ſpiritum exhalare. Sed cur ita? Nēpè quòd benè ſibi conſcius non magnoperè timet ea, quæ malè viuentes & formidare, & inuenire in tanto diſcrimine cōſueuerunt. Igitur rectè putatur eum, qui benè fuerit in ea verſat⁹, de corporis cœno diſcedentem, tranſire de ciuitate ad regnum, de ſeruitute ad libertatem, ad requiem de labore, de exilio ad patriam, ad lætitiam de anguſtijs, de miſerijs ad fœlicitatem. Hæ ſunt quindecim cellæ cōmoditates, quibus velut gradibus Maria conſcendit in templum: Hoc eſt, anima contemplatiua (per Mariam deſignata) fœliciter aſcendit in templum, non quidem manu factum, ſed ante mundi conſtitutionem pijs cellicolis præparatum. Quibus animaduerſis, debes, mi cellicola, totis pro viribus cellam colere. Etenim pro Guigonis ſententia, quantò diutius, tantò libentiùs in cella habitabis, quam ſi *Guigo 31.*
frequenter, & leuibus de cauſis exire conſueueris, citò habebis exoſam. Debes, inquam, in- *§ 2.*

gentia tibi bona tribuentem vehementer amare. Ipſa enim te cooperit, te claudit, te contra ventos protegit & imbres. Ipſa frigus, æſtumque prohibet, veſtit, tuamque nuditatem operit. Ipſa tibi ſeminat, metit, excutit, vindemiat, recondit conſeruatque fideliter. Ipſa tibi manna largitur, cùm tibi panem in feneſtra præbet, ciboſque miniſtrat & ſimplices, & innocentes. Nō
1. Reg. 17. melius Heliam ſolitariè agentem, non vberiùs tuum progenitorem Paulum anachoretam primarium, dimidij panis fragmētum quotidiè deferens coruus aluit, quàm te tua cellula paſcat. Ipſa tibi lectulum parat, ſtramineum quidem, durum & algidum, ſed continentiæ, probiſque moribus accommodatum. Ipſa tibi focum parat ſufficiētem. Et (vt ſpiritales commoditates breuiſſimè tangamus) ipſa tibi legere cupienti libellos, ſtudendique opportunitatem tribuit. Ipſa mentis confert tranquillitatem. Ipſa quoque (ſi te dignum feceris) orationis feruorem, gratiam meditationis, contemplationis delicias, & demū incredibilem affert ſuauitatem, ſed iucunditatem, ſed hilaritatem, ſed alacritatem, ſed amœnitatem, ſed ſerenitatem, ſed ſinceritatem, ſed demum virtutum, totiuſque boni exuberantiā. Sit igitur illa tibi venerabilis mater, ſit grata ſoror, ſit ſponſa pudica. Sit illa tibi curæ, ſit tua ſōnia, ſit iugis amor, ſit aſſiduum deſiderium. Eam ſi puriùs amaueris, tibi innumera præſentis vitæ beneficia conferet. Eam quoq; ſi diligentiùs obſeruaueris, & voluptatem pariet immortalem, & perpetuos tibi tandem largietur honores. At verò ſi cellam non curaueris diligenter, ipſa tibi delicias ſuis amatoribus aſſuetas denegabit, toruum oſtentabit vultum, te totum anxium, turbidum,

bidum, aridumq́; efficiet. Et denique miſerum te prorſus excutiet in tenebras exteriores, *vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Sed de ijs hactenus. Tu verò ſi quid habes, mi Oblocutor, ſupereſt vt proferas in medium. Matth. 8. 22.

CAPVT II.

Oſtenditur inprimis, Cartuſianam vitam nec ignauam nec inutilem, ſed Reipublicæ admodum vtilem eſſe. Deinde varij modi ſubiunguntur, quibus ipſa rei Chriſtianæ vtilis eſſe ſolet.

OBLOCVTOR.

IAM, fateor, ſupereſt incumbitque hoc loco afferre, quod in Cartuſianam vitam obijci nō iniuria poſſit. Quod vt breuiter fiat, certum eſt (vt cœpimus oſtendere) eam, quamuis ſuis cultoribus vtilis ſit, Reipublicæ tamen inutilē eſſe. Siquidem vita illa ſimplex ac ruſtica eſt. At verò (pro Hieronymi ſentētia in Epiſtola ad Paulinum) ſancta ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt, & quantùm ædificat ex vitæ merito Eccleſiā Chriſti, tantùm nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat. Itidem vita ipſa tota ignauiæ ac ſocordiæ plena eſt. Iam & prǽlia fugit, & certantibus non opitulatur, & (vt ſemel dicam) nec pugnat ipſa, nec in Chriſtiana acie laborantes iuuat. PET. Cartuſianam vitam nec ignauam, nec humano generi inutilem (quod tamen paſſim à lliuidis quibuſdam obijci ſolet) oſtendere geſtientes, inprimis probabimus, eam ignauam cenſeri non debere. Deinde nec Reipublicæ inutilem eſſe. Poſtremò varios afferemus modos, quibus non ſuis tantū, ſed etiam cæteris hominibus vita ipſa magnæ vtilitati eſſe ſoleat. Quòd inprimis ignaua non ſit, ſatis experiētia monſtrat. Nam & Cartuſiani

prælia, iuſtaque negotia non detrectant, ſed in acie Dominica iugiter decertant, pijsq; laboribus in vinea Dominica aſſiduè incumbunt. Habēt enim ſua certamina, cùm militia ſit vita hominis ſuper terram. Habent & ſuos labores, quibus exercentur vigilādo, orando, pſallendo, ieiunando. Non igitur ignaui ſunt putandi. Quòd ſi dixeris, eos mundi pericula fugiſſe, reſpondemus cum Hieronymo, fugam huiuſcemodi non eſſe ignauiæ, ſed prudentiæ aſcribendā, cùm temeritatis ſit, fruſtrà ſe periculis obijcere, vel ea, quando pro ratione fieri poteſt, non deuitare. Non igitur ignaua eſt Cartuſiana vita. Sed quòd nec inutilis ſit Reipub. facilè confici poteſt. Siquidē illa vita non eſt inutilis exiſtimāda, cuius cultores pro laborātibus atq; pręliantibꝰ aſſiduè precantur. Imò verò plurimum rei Chriſtianæ conferre putantur, qui pro cæteris in actiua vita ſalubriter occupatis, ſine intermiſſione deuotas ad Dominum preces fundunt: quod facere Cartuſianos certiſſimum eſt. Quòd autem diximus, Cartuſianos, cæteroſque id genûs homines, qui deuotis precibus iugiter incumbunt, Reipublicæ admodum vtiles eſſe, ille facilè intelligit, qui veterum monimēta lectitauit. Hæc etenim res figura, exemplo & authoritate probata legitur. Figura inprimis, quæ & Geneſis 14. & primi Regum cap. 30. habetur. Illis enim in locis videre eſt æquam partem deſcēdentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas conſtitutam per Abraham inprimis, deinde per Daniel fuiſſe. Quo nimirum facto (pro Diui Auguſtini ſententia) figuratur, eos, qui velut ad ſarcinas derelicti, pro alijs laborantibus iugiter precantur, non eſſe debita portione priuandos. Hoc quo-

Iob. 7. *Labores Cartuſianorum.* *Orantes pro alijs Reip. plurimū prodeſſe.* *Gen. 14.* *1. Reg. 30.*

quoque exemplo Sanctorum Patrum AEgypti confirmatum eſt, apud quos non minor precantium, quàm laborantiũ merces fuit. Deniq; hoc ipſum authoritate fulcitum eſt, inprimis Auguſtini, qui multis in locis atteſtatur, eos, qui vitæ contemplatiuæ dediti ſunt, non modicũ Reipu. ſuis orationibus prodeſſe ſolere. Cui ſuffragatur Dominus Ioannes Gerſon lib.3. de conſolatione Theologiæ, hoc modo dicens. Vis ſcire quãtum ſegregatus & orans ſit vtilis? Moyſen orantem in monte, dũ pugnaret Iſrael, aſpicito. Tolle itaque orationes timentium Deum, quid prode rit obſecro labor ſe fatigantium prædicando, vel monendo, vel corrigendo: quandoquidem medicos etiam monet ſapiens orare, *vt opera ſua dirigat Deus*, & relliqua quæ ibi ſequuntur. Quibus animaduerſis, palam eſt eos vel ignaros, vel liuidos eſſe, qui aliter ſentiunt, ac homines contemplatiuos pro aliјs iugiter orantes, rei Chriſtianæ inutiles eſſe putant. Quòd autem Hieronymum citaſti dicentem, Sanctam ruſticitatem ſolùm ſibi prodeſſe: nihil ad rem. Si enim Hieronymus Sanctam ſimplicitatem (vt verba ſonant, & tu ineptè putas) aſtrueret, duntaxat ſibi prodeſſe, & rationi aduerſaretur, & ſibijpſi diſſideret. Rationi, inquam, diſſonaret, quæ non ſinit, vt quiſpiam ſanctus ſit, & ſibi ſoli proſit. Proſunt enim cæteris mirificè iuſti ac ſancti meritis, precibus, & exemplis. Sibi quoque diſſentiret, vtpotè qui multis aliјs in locis aſſerat, ruſticanos Reipublicæ inprimis vtiles eſſe. Nam (vt cætera taceam) loquens in Vitis Patrum de illis ruſticanis ſeu anachoretis, quos in AEgypto ac Thebaide, aliјsque locis viderat, dixit eorum meritis adhuc mundum ſtare.

Gerſon.

Orationis vis maxima.

Exod. 17.

Eccl. 38.

Quorum meritis mundus ſtat.

ſtare. Quinetiam præfatis in verbis per te adductis Hieronym. ſibijpſi diſcordaret, cùm dicat, ſanctã ruſticitatem ſolùm ſibi prodeſſe, & eam nihilominus vitæ merito Eccleſiam ædificare. Quomodo ſtare poſsũt hęc duo, ſibi ſolùm prodeſſe, & Eccleſiam meritis ædificare, ſi verba (vt vis) crudè capiantur? Itaque dicamus inprimis Hieronymum ipſum præfatis in verbis, vulgaré loquendi modum ſectatum fuiſſe. Solet enim dicere vulgus indoctum, e~s qui otio ſancto indulgent, ſolùm ſibi prodeſſe. Vulgi autem dictũ non vulgariter ſecutus eſt, vt ſ. illo loquendi modo omnes, etiam ruſticanos, ad ſacrarum literarum ſtudium vehemẽtiùs accenderet. Quod eum facere voluiſſe, ſatis præcedentia indicant. Nam & huiuſmodi ſtudium Paulinum prouocans, Paulum, Timotheum & Titum adducit in medium. Itaque prudẽter animaduertens, ſacræ Scripturæ peritiam inprimis vtilem, ignorantiá verò frequentiſſimè vitioſam ac periculoſam eſſe, illo modo loquendi vſus eſt. Dici & aliter poteſt, Hieronymum non intellexiſſe vniuerſaliter ſanctã ruſticitatem ſibi ſolùm prodeſſe, ſed duntaxat quò ad aliquid: videlicet quò ad docendi, redarguendique officia, quod ipſe ſermonis cõtextus ſatis oſtendit. Voluit ergò Hieronymus ipſe dicere, ſanctam ruſticitatem, ſiue ſimplicitatem, ſibi quidem ſufficere, & ſi quid diſtortum in ſe viderit, redarguere: non tamen alijs hoc præſtare poſſe, quod reprehenſibile eſt in eis potiſſimùm, qui poſſent commodè ac vtiliter huiuſmodi ſcientiam aſſequi, vel eam habentes, Eccleſiam defendere, nec tamen id facere curant. Verùm hæc omnia nihil contra Cartuſianum ſtatum militant, quippe qui non tantũ ſibi,

ſibi,ſed alijs quoq; multiphariam proſit. Quod ex ſubiectis patebit. Itaque modos varios afferamus,quibus vita ipſa Cartuſiana rei Chriſtianę admodùm prodeſſe ſolet.Enimuerò prodeſt orationibus,prodeſt meritis, prodeſt exemplis, prodeſt ſcriptis, prodeſt conſilijs,prodeſt denique temporalibus adiumentis. Quæ omnia breuiter proſequi cupientes, dicamus eam inprimis toti humano generi continuis orationibus prodeſſe.Non enim diebus ſolùm dominicis (quod plebeij facere ſolent)pro Eccleſia tota varijsque gradibus ac ſtatibus eius,preces faciunt, ſed ſingulis diebus, etiam feſtis, ſingulisque horis Canonicis pro ſacerdotibus,regibus,populo, pace, defunctis,fratribus, benefactoribus, afflictis, & captiuis deuotiſſimas preces fundunt Cartuſiani. Taceo quantùm ſacrificijs Miſſarum (quas iugiter,reuerenterque celebrare ſolent) omnibus tùm viuis, tùm mortuis opitulentur. Sed nec de illis quoque commendationibus capitularibus,in quibus ſuos (potiſſimùm benefactores) commendare aſſuêrunt, quicquam dicere certum eſt. Venio igitur ad illas peculiares orationes, quas probi Cartuſiani ſigillatim ſuis in cellulis facere, & omnia penè miſeriarum, tribulationum,neceſſitatumq; humanarum genera,quæ ſub ſole ſunt, & diligentiùs luſtrare, & ſpecialius diffuſiusque orare ſolliti ſunt. Quod etiam vt ſui laici,quos Conuerſos vocant,facere poſſint,eos materna lingua ad orationem pro omni ſtatu faciendam curant imbuêdos, ne quiſpiam inter eos ſit, qui toti Reipub.pijs orationibus ſuffragari diligenter non ſtudeat. Sedula igitur mente volutant varia, quæ ſub ſole ſunt, vitiorum,errorum,ac miſeriarũ genera: vtpotè pom-

Oratio Cartuſianorum.

Vitia ac miſeria mundi.

pompas Prælatorum, Clericorum ambitiones, regularium diſſolutiones, ſtudentium curioſitates, literatorum elationẽ, principum exactiones, litigantium dolos, adulationes curialiũ, nobilium ſuperbiã, militum concuſſiones, corruptiones iudicum, practicorum cautelas, infidelitates mercatorum, artificum fraudes, cõtinentium difficultatem, tribulationes coniugatorũ, diuitum auaritiã, pauperum indigentiam, languidorum dolores, compeditorum gemitus, afflictiões viduarum, orphanorum oppreſſiones, peregrinantium diſcrimina, vulgi mobilitatem, raritatem bonorum, peccatorum multitudinẽ, paucitatem ſapientium, infinitum ſtultorũ numerum, iuſtorum tribulationes, proſperitates iniquorum, obſtinatorum duritiem, cœcitatem ignorantium, falláciã mundi, dęmonis inſidias, petulantiam carnis, aduerſariorum improbitatem, denique vanitates, abuſus, pericula, anguſtias, tormenta, clades, famam, peſtes, diſſidia, bella, mortes, & cætera penè innumera, quibus malè afficitur, iugiterq; agitatur genus humanũ. Quæ omnia Cartuſiani voluentes, peculiares ad Dominum preces fundunt, tantisq; miſerijs ac neceſſitatibus opem ferre ſuis pro viribus ſatagunt. Putas ne poſſe hæc luſtrantes ab oratione ceſſare? Quis enim adeò ſaxeus eſſet, quem iſta diligentiùs conſiderata prótinus ad compaſſionem, orationemq; non mouerent? Orant igitur Cartuſiani pro tot tantisque incommodis, ſuiſque precibus humanum genus fouere, protegere, ac demum ei ſuccurrere moliuntur. Verùm enimuerò non precibus tantùm, ſed & alijs quoque meritis, vtpotè ieiunijs, vigilijs, diſciplinis, alijsque vitæ aſperitatibus, durisque exer-

citijs

citijs toti Reipublicæ proſunt Cartuſiani. Adhæc bonę vitę exemplis multum humano generi proficere creduntur. Si enim illi ipſi, qui diuinum verbum proponũt voceq́; prædicant, multum frugis afferre credũtur, cùm id decenter faciũt, proculdubiò Cartuſiani, qui moribus prędicant, docentq́; operibus, & ſanctæ vitę exẽplis populũ inſtituunt, plurimũ Reipub. Chriſtianæ conferri cẽſendi ſunt, cùm longè meliùs ſit prędicare opere, quàm ſermone, pluſque in moralibus moueant exempla, quàm verba. Parùm enim verba ſine operibus proficiunt, multũ verò opera etiã ſine verbis proſunt. Quanquàm & ipſa ſtudioſa opera ſuam quandam vocẽ & energiam habent, qua intuentium pectora mirum in modum afficiunt. Enimuerò ſeculares, qui Cartuſianos animaduertunt propter cœleſtis patriæ deſiderium timoremq́ue gehennæ, mũdum fugiſſe, in abditum heremi receſſum ſe contuliſſe, loca plerumque malè ſalubria colere, vana fugere ſolamina, fallaces delicias aſpernari, pœnitentiæ lamentis incumbere, & demùm multis duriſque vitæ aſperitatibus ſe macerare, cogitant (qui ſapiunt) cœlorum aditum facilem non eſſe, ſed anguſtam eſſe viam, quæ ducit ad vitam, latam verò quæ ducit ad perditionem. Itaq; tali exemplo commoniti timent, confunduntur, reſipiſcunt, & ad melioris vitæ frugem ſeipſos conuertunt. Non igitur caſſam liuidus dicat eſſe Cartuſianorum vitam: quippe cuius reali prædicatione plùs Eccleſia, quã vocali multorum ſermone ędificari putetur. Quòd enim verbalis prædicatio parùm hoc tempore proſit, ſatis oſtendunt corrupti mores hominũ. Enimuerò partim propter inſufficientiam, imprudenę

Prædicādi genus optimum, quod.

prudentiam, diſſolutionemque prædicatorum, partim verò propter auditorũ duritiem ac miſeriam, ipſæ publicæ conciones parum proficiunt: vtpotè quibus homines paſſim nec flectũtur, nec mouentur, nec deniq; ab errore ac peruerſitate viarum ſuarum reuertuntur. Sed reliqua proſequamur. Cartuſiani inſuper deuotis ſcriptis non parùm Eccleſiæ conferunt vtilitatis. Animaduertentes enim ſibi non licere populum verbo docere, nec tamen ſapientiæ talentum ſine fructu abſcondi debere, tutiorem impertiendi eius modum eligunt, libros ſiue ſcripta conficiendo. Qua in re animaduertendum eſt, duo inprimis eſſe genera ſcriptorũ. Primùm eſt eorum, qui inepti dici poſſunt. Hi ſunt qui futilia, vana, falſa, turpia ac noxia vel dictant, vel tranſcribunt: aut etiam bona (ſi quæ ſcribãt) falsè ac mendosè ita faciunt, vt nec mens authoris, nec verus plerumq; ſenſus haberi poſſit, aut demum ſi bona verè ſcribunt, propter tamen imperitiam ita ineptè punctuant, literasque malè formant, vt eorum ſcripturæ legi nequeant, quibus & illud Plautinarum literarum adaptari poteſt: præter Sybillam has leget nemo. De ijs autem ineptis ſcriptoribus inpræſentiarum verba facere nobis certum non eſt: quippe qui laudem nullam mereantur, ſed contrà potiùs vituperio multo digni ſint, præſertim verò impreſſores nonnulli, qui cupiditate ducti libros omnes quantumuis futiles, laſciuos, noxiosque paſſim imprimunt, & ſi quos probos quandoque imprimere curant, cum innumeris mẽdis id faciunt. Sicque fit, vt vulgus indoctum plùs lectione talium obtenebretur, quàm erudiatur. Sed quid? Hac temporum fęce, qua nimiùm vitia excreue-

creuerunt, & futiles homines inanis gloriæ auiditate perciti, nomen impreſſum quærunt, & futiles quoq; impreſſores cupiditate lucri omnia quantumlibet inepta imprimunt, venaliaq; proponunt. Quæ profectò non fierent, ſi & cupiditatem honeſtatis amor ſuperaret, & rei literariæ debitè conſultū eſſet. Verùm cùm hæc minimè fiant, minimeq; futura ſperentur, timendum eſt, ne tandem diuino iudicio pereat impreſſio. Nimio enim abuſu cœleſtia ſępè munera diuinitùs ablata fuiſſe, memoriæ proditū eſt. Sed iam de altero genere Scriptorum, qui apti ſeu idonei vocari poſſunt, agamus. Hi ſunt qui ſufficientem habentes peritiam vel componēdi, vel tranſcribendi, vtilibus libris (præſertim ſalutaribus) debitè ſcribendis incumbunt. Et horum quidem quatuor gradus inueniri poſſunt. Quidam enim ſcribendi peritiam habent, fideliterq; tranſcribere norunt, qui ſcilicet literam legibilem, ſatiſque paratam faciunt, benè punctuant, orthographiam obſeruant, & demū nullas mendas admiſcent. Verùm inſtar pictorum non intelligunt quæ ſcribunt. Qua de re nullum ex ſua ſcriptura guſtum ſpiritalem penè ſentiūt. Et hi quidem gradum infimum inter ſcriptores idoneos tenent. Alij verò ſunt qui ſenſum eorum, quæ tranſcribunt, literalem ſeu grammaticalem capiunt: quapropter rectiùs tranſcribere, & animum quoq; paſcere, ac deniq; fructum ex ſuis ſcriptis referre plurimū poſſunt. De ijs loquitur Ioānes Gerſon in Tractatu de laude ſcriptorū, duodecim conſiderationes ponens, quib' ſcriptores huiuſmodi duodecim laudum titulis proſequitur. Sed nos breuitati ſtudentes, tetrade cōtenti erimus, dicētes ſcriptores huiuſmodi

prȩſertim qui vel iugiter, vel frequenter huic operi dãt operã) ſibi plurimũ proficere, proximos ædificare, poſteritati cõſulere, & demùm Eccleſiam ipſam iuuare. Inprimis enim ſibi non parũ proficiunt huiuſmodi ſcriptores, quippè qui opus ſuaptè natura bonũ atq; meritorium, ſi tamẽ à charitate proficiſcatur, efficiunt. Ieiunant etiã quodam modo, videlicet corpus ipſum tali labore ſpontaneo macerantes. Orant inſuper cum
Ephеſ. 5. deuotè ſcribunt, interdum pſallentes Domino in cordibus ſuis, quòd Apoſtolus monet, interdum etiam vocalem orationem ſuis (quoad fieri poteſt) ſcriptis miſcentes. Denique ſcripta deuota lectitantes, interdum compunguntur, piaſque lachrymas ab imo pectore trahunt, ſicque pro ſuis piaculis ſatisfaciunt, lapſum vitant, augent virtutes, merita congerunt. Sed iam videamus, quo pacto etiam proximos ædificent. Qui enim hoc modo ſcribunt, miſericordiæ opera largiuntur. Nam & de ſuo interdum lucro fratres nutriunt. Quòd ſi nihil temporalis lucri ex ſuo labore aut nolint, aut nequeãt recipere, eleemoſynam certè ſpiritalem faciunt, vtpotè qui ſuis ſcriptis ignaros docent, errantes corrigunt, conſulunt hæſitantibus, compunctionis argumentũ tribuunt, & demũ prædicantibus vtcunq; ſimiles ſunt. Lingua quidem tacet, ſed manus prædicat: verba nõ ſonant, at ſcripta ipſa loquũtur. Si enim prædicare ille dicitur, qui aliena duntaxat ſcripta voce interdum proponit, cur non etiã ille, qui ea tranſcribendo publicat, dicendus erit prædicator? Profectò eũ prædicare fatendum eſt, cùm prȩdicatio non ſolùm verbo, ſed & ſcripto, ac vitæ exemplo impertiri poſſit. Cui rei aſtipulatur noſter Guigo in cõſuetudi-

nibus

nibus Cartuſianis pulchrè in hunc modum di- *Ca. 28.*
cens. Libros tanquàm ſempiternum animarum *§.3.4.*
noſtrarum cibum cautiſſimè cuſtodiri, & ſtu-
dioſiſſimè volumus fieri, vt quia ore non poſſu-
mus, verbũ Dei manibꝰ prędicemus. Quot enim
libros ſcribimus, tot nobis veritatis præcones
facere videmur, ſperantes à Domino mercedem
pro omnibus, qui per eos vel ab errore correcti
fuerint, vel in Catholica veritate profecerint,
pro cunctis etiã, qui vel de ſuis peccatis & vitijs
compuncti, vel ad deſideriũ fuerint patriæ cęle-
ſtis accenſi. Hæc ille. Iam verò agamus, quo pa-
cto huiuſmodi ſcriptores poſteritati conſulant.
Enimuerò poſteris ſal tribuunt ſapientiæ, fon-
tem aquæ viuæ aperiunt, lumenque diffundunt:
quippe qui ſuis ſcriptis tũ diuinæ ſapientiæ, tùm
charitatis (quæ fons eſt aquæ ſalientis in vitam *Ioan.4.*
æternam) tùm fidei ac cognitionis (quæ lux quę-
dam eſt) materiam poſteris relinquant. Deniq;
vt quartum tangamus fructũ, totam Eccleſiam
huiuſmodi ſcriptores iuuant, ſanis eam libris di-
tando, protegendo quoq; contra hæreticos, Iu-
dæos, cæteroſq; infideles, cuſtodiendo inſuper
aduerſus mundanos, proteruoſque, ac cæteros id
genus, qui perditis moribus Eccleſiam Dei con-
cutiunt atque labefactant, & afficiendo demum
piam matrẽ cum ſuis veris alumnis multo hono-
re. Cùm enim probatorũ doctorum libros tran-
ſcribunt, dubio procul honorẽ eis non paruum
impendunt. Qui non ingrati multa eis beneficia
largiri ſolent, potiſſimũ illi, qui perpetuam fœ-
licitatẽ iam aſſecuti ſunt. Orant enim pro huiuſ-
modi ſcriptoribus, quorũ & curã gerunt, prote-
gunt, opitulantur, & demũ ad ſuum prouehere
conſortiũ ſatagunt. Quibus animaduerſis, mirũ

eſt, hoc tempore tam paucos, vel penè nullos vtilium librorum tranſcriptores, præſertim in religionibus inueniri, maximè cùm huiuſmodi opus tam vtile, tam pium tamq; religioſum putetur, quod & tantã mercedẽ promeretur, quantam nec verbis conſequi poſſemus. Quapropter non ineptè olim Cartuſiani Patres, penè omnes quos ſuſcipiebant ſcribere docebant, qui ſi ſcribere noluiſſent, pœnam dabant. O vtinam hoc apud regulares oẽs noſtra tẽpeſtate prorſus obſeruaretur. Sed mihi deſides, qui vel ſcribendi peritiã aſſequi nolunt, vel induſtriam habentes ſcribere detrectant, obijcient ac dicent. Quid illud eſt, quod hoc tempore tranſcribi poſſit, cùm libri omnes iam impreſſi ſint? Quibus reſpondemus, adhuc multos ſupereſſe libros ſatis ineptè ſcriptos, nondum impreſſioni creditos, ſed in obſcuro verſatos, multũ ſitum hactenus obduxiſſe, quos meliùs ſcribere poſſent. Deinde aliquos doctos inueniri, qui noua opera elaborantes, ſed puram literam formare neſcientes, bono ſcriptore ad ſuas (vt ita dixerim) minutas tranſcribendas indigent. Quem ſi haberent, & graui faſce leuarentur, & alijs quoq; ſcriptis cõficiendis vberiùs incũbere poſſent. Deniq; ſunt Eccleſiaſtici libri multa vetuſtate conſumpti, adeoq; antiquati, vt in eis legi non poſſit, qui ab huiuſmodi ſcriptoribus non ſine laude inſtaurari vel tranſcribi poſſent. Verùm plerique tanta ſunt deſidia, vt malint librorũ huiuſcemodi penuriam pati, quàm ſcribendo parùm laboris admodùm vtilis atque laudabilis ſumere. Sed iam ad tertium Scriptorum modum accedamus, qui ſcilicet aliena dicta colligunt. Quod fit interdũ nihil de ſuo addendo, ſed duntaxat aliena congeren-

gerendo, ſimulque ſub eiſdem verbis aptando, coniungendoque. Quod licèt vtcunque laborioſum ſit, non tamen præſtantis eſt ingenij vel acuti. Interdum verò idipſum efficitur ſub alijs verbis alienas ſententias legendo, nonnihilq; de ſuo addendo, quod apud Summiſtas vſitatū eſt. Vtrique autem collectores decenter colligentes, quamuis laude, præmioque digni putantur, non eſt tamen cur gloriari debeant. Quippe qui duntaxat organa quædam ſint, & principalium authorum inſtrumenta. Sunt, inquam, velut refarcitores, qui ex diuerſis fruſtris nouum quodammodo indumentum faciunt. Cauere igitur debent, ne vel intumeſcant, vel aliena tanquam propria ſibi vendicent. Alioqui nō iniuria contingere eis poterit, quod de cornicula quadam fabuloſè apud Horatium legitur. Quæ cùm ſui coloris tædio affecta, pulchritudiniſque deſiderio accenſa, à qualibet aue vnam poſtulaſſet, accepiſſetque plumam, cæteris ſe in pulchritudine præferebat. Indignatæ propterea aues, à cornicula plumas ſuas abſtulerunt, eamque nudam reliquerunt. Qua ſanè fabula huiuſmodi ſcriptores probè admonentur, ne vanitate ſtimulati, aliena vt propria ſibi tribuant: videlicet ne aues ſpiritales (præſtantiſſimos authores dico, qui in alta volârunt) propterea moleſtè ferentes, veniant, & ab huiuſmodi collectoribus ſuas pulchras plumas (hoc eſt, ſententias ac dicta egregia) auferant, ſicque nudi prorſus effecti, multo rubore ſuffundantur. Cæterùm iam quartum ſcriptorū gradum ſubnectamus. Hi ſunt, qui putantes, ingenij infœcundi eſſe, aliena ſemper ſectari veſtigia, propria inuentione elaborata ſcripta conficiunt, nec tamē aliena citare teſtimonia ad ſua

In eos qui aliena vt propria ſibi vendicant.

dicta vel probanda, vel confirmanda dedignantur. Et hi quidem omniũ prȩſtãtiſſimi ſunt, modò ſincerè ac debitè vtilia ſcribant. Sincerè ſcribunt, cùm pura intentione mouẽtur: quod in omnibus ſcriptoribus exigitur, qui mercedẽ à Superis expetunt. Debitè faciũt, cùm ea, quæ ab eis ingenij felicitate, vel potius peculiari Dei munere ſublimiter inuenta ſunt, debitè partiuntur, ſingula locis aptis diſtribuunt, verbis exornant, quantùm certè materia ipſa flagitat, nimiam vitant obſcuritatem, ſimulque tædioſam prolixitatem, oſtenſionem cum iactantia cauent, curioſitatem deteſtantur, ſublimitatẽ vix intelligibilem abhorrẽt, errores vanitatesq; abijciunt, noxia, ſuperflua, turpia, ſcandaloſaq; deuitãt, & demùm vitia illa, quȩ vanis ſcriptoribus contingere ſolent, pro viribus fugiunt. Quod ſanè factitantes honorem maiorẽ, prȩmiaq; vberiora quã cȩteri ſcriptores merentur, quippè qui præcipui authores ſint, multo quoq; labore conficiantur. Ingentis quippè laboris eſt, grande, altum, vtileque opus proprio Marte decenter elaborare. Quod ſoli plenè norunt, qui periculum fecerũt.

Cartuſianos ſcriptis Reip. multum prodeſſe.

Sed iam ad inſtitutũ reuertamur, dicẽtes (vt cœpimus) Cartuſianos ſcriptis vtilibus multũ Reip. vtilitatis afferre ſolere. Quandoquidem in eis quatuor vtilium Scriptorum gradus (de quibus nuper meminimus) non modò iampridem inuenti ſunt, ſed adhuc (Deo gratias) reperiri queunt. Adde quòd peculiaribus ſcriptis, ſeu literis interdum eos, quos familiariter nouerunt (quando per facultatem licet) adhortantur, vt morum correptioni incumbant, aut certè in bono perſeuerent. Hoc Patrem Brunonem feciſſe ſuæ teſtantur epiſtolæ. Hoc & alios factitaſſe

taſſe dubitandum non eſt. Iam verò oſtendamus, Cartuſianos ſuis conſilijs multum cæteris hominibus opitulari ſolere. Siquidem non tantùm vitæ exemplis, ſaniſque ſcriptis, ſed verbis quoque ſalutaribus illis, qui ad ſe veniunt, conſulere ſolent; potiſſimùm hi, qui partim conditione humana, partim diuina gratia imbuti idipsũ præſtare poſſunt. Ad hoc enim munus (præſertim cùm de conſcientiæ dubijs agitur, quæ literis credita nó reperiuntur) aptiores non iniuria videntur, quàm ſeculares quidam, qui ſpeculatiua ſubtiliaque duntaxat contemplati, exercitatos in huiuſmodi negotijs ſenſus non habent. Quomodo enim animales poſſent ea ſanè docere, quæ vnctionem peculiariter flagitant? Nec tamen omnes habitum ſecularem geſtantes excludo. Sunt enim in eis nonnulli, (quamuis non ita multi) qui negotio huiuſcemodii creduntur aptiſſimi. Sed nec omnes regulares admittendos puto, cùm plerique ſcioli reperiantur, qui ſuperbia inflati præſumunt ea docere, quæ neſciunt. Quamobrem illi ſoli videntur ad id negotij idonei, qui docti, prudẽtes, exercitati, vereque humiles, ac deuoti ſunt. Hi enim ſolent vnctione docente intelligere, pijsque orationibus conſequi, quod humana induſtria conferre non nouit. Cùm igitur in Cartuſianis inueniantur huiuſcemodi, haud dubium quin ſuis cõſilijs plurimum Reipublicæ proſint. Adeunt enim eos frequenter illi ipſi, qui de ſua ſalute curam gerunt, qui ſanis conſilijs audientes, optata animi tranquillitate potiuntur. Sed cur non adirent, cùm legamus, doctiſſimos etiã viros interdũ pro habendo conſilio ſolitarios adiuiſſe? Adierunt ſiquidé multi Phyſici magnum illum

Ad præſtandum conſilium apti qui.

Doctiſſimos quãdoq; ſolitarios cõſilij gratia adijſſe.

illum Antonium. Adiuit ſapientiſſimus Auguſtinus Simplicium egregium ſolitarium. Adijt noſter Bruno quēdam probatiſſimum heremitam. Adiêre & alij penè innumeri, quos nihil neceſſe eſt in medium proferre. Deniq; temporalibus adiumentis ſolent proximis prodeſſe Cartuſiani. Etenim Chriſti pauperibus tùm publicas, tùm ſecretas eleemoſynas impertiūtur, mutuum dant indigentibus, operarios non valentes interdum lucri quicquam alibi facere, cum iuſta mercede conducunt: & demùm (vt cætera taceantur, quæ ſilentio videntur prætereunda) humano generi etiam temporalibus adiumentis prodeſſe ſatagunt. Non eſt ergo, liuide, cur vitam Cartuſianam poſthàc dixeris mortalibus inutilem eſſe. Non eſt, inquam, cur contumelia Cartuſianos afficias, porcosq; dicas. Animaduerte diligentiùs porci conditiones, & teipſum tuique ſimiles, nō autem Cartuſianos, videbis porcos optimo iure nuncupari poſſe. Porcus enim de ventre paſcendo totus ſollicitus eſt, clamat ſi non paſcatur, paſtus nulla gratitudinis ſigna oſtendit. Non enim ſuſpicit, vnde ſibi glādes proueniant. Poſt paſtum mox cœnum petit, in quo volutetur & dormiat. Sic tu cum tuis, liuide, de ventre replendo totus anxius es. Non enim tibi ieiunia placent, quæ Cartuſianis aſſidua ſunt. Clamas atque murmuras, ſi ad votum non ſatieris, cùm tamen Cartuſianus his, quæ ſibi apponuntur, contentus euadat. Paſtus quoque nullas penè gratias agis, nec (vt par eſt) ſuſpicis ad eum, à quo bona tibi omnia profluunt. Quòd ſi forſan quaſdam gratiolas ſummis labijs perſoluas, cor tamen tuū longè à Deo eſt, cui tùm operibus, tùm moribus plurimū ingratus eſſe compro-

probaris: cùm tamen Cartuſianus & verbis & meritis iuges gratias agat. Deniquepoſtquàm opiparè paſtus es, alienam vitam depaſcis, teque ſordibus detractionis contaminas, aut certè voluptatis cœno te totum immergis, aut ludis vetitis, ſeu nugis incumbis, aut demùm (nulla te iuſta impellente cauſa) dormitum vadis, ſolasque corporis voluptates, inſtar porci, ſectaris. At cōtrà, Cartuſianus ſumpta refectione, vtilibus rebus incumbit, nec (vt opinaris) voluptuoſo ſomno indulget. Verùm ſi quandoque dormit (quod æſtiuo tempore ſancti Patres ſuis alūnis poſt prandium conceſſerunt) non voluptatis, ſed neceſſitatis gratia, propter noctis vigilias id facit. Multos tamen Cartuſianos reperire eſt, qui eo tempore nullo pacto dormiant, ſcientes ſomnum meridianum periculoſum eſſe ſolere. Non igitur Cartuſianum, ſed teipſum porcum nuncupes. Tametſi magnoperè non curat Cartuſianus, quo eum nomine voces. Potius enim vult porcus Dei vocitari, quàm Cerberus canis eſſe. Porci enim caro (præſertim ſylueſtris) cum multa etiam delectatione comeditur, canina verò minimè. Satius, inquàm, eligit affici contumelia, quàm canino dente mores abſentum rodere proboſque viros lacerare. Mauult deniq; immundi canis latratum patienter audire, quàm altercando moram facere, cœptumque iter retardare. Scit enim, non ſuos tantùm, ſed alios quoq; Patres, qui ſui propoſiti nō ſunt, benè viuentes huiuſmodi contumelia affici ſolere. Scit etiam, liuidorū detractorumq; inſaniam aduerſus probos mores ſemper armatam fuiſſe. Scit quoq;, ab inimicis Iudæis, & Chriſtū *Matt. 11.*
Dominum voracem vinique potatorem fuiſſe

Luc. 7. appellatum, & præcurſorem eius Baptiſtam taxatum, dictumque, quòd dæmonium haberet. Scit demum maledicam lubricamque linguam nulli hominum generi vnquam peperciſſe, ſed nec parcere quidem. Enimuerò ſi quiſpiam diligentiùs aduertere voluerit, inueniet nullum eſſe in Eccleſia ſtatum, qui aliquo mordaci verbo non taxetur rideaturque. Non igitur mirum eſt, ſi Cartuſiani quoque mordeantur, & à porcis quibuſdam porcina afficiantur contumelia. Sed his iam ſatis diſcuſſis, ad alia tranſeamus: peculiariterque oſtendamus, vitam Cartuſianam viris literatis, etiam publicæ doctrinæ aptis, vtilem aptamque eſſe.

CAPVT III.

Oſtenditur, Cartuſianam vitam literatis viris, etiamſi ad docendum populum apti ſint, aptam eſſe, & vtiliter ab eis ſuſcipi, agiq; poſſe.

Oblocvtor.

Oſtēdamus & nos, literatis viris, præſertim illis, qui ad populum verbo docendum apti ſunt, ipſam Cartuſianam vitam nō ſolùm ineptam, ſed & periculoſam noxiamque vehemēter eſſe. Quod quidem vt aptiùs monſtretur, primùm authoritatibus, deinde rationibus idipſum conficiamus. Inprimis ſacris in literis *Prou. 11.* maledicitur, qui frumentum abſcondit in populis. Abſcondere frumentum quid eſt', niſi doctrinā (quæ frumenti nomine accipitur) ſe, in ſolitudi*Exod. 23.* ne claudendo, populis non impertiri? Maledici*Luc. 25.* tur etiam, qui non reliquerit ſemen ſuper terram. At verò quid aliud eſt non relinquere ſemen, quàm nullos ſpiritales filios, qui docendo efficiuntur, poſt ſe relinquere? Deinde ait Eccleſia-

cleſiaſticus: *Sapientia abſcondita & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* quaſi dicat, nulla. Qua authoritate luculenter virorum peritorum (qui ſe in clauſtrali ſolitudine recondentes, quam habent ſapientiam abſcondunt) taxatur inſipientia. Porrò conqueritur per Prophetam Dominus de viris doctis, qui doctrinæ panem frangendo, hoc eſt, declarando populis, non largiuntur, hoc modo dicens. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Inſuper vt ad nouum teſtamentum tranſeam: *Nemo*, ait Chriſtus Matthæi 5. *accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Qua nimirùm authoritate prorſus inſipientes oſtenduntur, qui verbum Dei (quod Lucerna quædam eſt, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*) non publicant, ſed recondunt: quod Cartuſianos facere minimè dubium eſt. Ad hæc ſeruus piger, cui pecunia ſiue talentum vnum à patre familiâs creditum fuerat, in Euangelio ſeueriſſimè arguitur ac damnatur, non quia Domini pecuniam diſſipauit, ſed quòd in ſudario ligauit, talentumque ipſum in terra fodit. Quæ profectò ſententia illos, qui ſpiritalē pecuniā (hoc eſt, doctrinā, atq; prædicationis talentū) acceperūt, nec proximis erogant, iuſto iudicio dānat. Deniq; ſi reprehēſa eſt Maria, quòd vnguentū pretioſum effudit, dictumq;, *vt quid perditio hæc?* quid obſecro illis dici poterit, qui ſapientiæ vnguentum nullo modo effundunt, ſed in pixide retinent? Poſſem & alias authoritates ſacrarum literarum afferre, poſſem & dicta multorum doctorum depromere, ſed vnam D. Gregorij ſentētiam ſatis ſit in medium proferre, quā in ſuo Paſtorali poſuit,

Eccle. 20.
Thren. 4.
Matth. 5.
Pſal. 118.
Matth. 25.
Matt. 26.
S. Greger.

poſuit, cùm inquit. Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, ſolius contemplationis ſtudio inardeſcunt, parêre vtilitati proximorũ in prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt, ſeceſſum ſpeculationis petũt, de quo ſi diſtrictè iudicentur, ex tantis proculdubio rei ſunt, quãtis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt. Vides vt terribiliter eos arguat, qui prædicatione neglecta, ſtatum contemplationis, qualis eſt Cartuſianorum, eligunt? Sed ad rationes propero, quarum prima ſit huiuſmodi. Habens fortunæ bona, tenetur indigenti proximo ſuccurrere. Igitur & habens doctrinæ bona, debet ſpiritalem eleemoſynam his, quibus opus eſt, impertiri. Deinde nihil eſt homini ingrato fœdius. At verò qui prædicationis ſeu doctrinæ gratiam proximis (pro quibus ſanè docendis eam diuinitùs accepit) non impendit, planè ingratus eſt. Quod eos vitium admittere certum eſt, qui ſe ad ſolitariam vitam iugiter agendam conferunt. Porrò tenetur quiſque proximum errantẽ publicè corripere ſeu admonere, præſertim cùm videt, admonitiones publicas proficere, ſecretas autem vel fieri non poſſe, vel factas nihil prodeſſe. Igitur vir literatus, qui huiuſmodi negotio poſſet incumbere, perperam agit, proximos (quos amore complecti iubetur) non admonendo, ſed in errore dimittendo. Inſuper ſi omnes viri docti, atque prædicationi apti, ſe clauſerint, quis populo doctrinã ſuppeditabit? Nemo profectò. Quod cùm noxium inconueniensque ſit, ineptum quoque erit, virum doctum ſe in clauſtrum recipiendo populum non docere, ſed exemplum fugiendi ſeculi cæteris tribuere. Ad hæc multi viri docti clauſtra ſolitudineſque de-

ſtitue-

ſtituérunt, in publicumque prodierunt, vt populum admonendo prædicandoque inſtruerẽt. Quo ſatis exemplo monſtratur, doctum aptumque prædicationi virum, ſolitudinem petere nõ debere: vtpotè quam viri & docti, & ſancti, gratia docendi populi liquerunt. Poſtmodùm ſi cui literato placet religio, videtur ſaltem eam deligere debere, in qua modò contemplationi, modò prædicationi incumbere poſſit, vt & deuotioni ſuæ, & obligationi diuinæ ſatisfacere queat: exemplo quoque Chriſti, qui interdum cõtemplationi vacabat, interdum prædicationis munus impendebat, quod ſuper alia exercere dignatus eſt. Denique quid literatus vir atque vrbanus in ſolitario clauſtro frugis afferre, quonã modo iugiter pergameno latrare, qua denique ratione imperitorum ac ſimplicium fratrum inſuetos intolerabileſq; ſibi mores ferre poterit? Quibus animaduerſis, infructuoſa ac periculoſa eſt viro literato, publicæque doctrinæ apto, vita Cartuſiana. PET. Has obiectiones (quæ apud nonnullos multæ videntur apparentiæ) diluere cupiẽtes, ſupponamus inprimis (quo res ipſa fiat luculẽtior) quatuor eſſe doctorum virorum genera. Primum eſt eorũ, qui propter virium imbecillitatem, aut aliam cauſam propoſito Cartuſiano apti non ſunt. Non enim omnium eſt religio (pręſertim tetrica, cuiuſmodi eſt Cartuſiana) & hi nullam faciunt difficultatem. Ineptos enim heremus non quærit. Alterum genus eſt eorum, qui ad ferendam huiuſmodi ſarcinam ſufficientes vires conditioneſque habent, ſed nullo deſiderio, nullaque vitæ ipſius affectione trahuntur. Et ij quoque nihil afferunt pręſenti negotio difficultatis. Niſi enim cùm viribus adſit deuotio,

nemini apta eſſe putatur Cartuſiana vita. Tertiũ genus eſt eorũ, qui & viribus & deuotione prædiditi, Cartuſianæ vitæ apti ſunt: tamen ob linguæ ineptitudinem vel aliam cauſam prædicationi doctrinæque publicæ idonei non ſunt. Et ij ſimiliter nullam huic negotio anxietatem pariũt. Nullus enim ſanæ mentis dixerit, eos, ſi Cartuſianum propoſitum ſuſceperint, perperam agere, quippe qui magnum habeant argumentum ad ipſum vtiliter capeſſendum. Quartum deniq; genus eſt eorũ, qui velut ambidextri, & doctrinæ publicæ, & ſolitudini Cartuſianæ opportuni videntur. Hoc eſt, prædicationis gratiam conſecuti ſunt, quam ſalubriter quoad Deum, aut certè ſatis aptè quoad apparentiam humanam, impertiri queunt, & nihilominus vires quoque ſufficientes ad Cartuſianæ ſolitudinis pondus aptè ferendum habent. Et ij quidem bipertiti ſunt. Quidam enim animarum curam ſuſceperunt: àlij verò ab hoc periculoſo munere ſunt immunes. De vtriſque autem dubietas eſſe poteſt, an valeant Cartuſianam ſarcinam (ſi ad eam afficiãtur) ſuis humeris imponere. Videri enim, propter obiectiones ſuperiùs tactas, prima frõte poteſt, eos ſalubriter facere non poſſe. At verò ſecus ſentiendum eſſe conficietur. Et quidem in ijs, qui curam habent animarum, duo conſideranda veniunt, ſcilicet officium ipſum, & literatura. Quantum ad ipſum ſpectat officium, ſatis 1. libro, cum de Brunonis diſceſſu à ſeculo, deinde à pontificia Curia tractaretur, diſſeruimus. Quãtum verò ad prædicationis, doctrinæq; talentũ pertinet, non ita ſumus proſecuti. Verùm cũ de alijs literatis, quib' necdũ animarũ ſarcina impoſita eſt, oſtẽſum fuerit, de ijs quoq; ſatis patebit.

De ijs qui curã habent animarum.

Aga-

Agamus igitur de literatis ab animarum ſolicitudine liberis, qui tam actioni prædicationis, quã contemplationis gratiæ apti videntur, an videlicet ſolitarium ſtatum (qualis eſt Cartuſianus) nõ obſtãte prædicationis, doctrinæq; talento ſibi credito, tutè ſuſcipere poſſint. Qua in re dicimus, prædicationis ſeu doctrinæ talentũ nihil impedire, quin vir doctus (modò aliâs idoneus ſit) citra periculum queat ſolitariam vitam (cuiuſmodi eſt Cartuſiana) profiteri. Quod quidem ne gratis dicere videamur, idipſum conficiamus authoritatibus, rationibus, & exemplis. Authoritate inprimis D. Auguſtini 19. de ciuitate Dei ita dicentis. A ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Quòd autem aliquis ſuper candelabrum ponatur, nõ pertinet ad ipſum. Et ſubdit. Quæ ſarcina ſi non imponatur, contemplandæ veritati vacandum eſt. Vides vt Auguſtinus aſſerat, neminem à ſtudio cognoſcendæ veritatis eſſe prohibitum, imò contemplationi vacandũ eſſe, ſi per facultatem liceat. Cùm igitur in ſolitudine Cartuſiana & veritatis cognitioni, & contẽplationi iugiter vacetur, poterit literat⁹ (ſi nihil aliud obſtet, q̃ literatura vel prędicãdi gratia) in ſolitudinẽ Cartuſianam ſalubriter ſe recipere. Huic rei aſtipulatur D. Gerſon, qui nonnullis Theologos taxantibus atq; improperantibus, ꝙ non prædicent, ſed ſcientiæ talentum ſibi collatum retineant, in hunc modum reſpondet: Accipiant ſic loquentes, verã hanc pro multis reſponſionem. *Nemo nos conduxit.* Neque enim licentia magiſtralis in Theologia dat obligationem prædicandi, ſed oſtendit idoneitatem, quã exercere non tenentur, niſi velint, vel aliundè mit-

Auguſt.

Gerſon.

Matt. 20.

tantur cum mercede ſua. Cernis pro doctoris huius ſentẽtia literatum virum, quantum eſt ex parte doctrinæ, ad prædicationem populo impertiendam non aſtringi, eaq; de re liberam ſolitudinis petendæ facultatem (ſi ad eam afficiatur, idoneusque videatur) ſibi adeſſe. Quod rationibus oſtendere quoque valemus. Inprimis nullus quantumuis literatus, cui proximorum onus creditum non eſt, prohibetur contemplationi vacare, ſolitariamque vitam ſuſcipere, niſi forſan ex ſuſceptæ gratiæ beneficio, ne ſ. donis diuinis ingratus, ſeu piger eſſe videatur. Alia enim ratio non ſolet paſſim afferri. At verò huiuſmodi beneficium diuinum nõ ita virum doctum aſtringit, quin poſſit ſolitariam vitam gratia contemplationis eligere. Quod vt probemus, ſupponamus, trifariam in genere aliquem ad doctrinam populo impertiendam obligari, ſcilicet aut ex officio ſuſcepto, aut ex ſuſceptæ gratiæ beneficio, aut denique ſuperioris imperio. His enim tribus modis (quorum duos primos in Dialogo Guilielmus Okam poſuit, quibus tertium non iniuria adijciendum putauimus) quiſpiam aſtringitur. Nam & Prophetas à Deo ſpeciali reuelatione miſſos legimus, & Prælatos (præſertim religioſos) videmus interdum ſuis ſubditis, qui commodè facere poſſunt, prædicãdi onus iniungere. Hoc ſuppoſito pergamus probare quod cœpimus. Vir literatus, quantùm ad prædicandi aptitudinẽ præciſè ſpectat, non tenetur modo primo. Quippè qui nullam animarum curam habet (vt ſupponitur) nec ſecundo quoque, nec tertio. Dicis eum ſecundo modo, hoc eſt, ratione gratiæ ſuſceptæ aſtringi alioqui diuinis beneficijs ingratus eſſet.

Quot & quibus modis tenetur quis ad prædicandum.

Sed

Sed probemus eum nec hoc quidem modo (in quo verſatur huius negotij difficultas) aſtringi, quin poſſit, ſi velit, ſolitariam vitam, cui aptus eſt, ſuſcipere. Probemus (inquam) ſupponentes virum ſacris litteris eruditum, prædicationique idoneũ, tribus in caſib' generaliter ratione gratiæ ſibi collatæ duntaxat, ad prædicandum obligari. Primus eſt, ſi adſit neceſſitas docendi populi, cui aliter conſuli nõ poſſit: vtpotè ſi adſint quibus neceſſaria doctrina opus ſit (cuiuſmodi ſunt ignorantes atque errantes in ijs, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria) nec alius apparet modus, quo tali ignorãtiæ conſuli poſſit. His enim duobus concurrentibus, viro apto incumbit docendi neceſſitas. Alter caſus eſt, quando hæreſium propellendarum neceſſitas imminet. Non enim ſatis eſt gregem dominicum verbo paſcere, niſi & contra lupos inſidiantes defendatur. Itaque vir doctus videns hæreticos graſſari, nullumque defenſorem adeſſe, qui ſe murum pro domo Iſrael obijcere aut velit, aut poſſit, huic tantæ calamitati pro viribus ſuccurrere debet. Tertius caſus eſt, quando periculum ingratitudinis imminet. Quod quidem poſitis conditionibus nonnullis contingit, cùm ſcilicet vir prædicationi idoneus, nullis occupationibus implicatur, ſed otio vacat, ſi ei gratis materia offeratur, & quantum opus eſt de ſufficienti ſuſtentatione prouideatur, tenetur (quando commodè facere poteſt) prædicationi incumbere: vtpotè ſi ab ordinario peculiariter ad populum docendũ mittitur, facta ſibi inprimis de honeſta ſufficientis ſuſtentationis prouiſione. In hoc enim caſu cõtrahitur (vt Gerſon ait) in tali Doctore quaſi paſtoralis obligatio. Quod mihi verum videtur,

poſitis circumſtantijs quas diximus. Adde quod poſitis huiuſmodi circumſtantijs, lex charitatis eum aſtringere videtur, vt ſuppleat vices Paſtoris, qui vel propter defectum doctrinæ, vel linguę ineptitudinem, vel debilitatem, vel ſenium, vel morbum, vel abſentiam, vel aliam huiuſmodi cauſam prædicationi incumbere non poteſt: vel ſi poteſt, non tamen omnibus ſibi commiſſis propter ingentem (vt aſſolet) copiam ſufficere valet, eaque de re adiutores cum iuſta mercede quærit. In hoc caſu tenetur vir Literatus iubenti Prælato obedire. Sed & ſi ab alio gratis offertur materia, ſeu populus, quẽ ſine vllo detrimento imò & cum multo ſpiritali commodo erudire facilè poteſt, idem iudicium videtur. Nam ad vitandam ingratitudinem atque pigritiam, tenetur (qui diu tali otio fruitur) poſitis conditionibus, quas diximus, talẽtum ſibi creditum proximis impertiri: cum vnicuique mandauerit Deus *Eccl. 17.* de proximo ſuo, vt Gregorius in Paſtorali innuere viſus eſt, cùm dixit: Caueat ne pecuniam in ſudario ligans, de eius occultatione iudicetur. Pecuniam quippe in ſudario ligare eſt, percepta dona ſub otio lenti corporis abſcondere. His ergo caſibus ſuppoſitis, facilè probare eſt, quod probandum ſuſceperamus. Siquidem nullus horum caſuum impedit virum litteratum, quin ſolitariam vitam (vt ſecuriùs, pleniuſq; valeat contẽplationi vacare) profiteri queat. Non enim primus, vt ſupponitur, & ſatis cõſtat: cùm nulla hoc tempore huiuſcemodi neceſſitas immineat, cui aliter ſuccurri non poſſit. Imò verò temerarius præſumptuoſuſq; foret, qui ſe ita neceſſariũ, vt ſine eo populus doceri non poſſet, arbitraretur: maximè cum Eccleſia ſit prædicatoribus refertiſſi-

Nullũ ex his tribus caſibus impedire literatũ ab intranda ſolitudine

tiſſima,tot fiant prædicationes, vt multis prudẽtibus viris nimiæ eſſe videâtur. Nec tertius quoque caſus vllo eſt impedimento. Eſto enim vir prædicationi aptus (quãdiu otio potitur) debeat concurrentibus alijs circunſtantijs interdũ prædicare, ne ſ.torporis atq; ingratitudinis damnetur: non tamen ex hoc conficitur, eum periculoſum ſeculum, difficilemq́ue prædicationis ſarcinam deſerere non poſſe. Non enim ingratus eſt, qui iugiter Deo vacare, melioremq́; partem eligere, & ſtatum ſecuriorem arripere cupit. Ille denique nullo modo putandus eſt accepta dona ſub otio lenti corporis abſcondere, qui fugiens otium, laborem ſuſcipit aſſiduum. Confirmari poteſt ratio hęc in hunc modum: Nullus tenetur prædicare, niſi mittatur. *Quomodo,* inquit Apoſtolus, *prædicabunt, niſi mittantur?* Quaſi diceret, non poſſunt dignè prædicare, niſi mittantur. Alioqui de numero illorũ forent, de quibus Hieremiæ 23. dicitur: *Non mittebam illos, & ipſi currebant,* quòd profectò præſumptionis eſt. Sed vir doctus quantum eſt ex parte doctrinæ, præcisè non mittitur. Non enim à Deo immediatè per internam inſpirationem vel iuſſionem, nec ab homine quoque authoritatem habente. Quandoquidem nullus hominum authoritatem habet mittendi virum inuitum, aut retinendi in ſeculo, & prohibendi ne religioſam vitam ſuſcipiat. Hoc enim eſſet vſurpare poteſtatẽ non ſibi creditam. Igitur vir literatus quantũ eſt ex parte doctrinæ præcisè ad prædicationem aſtringitur. Quòd ſi non teneatur, quid eſt (obſecro) quod eum ſolitariam vitam adire vetet? Nihil ſanè, modò aliâs, idoneus ſit. Fortè dicis, eum mitti præcepto generali, quo iubetur quiſque diuinis

Nullum ad prædicandum teneri niſi mittatur.
Rom. 10.
Hier. 23.

gratijs donatis ſalubriter vti, ne ingratus videatur. Iam reſpondimus, cum nullo modo ingratum eſſe, qui periculoſum prædicationis onus fugiens, ad heremiticam vitam probè obſeruatam ſe transfert. Ibi enim otioſè non viuitur, nec talenta dominica in terra fodiũtur. Deinde ſi propter ſcientiæ talentum, non poſſet quiſpiã ſolitariam vitam ſuſcipere, quod ſ.à ſe talentum auferret, quo tamen operari in ſeculo potuiſſet, eadem ratione nullus habens poſſeſſiones poſſet eas deſerere, ſolitariumque ſtatum eligere, quoniam à ſe reijceret talentum, quo proximis prodeſſe poſſet. Sed hoc eſt prorſus abſurdum: ergo & alterum. Inſuper probemus adhuc, quod probare cœpimus, ex parte difficultatis ac periculorum, quæ in publica prædicatione comperiuntur, adeò quidem vt non ſanè mentis eſſe videatur, qui (niſi aſtrictus ſpecialiter) tantam molem, tantaque pericula ſubire non trepidat: maximè quando ad Cartuſianã vitam, cui afficitur, debitè ferendam idoneus eſt. Enimuerò (vt prędicationis difficultates inprimis tangamus) ſtatus ille arduus innumeras penè conditiones exigit, vt Superis mortalibusque ſimul gratus euadat. Poſtulat enim virũ ſacris literis eruditum, feruidum charitate, zelo animarum ſuccenſum, ſyncerum intentione, cõuerſatione honeſtum, compoſitum geſtu, expreſſionis gratia præditũ, dictis prudentem, & demum verbis aptis ac decentibus vtentem, hoc eſt, veris, grauibus, honeſtis, ſonoris, auditorioque ſufficientibus, & denique per omnia moderatis & libratis. O quis hæc omnia prędicatoris perfecti inſtrumenta, in eodem inuenturus eſt? E diuerſo innumera ſunt pericula, quæ & prædicatoribus contingere ſolent,

Quam periculoſus prædicãdi ſtatus, & quæ à bono prædicatore exiguntur.

lent, & cauenda ſunt inprimis, antequã fructuoſa prædicatio eſſe queat. Pellenda inprimis eſt cœcitas ignorantiæ, ne cœcus cœcum ducat, amboque in foueam cadant. Sunt enim qui fabricatis ſermonibus duntaxat vtuntur, quippè qui proprio marte conficere non poſſint: quos ſi errare cõtigerit, nil mirum eſt. Pellenda, inquam, eſt intentionis corruptio, ne vel inanis gloriæ (quæ prædicatoribus familiaris eſt) vel ſacerdotij conſequẽdi, vel conciliandi fauoris humani, vel demum habendi lucri auiditate, prædicatio impendatur. Pellenda quoque eſt affectûs tepiditas. Quomodo enim frigidus poterit frigidũ calefacere? Cauenda etiam admodùm eſt vitæ diſſolutio, quæ inanem prædicationem reddere ſolet. Vtinam (inquit Lactantius) tam multi benefacerent, quàm multi bene loquuntur. Sed qui præcipiunt, nec faciunt; abeſt ab eis fides, & ſoluta præcepta ſunt. Cui Gregorius aſtipulatur, cùm inquit: Cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur. Cauendum igitur ſummoperè eſt, ne dictis vita diſſentiat. Cauenda inſuper eſt geſtuum ineptitudo. Quidam enim, inſtar ſaxi, per totam concionem immobiles perſeuerant. Alij contrà (præſertim fraterculi) vſque adeò incompoſiti ſunt, vt ſimiarum geſtus imitari videantur. Vitanda quoque eſt in riſu, fabulis, verbiſque otioſis leuitas. Non enim prædicatoris eſt, homines ad riſum, ſed ad luctum prouocare. Nec etiam eius quoque eſt inanes fabulas, ſed res vtiles ac neceſſarias afferre. Non denique otioſis verbis, ſed aptis, atq; ad rem pertinẽtibus vti. Vitanda etiã eſt in verbis multifaria imprudentia. Inprimis falſitas eſt fugienda in dictis, in allegationibus, in expoſitionibus.

Quæ à prædicatore ſunt cauenda vt prædicatio eius ſit fructuoſa.

Luc. 6.

Lactantius.

S. Gregor.

nibus. Quidam enim errores ſpargunt in vulgus. Alij Doctores citant, quorum nec libros, nec librorum quidem tegmina viderunt. Alij diſtortè Scripturam vel repugnantem interpretantur, eamq́; velut certa eſſet, in quam partem volūt, ineptè torquent. Hæc autem totis (vt aiunt) pedibus fugienda ſunt. Fugienda quoque prorſus eſt adulatio, qua paſſim mercenarij prædicatores vtuntur, loquentes placentia, verbiſque vanis aures populi demulcentes. Quinetiam interdùm laudant aut mala, aut vana, quæ acriter improbare debuerant. Fugienda eſt inſuper iactantia, ne ſ. prædicator vel de ſuis moribus, vel doctrina, vel operibus, vel ſtatu iactanter loquatur. Quomodo enim ſuperbiā improbabit, qui turgida vtitur iactantia? Fugiendum quoque ſcandalum eſt, ne maledictionem euangelicam prædicator incurrat. Sunt enim nonnulli, qui principes ac prælatos abſentes mordere, ac ſurdo maledicere non verentur. Alij verò clericis detrahere non ceſſant, quod videāt illud popello gratiſſimum eſſe. Clericis enim laicos infeſtos oppidò tradit iniquitas, cùm tamen dicat Hieron. non eſſe humilitatis ſuæ, de miniſtris Eccleſiæ ſiniſtrum quicquam dicere. Alij verò (pręſertim fraterculi quidā) alios regulares ſuis in clauſtris latitantes, palàm inſectantur. Quod maximè vſu venit, quando monaſterium adeunt, in quo ſaturati non fuerunt ad votum. Mox enim ſtatum monaſticum deturpare, & publicis eos cōtumelijs afficere non trepidant, eos ſ. vel porcos, vel ingratos, vel otioſos, vel inutiles vocitantes. Pro qua temeritate nefaria duriſſimas eos pœnas daturos eſſe, nemo doctus non nouit. Quādo enim huiuſmodi prædicaterculi famæ reſtitutionem

Exod. 22. Act. 23. Leuit. 19.

In detrectatores clericorū.

eſſe faciendam perſuaderent,qui alienam publicè deturpant? Ceſſent igitur à ſcandalis regularium, præſertim eorum, qui & antiquiores & meliores eſſe comprobantur. Alios demum inuenire eſt,qui veterem comœdiam imitati, homines in prædicatione nominatī carpunt. Quod ſi facere non audeant, quibuſdam circunſtantijs vtuntur,quibus poteſt quiſque facillimè intelligere,de qua perſona loquantur. O viri Satyrici, quis vos Satyram facere, apertaque inuectiua vti docuit prædicando? Nunquid docti ſanctique viri hoc feciſſe leguntur? Minimè quidem. Sed arrogātes ſeu ambitioſi, qui ampliorem ſe famā conſecuturos arbitrati,ſi id auderēt, quod cæteri attentare non præſumerent,hanc loquendi licentiam excogitârūt. Sed reliqua proſequamur. Fugienda inſuper eſt cum alijs concionatoribus, contentio atque depreſſio. Nonnulli enim ſtatum ſuum cæteris præferre cupiētes,alios deprimunt,eorumque dicta coram popello contentionibus aſſueto proponere ac deprauare non formidant. Fugienda quoque eſt pertinacia, nimiaque affectio: qua nonnulli vel ſuas, vel doctorū ſuorum opiniones ſupra modum fouent. Sunt enim ita eis addicti,vt potiùs doctores Eccleſiæ, quam eos qui ſuæ profeſſionis fuerūt, relinquere non erubeſcant. Fugienda inſuper eſt nimia verborum præcipitatio,nimiaq; prolixitas. Sunt enim qui ita præcipitanter loquuntur,vt intelligi verba eorum non poſſint. Sunt è diuerſo alij, qui teſtudineo greſſu incedentes, vel nimiam rerum copiam proponere geſtientes,nimia prolixitate ac tædio populum adire compellūt. Fugienda quoq; eſt nimia ſuperfluitas,omnimodaque allegationum vacuitas. Sūt enim qui ſuperfluita-

fluitate gaudentes,in re non neceſſaria innumeras allegationes proferunt. Sunt qui è diuerſo nulla prorſus teſtimonia citant, ſed inſtar vetularum fabulam narrare videntur. Fugienda etiã eſt in verbis inhoneſtas. Non enim proferenda ſunt inhoneſta verba: ſed curandum ſollicitè, vt cùm de peccatis (præſertim carnalib⁹) agitur, caſta diligenterque examinata verba depromantur. Sunt enim qui inhoneſtis verbis vtentes, probis auditoribus horrorem atque pudorẽ incutiunt,interdumque ad diſceſſum compellunt. In quibus nuper vnus fuit (quod mihi fideliter relatum eſt) qui in pœnitentium filiarum conuentu ſermonem faciens, nimia verborum inhoneſtate ac inſolentia ad diſcedendum eas impulit. Fugienda eſt igitur inhoneſtas, fugienda quoque eſt in ſermone quæſtuoſa nimiaque petitio. Sunt enim potiſſimum mendicantes) qui nihil aliud populum docent, quàm largas eleemoſynas facere oportere. Totus eorum ſermo in ſuarum neceſſitatum, vel potius petitionum ac deſideriorum declaratione ita verſatur, vt iam ad prædicationes huiuſmodi vulgus ridere, diſcedereq; ſoleat.Fugienda deniq; eſt in omnibus imprudẽtia,ne ſ.corã ſimplici populo ſubtilia,curioſaq; dicantur; ne in cętu virorũ doctorum nugæ, aliaq; anilia referantur. Ne dimiſſa feſti alicuius,de quo agitur, materia, totus de aliena materia ſermo efficiatur. Quam imprudẽtiã ille incidit, qui die Natalis Dñi totũ ſermonem de peccato Sodomitico fecit. Ne denique fraudes ac vitia,quæ à plerisq; ignorantur, apertè dicantur. Multi enim ſermonem audientes, fraudes ac piacula, præſertim venerea, didicerunt,poſteaque(pro dolor)experiri non timuerunt.

runt. Hæc, inquam, omnia, quę diximus, pericula cauenda ſunt, ſi & prædicatori, & populo vtilis prædicatio eſſe debeat. Sed obſecro quis eſt, qui pericula hæc omnia poſſit euadere? Quis, inquam, ille tam delirus eſt, qui ſe illis exponere periculis audeat, quando tutè ac liberè fugere poteſt? Itaque vt ad inſtitutum reuertamur, vir literatus (potiſſimùm qui necdum periculoſa animarum ſarcina onuſtus eſt) præfatas difficultates, ac pericula (quæ publicæ prædicationi ineſſe ſolent) diligenter luſtrans, poterit ea ſanè vitare. Non quidem vt inerti otio indulgeat, ſed vt ſancto cōtemplationis otio ſecurè vacet. Poterit, inquā, vt deuotioni aptiùs frequentiuſque incumbere queat, ſolitariam vitā (ſi ad eam & capacitatē & affectionem habeat) dubio procul ſuſcipere, ne tantis ſe diſcriminib⁹ gratis exponens, præſumptuoſus videatur. Enimuerò cùm paſſim nulli compertum ſit, an tantam habeat aptitudinem ac perfectionem, quantā munus illud (quod propriè perfectorum eſt) flagitat, vt ſalubriter decenterque impendi poſſit: à pręſumptionis ſuſpicione immunis eſſe non poterit, quiſquis ſe velut idoneum putabit. Non enim ſatis eſt quædam apparens (quo ad humanam æſtimationem) ſufficientia, quæ multos feſellit, inanesque fecit, ac demum in ſeculo pereuntes retinuit. Non ſufficit, inquam, ad virum doctum in ſeculo retinendum. Verùm in tanta ambiguitate conſtitutus, poterit ſecuriorē partem eligere: hoc eſt, gratia contemplationis ſolitariæ vitæ ſecuritatem adire. Adde quòd tam parua ex prædicatione meſſis hoc tempore referri ſolet, vt (ſecluſa neceſſitate) longè melius eſſe videatur, ſilentio ſanctoq; otio, ex quo multus ha-

Præſumptionis eſſe, idoneū ſe putare ad prædicandi munus.

tus haberi fructus poſſit, quàm prædicationi penè inutili incumbere. Sed adhuc rationibus alijs probemus quod probandum principio ſuſcepimus. Non eſt neceſſariò deferenda vel differēda fruitio Dei propter vsū proximi, niſi cogat neceſſitas. Cùm igitur per contemplationē Deo, per prædicationem aūt proximo incumbatur, non erit citra neceſſitatem deſtituenda vel protelanda cōtemplatio, propter prædicationē populo impertiendam. Porrò ſi cui ſeruo paterfamiliâs aurum atq; argentum ad lucrū faciendum crediderit, ſi ſeruus ille diligenter ac vtiliter auro duntaxat vtatur, ſuo domino ſatisfacit, præſertim quando vtroq; vti ſecurè ac cō modè non poteſt. Igitur vir doctus, cui cōmiſſum eſt aurum contemplationis & prędicationis argentū, piētiſſimo Dño Chriſto facit ſatis, ſi auro ſeu gratia contemplationis vtitur: quando ita cōmodè ac ſecurè argēto ſimul prędicationis vti non poteſt. Qua enim lege (precor) multas habens gratias tenetur omnibus vti, aut etiam prohibetur duntaxat vti ea, quę melior eſt? Interdum enim fieri non poteſt, vt quis ſingulis gratijs ſimul vtatur. Si dixeris, eum modò hac, modò illa viciſſim vti debere, oſtēde (quæſo) quæ lex ad id eum aſtringat, modo nulla aſſit vrgens neceſſitas, cui aliter conſuli non poſſit. Oſtende (inquam) quo iure vetatur ſtatum deligere, in quo iugiter meliori gratia vti poſſit? Meliorem enim gratiam dicimus cōtemplationē, quippe quæ & optima pars à Chriſto eſſe dicatur, & propter ſe expetenda ſit: cum tamen prædicationis actio propter aliud duntaxat, hoc eſt, proximorū neceſſitatem ſit eligēda. Quod autem abſolutè & propter ſe eligibilius eſt, melius eſt. Deniq; eſto, generali præcepto ta-

Contemplationem meliorem eſſe prædicatione.

pto talentum ſit erogandum, nullus tamen niſi ſpecialiter iuſſus, aut miſſus debet prędicationis talentum impertiri. Hoc enim vſurpationis ac temeritatis eſſet. Ad hæc ſi propter prædicationis talentū non poſſet is, qui religioni aptus eſt, religionem ſolitariā profiteri, eadē ratione literati viri, qui monaſticam vitā profeſſi ſunt, deberent à ſuis clauſtris gratia prędicationis exire. Eadem enim vtrobiq; ratio eſſe videtur, ſcilicet abſcōdendi talenti periculū. Hoc aūt eſt falſum, cùm (pro cōmuni ſententia) nō teneantur egredi pro fraterna correctione facienda, de qua expreſſiùs præceptum habetur. Inſuper ſi hoc non liceret, nulli docti viri poſſent ſolitudinem adire. Itaque ſoli ignari eſſent in ſolitudine recipiendi. Hoc autem quàm ſit abſurdum, quis non videt? Si enim docti à ſolitaria vita excluderentur, quis ſimplices fratres docere? quis varias hoſtis inſidias aperire? quis viſitationes facere? quis demum errores decenter caſtigare poſſet? Adde conuentū vnum tam dignum eſſe viri docti prę- ſentia ac induſtria, quàm dignus putatur vnius parœcię ſeu villę popellus: cui cū vir doctus prę- eſt, cæci oblocutores tacent, factumq; probant. Cur etiā non probant, cū vir doctus clauſtrū ſolitariū (cui vtilis plurimum eſſe poteſt) ingreditur? Deniq; ſi vir doctus prædicationis talento paſſim vti deberet, nō propterea Cartuſianā vitam ſuſcipere prohiberetur. In ea ſiquidē fiunt cōciones modò Latina, modò vernacula lingua. Fratres enim laicos ſeu conuerſos habet ordo Cartuſianus, quib⁹ prædicationes neceſſarię sūt. Habet & alios domeſticos ac familiares, qui prędicationi adeſſe poſſunt. Vir itaque doctus prædicationique aptus illic materiam inuenit ſufficien-

Abſurdū eſſe viros doctos à clauſtris arcere.

cientem. Taceo quod vir doctus ſermones, aliaque vtilia ſcripta reponendo prædicat, ſecuriùs quidem ac vtiliùs quam hi, qui vocales prędicationes faciunt. Denique ſi prædicationi atquè regimini planè idoneus ſit, non dimittetur ſub modio, ſed ſuper candelabrum ponetur, quãdo opus erit. Curant enim Patres ordinis, quando huiuſmodi viros habere poſſunt, tẽpore opportuno dominicarũ ouiũ Paſtores efficere. Quod munus adepti, liberiùs poſſunt, imò tenentur prædicationi incumbere. Debent enim Prælati gregem ſibi commiſſum prædicationis, exhortationiſq́ alimento paſcere. Siquidem commi- nationes illæ, quæ ſacris in literis ac Doctoribus ſanctis contra mutos prædicatores comperiuntur, ad Prælatos maximè ſpectant. Sed iam rationibus breuiter exempla ſubnectamus, quib⁹ luculenter conſtat, viris doctis etiam curam alienam gerentibus licere ſolitariam vitam arripere. Legimus ſiquidem D. Hieronymum, etiam Papatu digniſſimum, dimiſſo ſeculo heremum adiuiſſe. Legimus Gregorium Nazianzenum ipſius Hieronymi Præceptorem, dimiſſa Epiſcopali ſarcina, ſolitariam vitam egiſſe. Legimus & Brunonem, Guigonem, Hugonem, Ludolphũ, aliosq́ue innumerabiles viros admodum literatos, miſſo ſeculo, in Cartuſianam ſolitudinem ſe recepiſſe. Sed & (quod forſan magis mirabere) multi Regulares, dimiſſo prædicationis officio, traduntur Cartuſianam vitam petijſſe: non dubitantes viro docto licere, deſtituta prædicationis ſarcina, Cartuſianam vitam contemplationi peraptam eligere. Ceſſet igitur vanus Oblocutor ſuis falſis inſaniſque verbis ignarum vulgus cõcitare, quod doctis viris Cartuſianum

Prælati quomodo gregem ſuum paſcere teneantur.

ſtatum

ſtatum petentibus detrahere ſolet. At quoniam obiectiones quædam contrà factæ ſunt, tandem eas diſſoluere opus eſt, vt pleniùs noſtris linguacibus peſſulum obdamus.

CAPVT IV.

Diſſoluuntur Obiectiones, quæ ſuperiori capite probare videbantur, viro docto non licere Cartuſianam vitam ſuſcipere.

IGitur ad authoritatem primam, qua maledicimus, qui abſcondit frumentum in populis, reſpõdemus primùm, eum eſſe maledictum, qui materiale frumentum tempore neceſſitatis extremæ prorſus indigentibus abſcondit. Non enim habet ille viſcera pietatis. Deinde dicimus eum maledictum, qui frumentum ſpiritale, hoc eſt, gratiam doctrinæ ſibi datam, proximis abſcondit, quando ſalubriter ac commodè impertiri poteſt, certaq; neceſſitas, cui nullo alio modo conſuli poteſt, hoc ipſum flagitat. His enim ſimul coeuntibus, tenetur vir doctus doctrinã impendere, ſi maledictionem euadere cupit. Verùm ex hoc nihil conficitur, virum prædicationi aptum debere paſſim (quantùm eſt ex parte doctrinæ) populo prædicare. Non conficitur, inquam, quin poſſit liberè Cartuſianam aſperitatem ſubire. Quandoquidem mundus prædicatoribus plenus eſt, fuitque penè ſemper: eaque de re non videntur illa omnia, quæ diximus, regulariter concurrere poſſe, quæ virum literatum, cui animarum cura peculiariter credita nõ eſt, ad prædicandum aſtringant: maximè cùm nemo ſe ingerere teneatur, niſi ſuperioris alicuius, ſcilicet Dei, vel hominis iuſſu, id faciat. Ad alteram quoque authoritatẽ reſpondemus, eam accipi debere, non de ſemine prolis, ſed ſpiritalis ope- Prou. 11.

lis operis, & quidem generaliter, vt ſit ſenſus: Quiſquis bona opera (quæ ſpiritales proles ſunt) non fecerit, maledictioni obnoxius erit. Itaque non tangit ſolùm doctos viros hæc authoritas, ſed generaliter omnes deſides, qui inerti otio vacare malunt, quàm ſpiritalia opera vel ſibi, vel alijs profutura, efficere. Non igitur propoſito noſtro aduerſatur. Ad aliam verò authoritatem de Eccleſiaſtico ſumptam, reſpondemus inprimis de theſauro pecuniario, ſi ita inuiſus ſit, vt nulli prorſus mortalium compertus habeatur, nihil vtilitatis afferre. At verò ſi prudenter reconditus ſit ab ijs, quibus theſaurizare conceſſum eſt, vt apto tempore proferatur in lucē, inutilem non eſſe. Bona enim in futuros vſus non auarè, ſuperfluè, aut diffidenter recondita, ſed fideliter reſeruata, nō debent inutilia cenſeri. De theſauro autem ſapientię non prorſus ſimile eſt. Habenti enim prodeſt, etiam ſi cæteris abſcondatur. Cur enim vera ſapientia quæritur ab homine, niſi vt Deum noſcat, noſcendo timeat, timendo amet, amando colat, venereturq́; vt tandem eo perfruatur. Hic eſt enim proprius veræ ſapientiæ finis. Itaq; ſuapte natura (vt vno verbo conſequar) habenti prodeſt ſapientia, quantum ad actus vitæ contēplatiuæ. Quod ergo innuitur ſapientiam abſconditam vtilem non eſſe, intelligendum eſt, eam proximis quò ad exteriora vitæ actiuæ opera, non prodeſſe. Ita enim interpretatur Lyritanus. Sed quæras, an ſit habēti noxia, qui eam cæteris abſcondit? Dicimus, ſapientiam nunquam per ſe (vt ſcholaſticis verbis vtar) ſed interdum per accidens noxiam eſſe: quando ſcilicet manifeſtanda eſt. Manifeſtari autem poteſt verbis ſcriptis, ac operibus ipſis. Carpitur ergo non

Exod. 23. ſecundum 70. Deut. 25.

Eccl. 20.

1. Cor. 12.

Vera ſapientiæ finis.

Sapientia abſcondita, quando habenti eſt noxia.

iniuria, qui ſapientiam abſcondit, quando eam docere tenetur. Verum ex hoc nullo pacto ſequitur, doctos viros taxãdos eſſe, ſi clauſtralem ſolitudinẽ adeant, quippe qui ſapientia vera vtantur, eamq; proximis exemplo declarent. Ad aliam quoque authoritatem dicitur, per eam taxari eos, qui tenentur paruulos (hoc eſt, ſimplices, ac ignaros) docere, nec tamen docent. Cuiuſmodi ſunt, qui alienam curam ſuſceperunt, cui reſpondere vel nequeunt propter ignorantiam, vel nolunt propter deſidiam, vel non ſatagunt propter aliam, quæ non excuſat, occupationem. Sunt enim quidam velut *canes muti, latrare non valentes.* Sunt alij, qui turpi otio indulgere malunt, quàm neceſſarium laborem ſubire. Sunt denique multi, qui mundialibus negotijs ita ſe prorſus implicant, tamq; auidè tractant, vt nullam de ſpiritalibus curam habere videantur. Hos ergo præcipuè taxat præfata authoritas. Nõ negauerim tamen etiam reprehendi eos, qui nullo vrgenti negotio occupati, nulloque rationabili impedimento deuincti, poſſent ſalubriter ac commodè ſine vllo diſcrimine, paruulos doctrinam ab eis expetentes erudire: quod nihilominus, inerti otio delectati, laboremq; facilem pertæſi, facere prorſus negligunt. Quales ſunt Doctores nonnulli contemplationis ſublimitati inepti, qui ſuis in cameris ſemper latitãt: quos ſi rogaueris, cur interdum non concionentur, mox tibi dicent, ſe vel otio literario incumbere, vel ſe prædicationi ſatis idoneos non eſſe. Sed cur obſecro tanto tempore ſtudio non neceſſario, nulliq; profuturo incũbunt? Cur, inq̃, neruos nõ intẽdunt ad illã aptitudinẽ habendã, quam excuſant? Noui doctiſſimos Theologos, qui

Thre. 4.

Eſai. 59.

In Doctores otioſos.

qui principio parùm apti videbantur, per diutinum vſum tandem famoſiſſimos Prædicatores euaſiſſe. An pudet paucos inprimis auditores habere? Chriſtum duodecim tantum ſequebantur, cùm omnis populus doctrinæ Phariſęorum applauderet. Hæc dixerim in eos potiſſimum, qui quoddam aptitudinis ſpecimen à natura videntur habere, nec tamen ſui periculum facere, ſeipſosque exercere curant. De his autem, qui non propter otium, fugamque laboris, ſed iuſta de cauſa à prædicatione abſtinent, ſecùs ſentiendum eſt, vt ſatis iam diximus. Iam verò ad authoritates noui teſtamenti reſpondeamus, dicẽtes inprimis, ad eam, quæ de lucerna mẽtionem facit, de Prælatis intelligi eam debere. Loquebatur enim ibi Chriſtus Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus, quos ſali, lucique comparat. Vt enim ſecundùm Chryſoſtomum, Prælati propter bonam conuerſationem ſunt ſal, quo populus conditur: ita propter verbum doctrinæ ſunt lux, qua ignorantes illuminantur. Quod ſi de alijs quoque literatis prædicationi aptis intelligendam illam ſimilitudinem contenderis, reſpondemus eos taxari, qui propter temporalia commoda, ſeu cauſam aliam non ſatis iuſtam publicę doctrinæ non incumbunt. Vt enim ait Auguſtinus: Sub modio lucernam ponit, quiſquis lucem doctrinæ bonę commodis temporalibus obſcurat & tegit. Cui aſtipulatur Chryſoſtomus ſuper Matthæum dicens: Quaſi modius verbum Dei tenet abſconditũ, quando propter aliquam cauſam terrenam, verbum Dei non eſt auſus palam proloqui, nec fidei veritatem. Verùm ex his nihil conficitur cõtra eos, quibus proximorum cura impoſita non eſt, & iuſta de cauſa prędica-

Matt. 5. *Chryſoſt.* *Lucernã ſub modio qui abſcõdunt.* *Auguſt.* *Chryſoſt.*

dicationi non intendunt. Eſtò enim, ſint Lucerna lumine doctrinæ accenſa, non tamen adhuc ſupra candelabrum poſiti ſunt, eaque de re poſſunt ad melioris vitæ frugem ſe conuertere. Ad aliam verò authoritatem (quæ de talento agit) reſpondemus, eam generatim loqui de omnibus his, qui diuina beneficia ſeu gratias acceperunt, nec eis quoad proximos vtuntur, quando tenentur. Talenti enim nomine (vt Hieronymus & Gregorius innuunt) gratia omnis, quæ vel habenti, vel alijs vtilis eſſe poteſt, accipitur. Ipſe ſiquidem Gregorius homilia 9. ita inquit: Sciendum verò eſt, quòd nullus piger ab hac talenti acceptione ſecurus eſt. Nullus namque eſt, qui veraciter dicat, talentum minimè accepi, nō eſt vnde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipſum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam prædicationis, miniſterium debet ex talento. Alius terrenam ſubſtantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiã, nec rerum affluentiam accepit, ſed tamen didicit artem qua paſcitur, ipſa ars ei tali acceptione reputatur. Alius nihil horum aſſecutus eſt, ſed tamen fortaſſe familiaritatis locum apud diuitem meruit, talentum profectò familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens ergo intellectum, curet omninò ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet ne à miſericordiæ largitate torpeſcat. Habens artem qua regitur, magnoperè ſtudeat, vt vtilitatem illius cum proximo partiatur. Habens alloquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat,

Matt.25.

Gregor.

Talenti nomine quid ſignificetur.

ſi (cùm valet) nō apud eum pro pauperibus precibus intercedat. Tantum quippè ab vnoquoque noſtrûm venturus iudex exiget, quantum dedit. Hæc Gregorius. Quem vides per talentum, ſcientiam, opes, artem, familiaritatem, & denique omnem gratiam generatim intelligere. Cui ſatis cōcordat gloſſa, dicēs parabolam hanc induci contra eos, qui non ſolùm pecunijs, ſed nec verbo, nec alio modo prodeſſe proximis volūt, ſed omnia occultant. Itaq; ſentētia huiuſcemodi oēs deſides malosq; ſeruos reſpicit, qui gratijs à Domino datis non vtuntur, quando tenentur. Non tangit autē eum, qui vult contemplationi vacare. Aliâs ita faciliter diceretur, eū, qui componendis libris operam non daret, carpendum eſſe, quippe qui gratia huiuſmodi non vteretur. Sed quoniam parabola huiuſmodi carpit viros doctos & indoctos, paſſimq́ue allegari ſolet contra eos, qui prædicationis gratiam, vel ingenium (quod vnius talenti nomine pro ſententia Hieronymi & Gregorij ſignatur) acceperunt, nec prædicationi incumbunt idcirco aliter reſpondemus dicentes, eos talentum abſcondere, qui lucrum animarum non quærunt, nec publicæ doctrinæ inſeruiunt, quando tenentur. Teneri enim ad prædicationē præceptum affirmatiuum eſt, quod licet ſemper, nō tamen pro ſemper (vt ſcholaſticis verbis vtar) aſtringit. Et ita intelligendæ ſunt authoritates de hac re loquentes, vtpotè illa Apoſtoli: *Væ mihi, ſi non Euangelizauero.* Et illa Origenis: Si videris aliquem, qui virtutē habet docendi, & animabus proficiendi, & hanc virtutem occultat, quamuis habeat quandam religionem conuerſationis, non dubites dicere, talem eſſe, qui accepit vnum talentum, & abſcōdit

Talētum qui abſcō dant.

1. Cor 9.

Origenes.

dit ipſum in terra. Et illa Gregorij, quæ interdum ad arguendum adducta fuit: Et denique aliæ omnes, quæ ſonant viros literatos alienæque eruditioni aptos, de abſconſione talenti damnandos, ſi ſibi datum proximis non impendant, interpretandæ ſunt, quando tenentur. Vtpotè quando diſcretè iubentur ab eo, cui parére tenentur, vel ſibi ex officio incumbit, vel demum ſuſcepta ab eis gratia hoc flagitat, quod nonnullis ſimul conuenientibus fieri debere ſuprà oſtenſum eſt. Itaque cùm hæc ſatis diſcuſſa videantur, ad rationes diſſoluendas tranſeamus. Ad primam igitur, fatemur inprimis, eleemoſynam corporalem fieri debere ab eo, qui facultatem habet, quãdo vel vrget, vel etiam per certa ſigna proximis imminet extrema neceſſitas, cui nullus alius aut vult, aut poteſt ſuccurrere, ſi modò nec ipſe, nec ij, quorum curã gerere debet, ſimili detrimento premantur. Si enim premerentur, priùs illis conſulendum eſſet. Dicimus inſuper, extra caſum huiuſcemodi, non eſſe faciendam eleemoſynam de his, quæ ad decentiam ſtatûs neceſſaria ſunt, hoc eſt, ſine quibus non poſſet decenter quis viuere, ſeu operibus, quæ ſuus ſtatus flagitat, incumbere. Dicimus denique de bonis ſuperfluis, & quæ nec ad conſeruationem ſui, nec ſuorum, nec ad ſtatûs ſui decentiam neceſſaria ſunt, extra caſum neceſſitatis extremæ non modò conſultum eſſe (vtpotè laudabile, magniquemeriti) indigentibus pauperibus eleemoſynam impertiri, ſed etiam periculo proximum eſſe, non tribuere, quando nullus adeſt, qui auxilietur, & indigentia pauperis multa eſt. Dicere autem, eum, qui huiuſmodi ſuperflua habet, nec tamen hoc caſu tribuit

indigentibus, lætaliter peccare, durius multis videtur. Et tamen hoc ipſum (vt diximus) periculo proximum eſt. Quapropter diuites (præſertim Eccleſiaſtici) qui multam huiuſmodi ſuperfluorum copiam habentes, non curant pauperibus eleemoſynam tribuere, quando præſertim eos nôrunt erubeſcere palam mendicare, eâque de re indigentiam multam perpeti, cui nullum conſulere velle vident, graui periculo ſe exponunt, & à grandi peccato immunes non videntur. De ijs autem qui pro conſuetudine oſtiatim mendicant, ſecùs ſentiendum eſt, quando potiſſimum grauis notabilis penuriæ ſignum minùs apparet. De ſpiritali autem eleemoſyna, hoc eſt, diuini verbi prædicatione, dicimus eam interdum ſub præcepto mandatam eſſe, quod ſatis ſuprà diſſeruimus. Breuiter tamen hîc reſoluentes, dicimus præceptum illud omnibus idoneis impoſitum, qui ſalubriter impendere poſſunt, quando poſtulat neceſſitas, quæ per alium certitudinaliter, vel veriſimiliter releuari non poteſt. Dicimus quoq; interdum eam eſſe prohibitam. Nam vt ait D. Thomas in quarto: Non licet alicui Prædicare, niſi Prælationis officium habeat, niſi authoritate alicuius Prælationẽ habentis hoc faciat. Peculiariter autem quinque hominum genera paſſim prohibentur, ſcilicet pueri, mulieres, laici, monachi, & clerici non ſacerdotes. Dicimus inſuper, prædicationem interdum eſſe ſupererogationis, ac conſilij. His enim qui ſalubriter ac decenter eam (quando vtilis quidem, ſed nõ neceſſaria eſt) impendere poſſunt & volunt, conſulitur: quippè quę magni tunc ſit meriti. Dicimus poſtmodùm, prædicationem aliquando diſſuaſam eſſe, vtpotè quãdo

Attẽdant diuites Eccleſiaſtici.

Prædicatio quãdo & quatenus præcipimus.

D. Thom.

Quinque hominum genera à prædicatione prohibentur.

nec

nec populo admodùm vtilis eſt, nec Prædicanti videtur ſecura, ſed periculoſa. Non enim ſecurũ eſt homini adhuc imperfecto, atque inanis gloriæ ventis vehementer agitato, publicè docere: ſed à viris & doctis, & ſanctis munus hoc (quod propriè perfectorum eſt) talibus diſſuaſum legitur, vtpotè quod ſine detrimento vix fieri poſſit. Dicimus denique, prædicationem viris prædicationi (quò ad humanam apparentiam) idoneis, extra caſus quos ſuprà tetigimus, ſub præcepto mandatam nõ eſſe, ſed vel conſultam tantùm, vel diſſuaſam. Sunt enim, qui ſine diſcrimine eam impertiri queunt, & his quidem conſulta eſt. Sunt alij, qui adhuc imperfecti, citra grande periculum id facere non valent, & his diſſuaſa eſt. Quapropter omnibus diligenter luſtratis, videtur confici, rarenter caſum contingere poſſe, in quo vir doctus hoc tempore (quãtum eſt ex parte doctrinæ) præcepto aſtringatur ad impertiendam prædicationis eleemoſynam. Eaque de re licere ei de communi lege, ad ſolitariam vitam gratia contemplationis ſe conferre. Denique vir literatus nõ aſtringitur, vel prçſtolari, vel religionis ingreſſum differre, propterea quod caſus huiuſmodi cõtingere poteſt. Ad ſecũdam rationem fatemur, ingratitudinem vitium eſſe turpiſſimum. Inficiamur tamẽ, eum ingratum eſſe, qui Euangelico parens conſilio, periculoſum ſeculum deſerit, & ſolitariæ vitæ ſecuritatem amplectitur. In qua ſcilicet gratijs ſibi datis diligentiùs vtens, diuina beneficia iugiter recognoſcit. Quæ quidem ſe primùm pro ſe ſuſcepiſſe animaduertens, ſibi primùm incũbendum cenſet, deinde alijs, quibus etiam accepit impertienda, quando commodè poteſt, te-

neturque. Non enim ſanè poteſt talis ingratus cenſeri. Ad tertiam rationem reſpondetur, virum doctum aliquando ad correctionem publicam, quæ ſcilicet fit publicè prædicando, generatimque peccata arguendo, aſtringi. Interdum verò ad ſecretam ſeu priuatam (quæ & fraterna dicitur) obligari. Quando autem ad publicam deuinciatur, ſatis ſuperque iam dictum puto. De fraterna verò breuiter dicitur non tantùm doctos, ſed omnes generaliter (conuenientibus certis conditionibus) aſtringi. Ex parte enim corripientis, exigitur certa peccati notitia. Requiritur quoque corripiendi modus, qui manſuetus eſſe debet. Denique flagitatur dignitas quædã, vt ſcilicet ſimili vel maiori peccato corripiens palàm obnoxius non ſit, alioqui præuaricatur: quippè qui ſcandalum parìat, ſeipſumq; ſuperbè extollat. Ex parte quoque corripiendi, flagitatur inprimis ſpes probabilis emendationis (hæc enim eſt finis correctionis fraternæ) deinde exigitur peccatum eſſe lætale, aut ſaltem veniale, quod probabiliter ac proximè inductiuum ad mortale eſſe cenſeatur. Denique quòd non ſit ſpes de maiori opportunitate vel temporis, vel loci, vel perſonæ aptioris. His enim vnà concurrentibus, fraternam correctionẽ prætermittens, peccare creditur. Itaq; præceptum eſt affirmatiuum, quod (circumueniẽtibus circunſtantijs, quas diximus) aſtringit. Verùm propterea viri docti non impediuntur, quin ſolitariam vitam adire queant, quemadmodum nec ſolitarij iam effecti ſuam ſolitudinẽ deſtituere tenẽtur. Cùm enim beneficia ſeu officia debentur communiter proximis omnibus, non ſunt quærendi quibus impẽdantur, ſed ſatis eſt impẽdere quan-

Quæ conditiones ad fraternam correptionem requiruntur.

quando occurrũt. Hoc enim quaſi pro quadam ſorte habendũ eſt, vt ait Auguſt. lib. 1. de doctrina Christiana, q. & de verbis Domini ſic inquit: Admonet nos Dominus noſter non negligere inuicem peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas: aloquin efficeremur exploratores vitæ aliorum. In ſumma itaq; dicamus viros doctos propter alienam correctionem, ſeu publicam, ſeu priuatam, à ſuſcipienda vita ſolitaria minimè paſſim impediri. *Auguſt.*

Ad quartam obiectioně trifariam reſpõdemus. Inprimis dicentes eã prorſus ineptã eſſe, & à ſacro Hieronymo iampridẽ ſatis reprobatã, cùm ait contra Vigilantiũ: Nec à ſuo ſtudio Monachi retrahẽdi ſunt linguæ vipereæ morſu ſęuiſſimo, quibus argumentaris & dicis: Si omnes ſe clauſerint & fugerint in ſolitudinẽ, quis celebrabit in Eccleſijs? quis ſeculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo: ſi omnes tecum fatui fuerint, ſapiens eſſe quis poterit? Si virgines omnes fuerint, nuptiæ non erunt, interibit genus humanũ. Sed rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur. Hęc Hieronymus. Deinde aliter reſpondentes dicimus, præcepta aliquando ita dari multitudini, vt & eam, & ſingulas eius partes aſtringant. Interdũ verò ita fieri, vt tamen ſingulos nõ aſtringant, niſi ſub conditione quadam, puta ſi alij nõ adſunt, qui pręceptum exequantur: quemadmodum eſt de pręcepto generandi, quod nõ omnes generationi aptos ita ligat, vt omnes hoc tempore generationi incumbere debeant: alioqui perperam agerent, qui continenter viuerent. Ita quantùm ad rem pertinet, docendi præceptum, licèt omnibus viris doctis, prædicationiq; aptis *Hierony.* *Præcepta generalia quos & quando aſtringant.* *Prædicãdi præceptum.*

aptis generatim datum ſit, non tamen abſolutè ſingulos (præſertim non Prælatos) aſtringit, ſed ſub cōditione quadam, ſcilicet ſi immineat neceſſitas, cui per alium, vel alio modo veriſimiliter conſuli non poſſit. Cùm igitur hoc tempore penè innumeri ſint Prædicatores ad docendum populum penè ſe ingerentes, non eſt timendum viris doctis, qui ſolitariam vitam adire cupiunt, ne præcepti illius trāſgreſſores efficiantur. Non eſt (inquam) timēdum, ne propter ſolitudinem, præceptoribus deſtituatur genus humanū, cùm rariſſimè à viris doctis petatur ſolitudo. Qui nihilominùs etiam ſolitarij iam effecti, proximorum neceſſitati conſulerent, ſi alio modo prouideri non poſſet. Denique reſpondemus, ſicut in corpore humano, ita & in corpore myſtico diuerſa eſſe membra opus eſt, quæ diuerſis officijs apta ſunt. Ita enim diuina ſapientia inſtituit, vt & ſibi mutuò ſuppetias ferant, & pulchram in corpore harmoniam faciant. Cùm igitur inter humana mēbra nulla ſit querimonia (non enim conqueritur digitus auricularis, quòd pollex non ſit: nec auris, quòd ſit oculus) ſed ſuis vtūtur officijs ad quę inſtituta ſunt: cur obſecro inter membra myſtica de officiorum, graduū, ſtatuumque diuerſitate vel contentio, vel exprobratio reperitur? Qua, precor, ratione arguet ſartor tonſorem, vel è diuerſo, quòd ſuæ artis non ſit? Hoc enim eſt quodammodo diuinam carpere ſapientiam, quæ vult Eccleſiam inſtar ſponſæ diuerſis circundari varietatibus. Ceſſet igitur quæſtio illa planè ſtolida, quæ & inter arguendum adducta eſt, & inter epulas quoq; paſſim depromi ſolet. Qui vult in ſeculo manere, maneat, modò ſeculi vanitates nō ſequatur, nec

Quando & quos aſtringit.

his detrahat, qui ſeculum miſſum fecerunt. Qui verò peculiari lege ductus ſolitudinem magis deſiderauerit, in Domino cõfidens abſcedat, canumque latratus ſurda aure pertranſeat. Ad quintam obiectionem fatemur inprimis, viros doctos & ſanctos interdum ſolitudinẽ ad tempus deſeruiſſe, quando vel docendi populi, vel hæreſum propellendarum prorſus flagitauit neceſſitas, cui per alios, vel alio pacto ſuccurri non poterat. Tametſi reperiebantur nonnunquam in ſeculo viri literati, non tamen tanta pollebãt ſanctimonia, vt miracula facere poſſent, quibus ad veritatẽ probandam, roborandamque tunc opus erat. Multi enim momenti eſt in huiuſmodi rebus famata ſanctitas, quæ & ad perſuadendum aptior, & ad conuincendum potentior eſſe putatur. Dicimus nihilominus, quando præſentia corporali opus non fuit, viros doctos ac ſanctos non ita ſolitudinem deſtituiſſe: ſed epiſtolis, tractatibus, alijſque ſcriptis, vel eos docuiſſe qui rogabant, vel ſubortos errores improbaſſe. Quod à ſacro Hieronymo factum fuiſſe legimus, qui partim epiſtolis, partim interpretationibus, partim ſcriptis varijs, modò quærentibus reſpondebat, modò ad virtutes ſectandas, vitiaque fugienda hortabatur, interdum ſacrarum literarum interpretationi vacabat, aliquando hæreticos (quorum egregia claua fuit) mirum in modum inſectabatur, nec tamen proptereà ſolitudinem, quam cum diſcipulis colebat, deſtituit. Hoc & alij permulti feciſſe leguntur, in quibus multi fuêre Cartuſiani, qui ab heremo non diſcedentes, & literis, & ſcriptis alijs multos docuerunt. Ita enim (ſecluſa vocalis prædicationis neceſſitate) agere tutiùs atque vtiliùs

Viri docti quãdo & quibus de cauſis ſolitudinẽ quandoq; ad tempus deſeruerint.

Famata ſanctitas quantum valet.

eſſe putatur: quandoquidem ſcripta non in vno tantùm loco, ſed multis, nec vno quoque tempore, ſed diuerſis ſimul prodeſſe queunt, quod verbali prædicationi certum eſt conuenire non poſſe. Non igitur obiectio propoſita concludit quicquam, cùm nec aſſit quidem hoc tempore tanta neceſſitas, cui aliter conſuli non poſſit. Quæ ſi adeſſet, vir doctus etiam Cartuſianus effectus, prodiret in publicū. Non enim tam pertinaciter ſolitudinem colunt Cartuſiani, vt in nullo penitus caſu eam cenſeant deſtituendam. Enimuerò ſi à Sede Apoſtolica exire pro aliquo negotio, vtpotè pro audienda cauſa ſibi delegata, vrgerētur, protinus exirent. Ita enim ſuis ſtatutis cautum eſt. Quæ nihilominus ſuis peculia-
20. Secūdæ par. 2. ri concione, non citra cauſam, interdicunt. Si-
20. Secūdæ no. 4. quidem Monachi à publica prædicatione regulariter prohibentur. Adde quòd ſub vmbra prędicationis multa vagandi tribueretur cauſa multiſque periculis ſolitarius ipſe patêret, quę vt fugeret, ſeculum fugit. Denique cæteris fratribus daretur vel inſtabilitatis, vel murmurationis occaſio. Quæ pericula Cartuſiani Patres ſagaciter animaduertentes, non ſinunt paſſim ſuos alumnos vel literatos publicæ prædicationi incumbere. Quanquàm ſi in eis vir admodum literatus, prædicationique aptus foret, qui zelo animarum ſuccenſus, cuperet intra conuentus ſepta doctrinæ talentum & domeſticis, & alijs quoque aduenire volentibus impertiri: non videretur (modò id diſcretè ac ſine ſuo conuentus detrimento faceret) leuiter prohibendus. In hoc enim caſu ea (quæ ſuprà tetigimus) pericula nihil loci haberent. Sed de ijs ſatis. Ad ſextam obiectionē dicimus, eam nullius eſſe momenti.

Inpri-

Inprimis vir doctus mundi pericula fugere cupiens, tutius agit, ſtatum à periculis remotiorem deligendo. Deinde non afficitur (vt ſupponitur) mendicantium ordinibus, forſan arbitratus paſſim maiora per ſeculum diſcurrendo doctis viris imminere pericula, quam ſi parœciæ vnius curam gererent. Ad hæc in alijs monaſticis clauſtris penè nulla reperitur (prô dolor) regularis obſeruantia, paucis exceptis, à quibus non ſinũtur clauſtrales pro concione populari faciliter exire. Quòd ſi permittantur, nihilominùs illa quæ diximus pericula non euadunt, eaque de re primæ intentioni ſuæ non reſpondent. Quid enim ſeculum fugere eos concitauit, niſi vt ſeculi pericula fugerẽt? Qua igitur ratione ea ſine cauſa vrgentiſſima ſubire non formidant? Quid enim ad monaſterium referre aliud poſſunt, quàm rerum viſarum ſpecies in memoria reconditas, quæ ſibi, cùm orandum vel meditandum fuerit, protinus occurrent? Cur ergò ſine impellente neceſſitate tantis ſe præſumunt periculis obijcere? Adde quòd ſuæ vacationi ſatisfacere non poſſunt, quæ & totum huiuſmodi benè ſeruata requirit, & ad conſequendam ſalutem ſufficit. Denique lege nulla paſſim aſtringitur vir literatus (vt diximus) quin liberè poſſit ſolitariam vitam ſuſcipere. Si ergò ſibi plus cæteris (nec iniuria) placeat, cur eam deligere non poterit? Poterit ſanè. Nec exemplum Chriſti dictis noſtris aduerſatur, ſed ſuffragatur: quippè qui longiori tempore tacuit, quàm prædicauit. Adde magnam ad debitè ſalubriterque prædicandum exigi perfectionem. Quæ tamen cùm hoc tempore rariſſima ſit, monacho, ad concionandum non aſtricto, periculoſum eſt popu-

Diſcurrẽdo per ſeculũ, multa viris pijs imminere pericula.

Chriſtum multò diutius tacuiſſe quam prædicaſſe

populari concioni (præſertim extra monaſterij ſepta vagando) frequenter incumbere. Ad vltimam denique non rationem, ſed garrulitatem, ſtultamque interrogationem breuiter dicimus, eam potiùs riſu, quàm reſponſione dignam eſſe. Nihilominus vt tandem cohibeatur multorum inuida loquacitas, dicimus tantas in Cartuſiana vita occupationes iugiter eſſe, vt etiam indocti vix ſatis habeant temporis, ad ea explenda quæ facere decreuerint: quod & ipſa experientia locupletiſſimè teſtatur. Sed quoniam de huiuſmodi occupationibus partim dictum eſt, partimq; dicendum ſupereſt, ea de re finem huic negotio imponere certum eſt, ſi primùm tamen monuerimus doctum virum (qui clauſtralem ſarcinam obire cupit) bonam voluntatem ſecum ferre debere. Bonam dicimus (quantum propoſito ſatis eſt) quæ patientiæ, humilitatis, obedientiæ, & charitatis commercium, vel feruens deſiderium habet. Niſi enim aliena onera patienter ferre, niſi ſe humiliter gerere, niſi maioribus ad votũ parére, niſi demum charitatem ad omnes habere velit, clauſtralem meo conſilio ſarcinam ſuis humeris non imponet. Inueniet ſiquidem homines, homines fugere volens: inueniet tentationes, cæteraque pericula, de quibus in præſentiarum meminiſſe operæpretium non eſt. Quę nihilominus præfatis armatus virtutibus, poterit euadere. Sed iam explicatis Cartuſianæ vitæ cómoditatibus, ad eius prærogatiuas ſeu excellentias tranſeundum eſt.

TRACTATVS TERTIVS SECVNDI libri, in quo agitur de prærogatiuis, ſeu excellentijs Cartuſianæ vitæ.

CAPVT

CAPVT I.

Primum enumeratis generatim Cartuſianæ vitæ excellentijs, de prima agitur, qua vita ipſa commendatur, quod anachoreticæ vitæ iampridem lapſæ inſtauratrix ſit. Inprimis tamen afferuntur cauſa, quibus ipſa anachoretica vita ceſſauerit. Deinde quomodo per Cartuſianam aptius inſtaurata ſit. Denique quo pacto non ſolum ipſa, ſed etiam cœnobitica quodammodo ſit reparata, vtpotè in qua vtriuſque vitæ bona ſimul reperiantur, & pericula deuitentur.

OBLOCVTOR.

ILLAS quas dicis, tuæ Cartuſianæ vitæ præſtãtias, primùm abs te generatim afferri, poſtmodùm autem peculiariter diſcuti cupio, ſi tamen tanti fortaſsè putantur. PET. Si tibi vel generaliter eas numerauero, haud dubium quin tui liuoris meipſum iaculis obijciam. Sed volent tela, ſtruantur inſidiæ, parentur arma, nihiloſeciùs, quod callidè petis, ſimpliciter afferre non trepidabo. Cartuſianæ igitur vitæ prærogatiua prima hæc eſt, quòd multis olim figuris peculiariter creditur fuiſſe præfigurata. Deinde quod tota diuinitùs inſtituta eſt. Verùm quia de ijs ſatis dictum eſt, ea de re nec verbum amplius vllũ addetur. Itaque vt cætera, quæ tacta non ſunt, afferantur, dicimus, Cartuſianæ vitæ non paruam eſſe prærogatiuã, quòd anachoreticæ vitæ iamdudum lapſæ inſtauratrix ſit. Inſtauratrix, inquam, honeſtius, humanius, ſecurius, perfectiuſque: quòd multifariam probata ſit: quòd regulam quoque probatam, diſcretamque habeat: quòd Sanctos penè innumeros habuerit, quorũ multi claruêre miraculis, è quibus nonnulli proptereà *Prærogatiuæ vitæ Cartuſian.*

ſuccenſos heremum adire velle, à cœnobijs diſcedentes vitam anachoreticam fraudulenter arripiebant, vt laxis habenis, totiſque votis agerẽt. Alij verò de ſuis viribus præſumentes, vitam ipſam temerè ſuſcipiebant, vtpotè qui nec vitijs plenè emaculati, nec in actuali conuerſatione ſatis probati, vitam ſuis viribus imparem arripiebãt. Alij demum alijs modis illiciti, vitam ipſam vel indebitè ſuſcipiebant, vel ineptè agebant. Hinc cœnobiorum turbatio exoriebatur, hinc via ſimulationibus, abuſionibuſque permultis patebat, hinc pericula multa prodibãt. Quæ animaduertẽtes ſancti Patres, propoſitum anachoreticum huiuſmodi paſſim diſſuadere veriti nõ ſunt, arbitrantes ipſum non quidem malum, ſed vt grauibus periculis obnoxium, non ita paſſim, vt ſolebat, ſuſcipi debere. Itaque factum eſt, vt hi, qui ſeculum miſſum facere, & regularem arripere vitam cupiebant, partim vitæ ipſius conſiderantes pericula, partim verò priſcorum Patrum monimenta legentes, ſed plerumque non ſanè intelligentes, vitam ipſam anachoreticam non putarent ſuſcipiendam. Ad hæc vita ipſa anachoretica propter humanarum imbecillitatẽ virium paulatim ceſſauit. Virium, inquam, tum mentis, tum corporis. Enimuerò labẽtibus cum tempore moribus, deuotionis quoque feruor ſupra modum remiſſus eſt. Remiſſus eſt & animus humanus, atque ita elanguit, vt nihil penè virilitatis in eo remanſerit. Corporeæ quoque vires ſucceſſu temporis ita fragiles paſſim dicũtur effectæ, vt ad ferendam anachoreticam ſarcinam, præſertim extremam, minimè ſufficere poſſe putentur. Verùm vtcunque res habeat de corporis imbecillitate, ſatis exploratum eſt, deuotio-

Quam & quare ſancti patres anachoreticam vitam diſſuadebant.

uotionis feruorem mentiſque vigorem ita contabuiſſe, tantumq; accepiſſe detrimenti, vt iam rarus ſit, qui ſolitariæ vitę ſarcinam, quantumuis temperatam, hac tempeſtate ferre velit. Cur ergo perſeueraſſet vitæ illius prioris auſteritas, quam ferè nullus toleraſſet? Denique prouidentia diuina hoc fuiſſe factum putari poteſt, vt ſublata vita quæ videbatur aſperior, introduceretur alia, quæ & humanior, & tolerabilior foret, ne ſcilicet à rebus humanis ipſius anachoreticæ vitæ funditus veſtigia exularent. Non enim genus humanum deſerit clemētiſſimi Dei bonitas, ſed ſuā ſapientia pro qualitate hominum, temporū, locorum, aliorumque id genus, ſuauiter omnia diſponit, interdum grauia atque aſpera commutando in leuia, interdumq; imperfecta tollēdo, vt perfectiora ſtabiliat. Sic enim duram legē duræ ceruicis populo datam, in nouæ legis ſuauitatem commutauit. Sic, inquam, veteris teſtamenti vmbram, figuram, imperfectionemq; vacuauit, & rem ipſam, veritatem, perfectionemq; in Euangelio exhibuit. Sic deniq; (vt ad cęptum reuertamur) anachoreticæ vitæ arduam aſperitatē peſſum ire permiſit, vt melior, humaniſq; viribus portabilior introduceretur. His igitur de cauſis ante Cartuſienſis ordinis aduentum anachoretica vita rebus humanis penè abſceſſerat. Sed dices, quo tempore exorta eſt religio Cartuſiana, in multis terrę plagis adhuc multi creduntur fuiſſe heremitæ, qui vitæ ipſius anachoreticę ſectabantur veſtigia. Itidem in ordine Camalduenſi ea tempeſtate anachoreticum propoſitum maximè viguiſſe putatur. Apud eos ſiquidem poſt quinque annos in cęnobitica ſeu communi vita exactos, ad ſingulas cellas in montium ſolli-

Bonitas et ſapientia Dei.

Ordo Camalduēſis

indigentibus, lætaliter peccare, durius multis videtur. Et tamen hoc ipſum (vt diximus) periculo proximum eſt. Quapropter diuites (præſertim Eccleſiaſtici) qui multam huiuſmodi ſuperfluorum copiam habentes, non curant pauperibus eleemoſynam tribuere, quando præſertim eos nôrunt erubeſcere palam mendicare, eaque de re indigentiam multam perpeti, cui nullum conſulere velle vident, graui periculo ſe exponunt, & à grandi peccato immunes non videntur. De ijs autem qui pro conſuetudine oſtiatim mendicant, ſecùs ſentiendum eſt, quando potiſſimum grauis notabilis penuriæ ſignum minùs apparet. De ſpirituali autem eleemoſyna, hoc eſt, diuini verbi prædicatione, dicimus eam interdum ſub præcepto mandatam eſſe, quod ſatis ſuprà diſſeruimus. Breuiter tamen hîc reſoluentes, dicimus præceptum illud omnibus idoneis impoſitum, qui ſalubriter impendere poſſunt, quando poſtulat neceſſitas, quæ per alium certitudinaliter, vel veriſimiliter releuari non poteſt. Dicimus quoq; interdum eam eſſe prohibitam. Nam vt ait D. Thomas in quarto: Non licet alicui Prædicare, niſi Prælationis officium habeat, niſi authoritate alicuius Prælationẽ habentis hoc faciat. Peculiariter autem quinque hominum genera paſſim prohibentur, ſcilicet pueri, mulieres, laici, monachi, & clerici non ſacerdotes. Dicimus inſuper, prædicationem interdum eſſe ſupererogationis, ac conſilij. His enim qui ſalubriter ac decenter eam (quando vtilis quidem, ſed nõ neceſſaria eſt) impendere poſſunt & volunt, conſulitur: quippè quę magni tunc ſit meriti. Dicimus poſtmodùm, prædicationem aliquando diſſuaſam eſſe, vtpotè quãdo nec

Attēdant diuites Eccleſiaſtici.

Prædicatio quãdo & quatenus præcipimus.

D. Thom.

Quinque hominum genera à prædicatione prohibentur.

nec populo admodùm vtilis eſt, nec Prædicanti videtur ſecura, ſed periculoſa. Non enim ſecurũ eſt homini adhuc imperfecto, atque inanis gloriæ ventis vehementer agitato, publicè docere: ſed à viris & doctis, & ſanctis munus hoc (quod propriè perfectorum eſt) talibus diſſuaſum legitur, vtpotè quod ſine detrimento vix fieri poſſit. Dicimus denique, prædicationem viris prædicationi (quò ad humanam apparentiam) idoneis, extra caſus quos ſuprà tetigimus, ſub præcepto mandatam nõ eſſe, ſed vel conſultam tantùm, vel diſſuaſam. Sunt enim, qui ſine diſcrimine eam impertiri queunt, & his quidem conſulta eſt. Sunt alij, qui adhuc imperfecti, citra grande periculum id facere non valent, & his diſſuaſa eſt. Quapropter omnibus diligenter luſtratis, videtur confici, rarenter caſum contingere poſſe, in quo vir doctus hoc tempore (quãtum eſt ex parte doctrinæ) præcepto aſtringatur ad impertiendam prædicationis eleemoſynam. Eaque de re licere ei de communi lege, ad ſolitariam vitam gratia contemplationis ſe conferre. Denique vir literatus nõ aſtringitur, vel præſtolari, vel religionis ingreſſum differre, proptereà quod caſus huiuſmodi cõtingere poteſt. Ad ſecũdam rationem fatemur, ingratitudinem vitium eſſe turpiſſimum. Inficiamur tamẽ, eum ingratum eſſe, qui Euangelico parens conſilio, periculoſum ſeculum deſerit, & ſolitariæ vitæ ſecuritatem amplectitur. In qua ſcilicet gratijs ſibi datis diligentiùs vtens, diuina beneficia iugiter recognoſcit. Quæ quidem ſe primùm pro ſe ſuſcepiſſe animaduertens, ſibi primùm incũbendum cenſet, deinde alijs, quibus etiam accepit impertienda, quando commodè poteſt, te-

 netur-

neturque. Non enim ſanè poteſt talis ingratus cenſeri. Ad tertiam rationem reſpondetur, virum doctum aliquando ad correctionem publicam, quæ ſcilicet fit publicè prædicando, generatimque peccata arguendo, aſtringi. Interdum verò ad ſecretam ſeu priuatam (quæ & fraterna dicitur) obligari. Quando autem ad publicam deuinciatur, ſatis ſuperque iam dictum puto. De fraterna verò breuiter dicitur non tantùm doctos, ſed omnes generaliter (conuenientibus certis conditionibus) aſtringi. Ex parte enim corripientis, exigitur certa peccati notitia. Requiritur quoque corripiendi modus, qui manſuctus eſſe debet. Denique flagitatur dignitas quædã, vt ſcilicet ſimili vel maiori peccato corripiens palàm obnoxius non ſit, alioqui præuaricatur: quippè qui ſcandalum pariat, ſeipſumq; ſuperbè extollat. Ex parte quoque corripiendi, flagitatur inprimis ſpes probabilis emendationis (hæc enim eſt finis correctionis fraternæ) deinde exigitur peccatum eſſe lætale, aut ſaltem veniale, quod probabiliter ac proximè inductiuum ad mortale eſſe cenſeatur. Denique quòd non ſit ſpes de maiori opportunitate vel temporis, vel loci, vel perſonæ aptioris. His enim vnà concurrentibus, fraternam correctionẽ prætermittens, peccare creditur. Itaq; præceptum eſt affirmatiuum, quod (circumuenientibus circunſtantijs, quas diximus) aſtringit. Verùm propterea viri docti non impediuntur, quin ſolitariam vitam adire queant, quemadmodum nec ſolitarij iam effecti ſuam ſolitudinẽ deſtituere tenẽtur. Cùm enim beneficia ſeu officia debentur communiter proximis omnibus, non ſunt quærendi quibus impẽdantur, ſed ſatis eſt impẽdere quan-

Quæ conditiones ad fraternam correptionem requiruntur.

quando occurrũt. Hoc enim quaſi pro quadam ſorte habendũ eſt, vt ait Auguſt. lib. 1. de doctrina Christiana, q & de verbis Domini ſic inquit: Admonet nos Dominus noſter non negligere inuicem peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas: aloquin efficeremur exploratores vitæ aliorum. In ſumma itaq; dicamus viros doctos propter alienam correctionem, ſeu publicam, ſeu priuatam, à ſuſcipienda vita ſolitaria minimè paſſim impediri. *Auguſt.*

Ad quartam obiectionẽ trifariam reſpõdemus. Inprimis dicentes eã prorſus ineptã eſſe, & à ſacro Hieronymo iampridẽ ſatis reprobatã, cùm ait contra Vigilantiũ: Nec à ſuo ſtudio Monachi retrahẽdi ſunt linguæ vipereæ morſu ſęuiſſimo, quibus argumentaris & dicis: Si omnes ſe clauſerint & fugerint in ſolitudinẽ, quis celebrabit in Eccleſijs? quis ſeculares homines lucriſaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo: ſi omnes tecum fatui fuerint, ſapiens eſſe quis poterit? Si virgines omnes fuerint, nuptiæ non erunt, interibit genus humanũ. Sed rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur. Hęc Hieronymus. Deinde aliter reſpondentes dicimus, præcepta aliquando ita dari multitudini, vt & eam, & ſingulas eius partes aſtringant. Interdũ verò ita fieri, vt tamen ſingulos nõ aſtringant, niſi ſub conditione quadam, putà ſi alij nõ adſunt, qui pręceptum exequantur: quemadmodum eſt de pręcepto generandi, quod nõ omnes generationi aptos ita ligat, vt omnes hoc tempore generationi incumbere debeant: alioqui perperam agerent, qui continenter viuerent. Ita quantùm ad rem pertinet, docendi præceptum, licèt omnibus viris doctis, prædicationiq; *Hierony.* *Præcepta generalia quos & quando aſtringant.* *Prædicãdi præceptum.*

aptis generatim datum ſit, non tamen abſolutè ſingulos (præſertim non Prælatos) aſtringit, ſed ſub cõditione quadam, ſcilicet ſi immineat neceſſitas, cui per alium, vel alio modo veriſimiliter conſuli non poſſit. Cùm igitur hoc tempore penè innumeri ſint Prædicatores ad docendum populum penè ſe ingerentes, non eſt timendum viris doctis, qui ſolitariam vitam adire cupiunt, ne præcepti illius trãſgreſſores efficiantur. Non eſt (inquam) timẽdum, ne propter ſolitudinem, præceptoribus deſtituatur genus humanũ, cùm rariſſimè à viris doctis petatur ſolitudo. Qui nihilominùs etiam ſolitarij iam effecti, proximorum neceſſitati conſulerent, ſi alio modo prouideri non poſſet. Denique reſpondemus, ſicut in corpore humano, ita & in corpore myſtico diuerſa eſſe membra opus eſt, quæ diuerſis officijs apta ſunt. Ita enim diuina ſapientia inſtituit, vt & ſibi mutuò ſuppetias ferant, & pulchram in corpore harmoniam faciant. Cùm igitur inter humana mẽbra nulla ſit querimonia (non enim conqueritur digitus auricularis, quòd pollex non ſit: nec auris, quòd ſit oculus) ſed ſuis vtũtur officijs ad quę inſtituta ſunt: cur obſecro inter membra myſtica de officiorum, graduũ, ſtatuumque diuerſitate vel contentio, vel exprobratio reperitur? Qua, precor, ratione arguet ſartor tonſorem, vel è diuerſo, quòd ſuæ artis non ſit? Hoc enim eſt quodammodo diuinam carpere ſapientiam, quæ vult Eccleſiam inſtar ſponſæ diuerſis circundari varietatibus. Ceſſet igitur quæſtio illa planè ſtolida, quæ & inter arguendum adducta eſt, & inter epulas quoq; paſſim depromi ſolet. Qui vult in ſeculo manere, maneat, modò ſeculi vanitates nõ ſequatur, nec

Quando & quos aſtringit.

his

his detrahat, qui ſeculum miſſum fecerunt. Qui verò peculiari lege ductus ſolitudinem magis deſiderauerit, in Domino cõfidens abſcedat, canumque latratus ſurda aure pertranſeat. Ad quintam obiectionem fatemur inprimis, viros doctos & ſanctos interdum ſolitudinẽ ad tempus deſeruiſſe, quando vel docendi populi, vel hæreſum propellendarum prorſus flagitauit neceſſitas, cui per alios, vel alio pacto ſuccurri non poterat. Tametſi reperiebantur nonnunquam in ſeculo viri literati, non tamen tanta pollebãt ſanctimonia, vt miracula facere poſſent, quibus ad veritatẽ probandam, roborandamque tunc opus erat. Multi enim momenti eſt in huiuſmodi rebus famata ſanctitas, quæ & ad perſuadendum aptior, & ad conuincendum potentior eſſe putatur. Dicimus nihilominus, quando præſentia corporali opus non fuit, viros doctos ac ſanctos non ita ſolitudinem deſtituiſſe: ſed epiſtolis, tractatibus, alijſque ſcriptis, vel eos docuiſſe qui rogabant, vel ſubortos errores improbaſſe. Quod à ſacro Hieronymo factum fuiſſe legimus, qui partim epiſtolis, partim interpretationibus, partim ſcriptis varijs, modò quærentibus reſpondebat, modò ad virtutes ſectandas, vitiaque fugienda hortabatur, interdum ſacrarum literarum interpretationi vacabat, aliquando hæreticos (quorum egregia claua fuit) mirum in modum inſectabatur, nec tamen propterea ſolitudinem, quam cum diſcipulis colebat, deſtituit. Hoc & alij permulti feciſſe leguntur, in quibus multi fuêre Cartuſiani, qui ab heremo non diſcedentes, & literis, & ſcriptis alijs multos docuerunt. Ita enim (ſecluſa vocalis prædicationis neceſſitate) agere tutiùs atque vtiliùs

Viri docti quãdo & quibus de cauſis ſolitudinẽ quandoq; ad tempus deſeruerint.

Famata ſanctitas quantum valet.

eſſe putatur: quandoquidem ſcripta non in vno tantùm loco, ſed multis, nec vno quoque tempore, ſed diuerſis ſimul prodeſſe queunt, quod verbali prædicationi certum eſt conuenire non poſſe. Non igitur obiectio propoſita concludit quicquam, cùm nec aſſit quidem hoc tempore tanta neceſſitas, cui aliter conſuli non poſſit. Quæ ſi adeſſet, vir doctus etiam Cartuſianus effectus, prodiret in publicũ. Non enim tam pertinaciter ſolitudinem colunt Cartuſiani, vt in nullo penitus caſu eam cenſeant deſtituendam. Enimuerò ſi à Sede Apoſtolica exire pro aliquo negotio, vtpotè pro audienda cauſa ſibi delegata, vrgerētur, protinus exirent. Ita enim ſuis ſta-
20. Secū- tutis cautum eſt. Quæ nihilominus ſuis peculia-
de par. 2. ri concione, non citra cauſam, interdicunt. Si-
20. Secū- quidem Monachi à publica prædicatione regu-
da no. 4. lariter prohibentur. Adde quòd ſub vmbra prędicationis multa vagandi tribueretur cauſa multiſque periculis ſolitarius ipſe pateret, quę vt fugeret, ſeculum fugit. Denique cæteris fratribus daretur vel inſtabilitatis, vel murmurationis occaſio. Quæ pericula Cartuſiani Patres ſagaciter animaduertentes, non ſinunt paſſim ſuos alumnos vel literatos publicæ prædicationi incumbere. Quanquàm ſi in eis vir admodum literatus, prædicationique aptus foret, qui zelo animarum ſuccenſus, cuperet intra conuentus ſepta doctrinæ talentum & domeſticis, & alijs quoque aduenire volentibus impertiri: non videretur (modò id diſcretè ac ſine ſuo conuentus detrimento faceret) leuiter prohibendus. In hoc enim caſu ea (quæ ſuprà tetigimus) pericula nihil loci haberent. Sed de ijs ſatis. Ad ſextam obiectioné dicimus, eam nullius eſſe momenti.

Inpri-

Inprimis vir doctus mundi pericula fugere cupiens, tutius agit, ſtatum à periculis remotiorem deligendo. Deinde non afficitur (vt ſupponitur) mendicantium ordinibus, forſan arbitratus paſſim maiora per ſeculum diſcurrendo doctis viris imminere pericula, quam ſi parœciæ vnius curam gererent. Ad hæc in alijs monaſticis clauſtris penè nulla reperitur (prò dolor) regularis obſeruantia, paucis exceptis, à quibus non ſinūtur clauſtrales pro concione populari faciliter exire. Quòd ſi permittantur, nihilominùs illa quæ diximus pericula non euadunt, eaque de re primæ intentioni ſuæ non reſpondent. Quid enim ſeculum fugere eos concitauit, niſi vt ſeculi pericula fugerēt? Qua igitur ratione ea ſine cauſa vrgentiſſima ſubire non formidant? Quid enim ad monaſterium referre aliud poſſunt, quàm rerum viſarum ſpecies in memoria reconditas, quæ ſibi, cùm orandum vel meditandum fuerit, protinus occurrent? Cur ergò ſine impellente neceſſitate tantis ſe præſumunt periculis obijcere? Adde quòd ſuæ vacationi ſatisfacere non poſſunt, quæ & totum huiuſmodi benè ſeruata requirit, & ad conſequendam ſalutem ſufficit. Denique lege nulla paſſim aſtringitur vir literatus (vt diximus) quin liberè poſſit ſolitariam vitam ſuſcipere. Si ergò ſibi plus cæteris (nec iniuria) placeat, cur eam deligere non poterit? Poterit ſanè. Nec exemplum Chriſti dictis noſtris aduerſatur, ſed ſuffragatur: quippè qui longiori tempore tacuit, quàm prædicauit. Adde magnam ad debitè ſalubriterque prædicandum exigi perfectionem. Quæ tamen cùm hoc tempore rariſſima ſit, monacho, ad concionandum non aſtricto, periculoſum eſt popu-

Diſcurrēdo per ſeculū, multa viris pijs imminere pericula.

Chriſtum multò diutius tacuiſſe quam prædicaſſe

populari concioni (præſertim extra monaſterij ſepta vagando) frequenter incumbere. Ad vltimam denique non rationem, ſed garrulitatem, ſtultamque interrogationem breuiter dicimus, eam potiùs riſu, quàm reſponſione dignam eſſe. Nihilominus vt tandem cohibeatur multorum inuida loquacitas, dicimus tantas in Cartuſiana vita occupationes iugiter eſſe, vt etiam indocti vix ſatis habeant temporis, ad ea explenda quæ facere decreuerint: quod & ipſa experientia locupletiſſimè teſtatur. Sed quoniam de huiuſmodi occupationibus partim dictum eſt, partimq; dicendum ſupereſt, ea de re finem huic negotio imponere certum eſt, ſi primùm tamen monuerimus doctum virum (qui clauſtralem ſarcinam obire cupit) bonam voluntatem ſecum ferre debere. Bonam dicimus (quantum propoſito ſatis eſt) quæ patientiæ, humilitatis, obedientiæ, & charitatis commercium, vel feruens deſiderium habet. Niſi enim aliena onera patienter ferre, niſi ſe humiliter gerere, niſi maioribus ad votũ parêre, niſi demum charitatem ad omnes habere velit, clauſtralem meo conſilio ſarcinam ſuis humeris non imponet. Inueniet ſiquidem homines, homines fugere volens: inueniet tentationes, cæteraque pericula, de quibus in præſentiarum meminiſſe operæpretium non eſt. Quę nihilominus præfatis armatus virtutibus, poterit euadere. Sed iam explicatis Cartuſianæ vitæ cómoditatibus, ad eius prærogatiuas ſeu excellentias tranſeundum eſt.

TRACTATVS TERTIVS SECVNDI libri, in quo agitur de prærogatiuis, ſeu excellentijs Cartuſianæ vitæ.

CAPVT

CAPVT I.

Primum enumeratis generatim Cartuſianæ vitæ excellentijs, de prima agitur, qua vita ipſa commendatur, quod anachoreticæ vitæ iampridem lapſæ inſtauratrix ſit. Inprimis tamen afferuntur cauſæ, quibus ipſa anachoretica vita ceſſauerit. Deinde quomodo per Cartuſianam aptius inſtaurata ſit. Denique quo pacto non ſolum ipſa, ſed etiam cœnobitica quodammodo ſit reparata, vtpotè in qua vtriuſque vitæ bona ſimul reperiantur, & pericula deuitentur.

OBLOCVTOR.

ILLAS quas dicis, tuæ Cartuſianæ vitæ præſtãtias, primùm abs te generatim afferri, poſtmodùm autem peculiariter diſcuti cupio, ſi tamen tanti fortaſsè putantur. PET. Si tibi vel generaliter eas numerauero, haud dubium quin tui liuoris meipſum iaculis obijciam. Sed volent tela, ſtruantur inſidiæ, parentur arma, nihiloſeciùs, quod callidè petis, ſimpliciter afferre non trepidabo. Cartuſianæ igitur vitæ prærogatiua prima hæc eſt, quòd multis olim figuris peculiariter creditur fuiſſe præfigurata. Deinde quod tota diuinitùs inſtituta eſt. Verùm quia de ijs ſatis dictum eſt, ea de re nec verbum amplius vllũ addetur. Itaque vt cætera, quæ tacta non ſunt, afferantur, dicimus, Cartuſianæ vitæ non paruam eſſe prærogatiuã, quòd anachoreticæ vitæ iamdudum lapſæ inſtauratrix ſit. Inſtauratrix, inquam, honeſtius, humanius, ſecurius, perfectiuſque: quòd multifariam probata ſit: quòd regulam quoque probatam, diſcretamque habeat: quòd Sanctos penè innumeros habuerit, quorũ multi claruêre miraculis, è quibus nonnulli propterea *Prærogatiuæ vitæ Cartuſian.*

pterea canonizati ſunt: quod multis viris admodum doctis & illuſtribus ſit inſignita: quòd inſuper altiſſima ſit omnium & humilitatis profunditate, & aſperitatis perfectioniſq; ſublimitate: & denique præſtantiſſima ſit puritate, ſecuritate, iugique perſeuerantia. Sed iam huiuſmodi prærogatiuis generatim enumeratis, ſi nihil mutis, ſpeciatim eas tangere certum eſt. Te igitur obmuteſcente, peculiariter oſtendere conabor, Cartuſianam vitam anachoreticæ iampridem lapſæ inſtauratricem eſſe. Quia in re primũ afferendum eſt, cur anachoretica vita fuerit deſtituta, deinde quo pacto ſit per Cartuſianam reſtaurata. Inprimis ergo propter impiorum incurſum ac infeſtationem deſtitui cœpta eſt anachoretica vita. Et primùm quidem (vt ſilentio prætereamus inſultationes ac moleſtias, quas primi anachoretæ perpeſſi ſunt à dæmonibus grauiter ferentibus, ipſas quoque heremos ab hominibus habitari, vitamq; planè mirandam in deſertis actitari, quod in Antonio, Hilarione, alijſque innumeris ſummæ vitæ ac ſanctitatis viris patuit) referamus impiorum hominum infeſtationes, quibus anachoretica vita pedetentim ad decliuium progreſſa eſt. Enimuerò cùm magno in pretio haberetur, & vſqueadeò multos cultores haberet, vt plena eſſent anachoretis deſerta, iampridem ab infidelibus ac Saracenis infeſtari cœpit. Nam ſummæ vitæ ac ſanctitatis heremitæ in illa vaſta ſolitudine (quæ in Paleſtinæ partibus ſita erat) commorantes, à diſcurrentibus Saracenorum latrunculis interempti ſunt. Quod admirans Caſſianus, cur ſcilicet tantum facinus permiſiſſet Dominus perpetrari, vt viri cunctis mirabiles in manus traderentur impiorum,

rum, ſanctum patrem Theodorum adiuit, qui dubietatis ſuæ nodum prudenti reſpõſione diſſoluit, quemadmodum collatione ſexta, quæ de nece ſanctorum prænotatur, videre eſt. Itidem alijs in locis heremitæ commorantes, creduntur ab infidelibus graues incurſus, detrimentaque multa frequenter pertuliſſe. Nec ab infidelibus ſolum, ſed ab impijs quoque Chriſtianis diuerſis putantur calamitatibus affecti. Siquidem latrones, vel cupiditate, vel inopia impulſi, heremitas ipſos ſua (quamuis exigua) ſupellectile frequenter olim ſpoliârunt, qui & ſępenumerò debitam ſuis flagitijs pœnam formidantes, ac propterea in ſyluam & remotiora deſerta ſe recipientes, non ſinebant ibidem heremitas habitare, ne fortè ab eis proderentur. Bella quoque, ſeditiones, contentiones, & alia id genus diſcrimina totum per orbem non ſemel ita concitata ſunt, vt non tantùm in heremis, ſed nec in oppidis quidem viuere licuerit. His itaque de cauſis vita heremitica magna ex parte ceſſauit, nec principio agi potuit. Deinde humano genere temporis lapſu magis ac magis aucto, mirumque in modum multiplicato, creſcenteque ſimul cupiditate, (quæ non ſolùm terras, ſed mare, cœlumque ipſum petere incitat) cœperunt homines deſerta colere, & heremos in villas ac parœcias vertere. Hinc vſu venit, vt loca ſolitariæ vitæ oportuna poſtmodum non ita paſſim, vt anteà, inueniri potuerint. Quapropter vitam ipſam, quæ ſolitudinem flagitat, decidere opus fuit. Porrò vita ipſa paulatim deſerta putatur ob pericula, quæ multa contingebant. Multi enim cœnobiticam diſciplinam diutius ferre non volentes, proptereaque fingentes ſe arctioris vitæ deſiderio ſuccen-

ſuccenſos heremum adire velle, à cœnobijs diſcedentes vitam anachoreticam fraudulenter arripiebant, vt laxis habenis, totiſque votis agerẽt. Alij verò de ſuis viribus præſumentes, vitam ipſam temerè ſuſcipiebant, vtpotè qui nec vitijs plenè emaculati, nec in actuali conuerſatione ſatis probati, vitam ſuis viribus imparem arripiebãt. Alij demum alijs modis illiciti, vitam ipſam vel indebitè ſuſcipiebant, vel ineptè agebant. Hinc cœnobiorum turbatio exoriebatur, hinc via ſimulationibus, abuſionibuſque permultis patebat, hinc pericula multa prodibãt. Quæ animaduertẽtes ſancti Patres, propoſitum anachoreticum huiuſmodi paſſim diſſuadere veriti nõ ſunt, arbitrantes ipſum non quidem malum, ſed vt grauibus periculis obnoxium, non ita paſſim, vt ſolebat, ſuſcipi debere. Itaque factum eſt, vt hi, qui ſeculum miſſum facere, & regularem arripere vitam cupiebant, partim vitæ ipſius conſiderantes pericula, partim verò priſcorum Patrum monimenta legentes, ſed plerumque non ſanè intelligentes, vitam ipſam anachoreticam non putarent ſuſcipiendam. Ad hæc vita ipſa anachoretica propter humanarum imbecillitatẽ virium paulatim ceſſauit. Virium, inquam, tum mentis, tum corporis. Enimuerò labẽtibus cum tempore moribus, deuotionis quoque feruor ſupra modum remiſſus eſt. Remiſſus eſt & animus humanus, atque ita elanguit, vt nihil penè virilitatis in eo remanſerit. Corporeæ quoque vires ſucceſſu temporis ita fragiles paſſim dicũtur effectæ, vt ad ferendam anachoreticam ſarcinam, præſertim extremam, minimè ſufficere poſſe putentur. Verùm vtcunque res habeat de corporis imbecillitate, ſatis exploratum eſt, deuotio-

Quam & quare ſancti patres anachoreticam vitam diſſuadebant.

uotionis feruorem mentiſque vigorem ita contabuiſſe, tantumq; accepiſſe detrimenti, vt iam rarus ſit, qui ſolitariæ vitę ſarcinam, quantumuis temperatam, hac tempeſtate ferre velit. Cur ergo perſeueraſſet vitæ illius prioris auſteritas, quam ferè nullus toleraſſet? Denique prouidentia diuina hoc fuiſſe factum putari poteſt, vt ſublata vita quæ videbatur aſperior, introduceretur alia, quæ & humanior, & tolerabilior foret, ne ſcilicet à rebus humanis ipſius anachoreticæ vitæ funditus veſtigia exularent. Non enim genus humanum deſerit clemētiſſimi Dei bonitas, ſed ſuā ſapientia pro qualitate hominum, temporū, locorum, aliorumque id genus, ſuauiter omnia diſponit, interdum grauia atque aſpera commutando in leuia, interdumq; imperfecta tollēdo, vt perfectiora ſtabiliat. Sic enim duram legē duræ ceruicis populo datam, in nouæ legis ſuauitatem commutauit. Sic, inquam, veteris teſtamenti vmbram, figuram, imperfectionemq; vacuauit, & rem ipſam, veritatem, perfectionemq; in Euangelio exhibuit. Sic deniq; (vt ad cęptum reuertamur) anachoreticæ vitæ arduam aſperitatē peſſum ire permiſit, vt melior, humaniſq; viribus portabilior introduceretur. His igitur de cauſis ante Cartuſienſis ordinis aduentum anachoretica vita rebus humanis penè abſceſſerat. Sed dices, quo tempore exorta eſt religio Cartuſiana, in multis terrę plagis adhuc multi creduntur fuiſſe heremitæ, qui vitæ ipſius anachoreticę ſectabantur veſtigia. Itidem in ordine Camalduenſi ea tempeſtate anachoreticum propoſitum maximè viguiſſe putatur. Apud eos ſiquidem poſt quinque annos in cęnobitica ſeu communi vita exactos, ad ſingulas cellas in montium ſoll-

Bonitas et ſapientia Dei.

Ordo Camalduēſis

ſolitudine ſitas, ſeiunctaſq; ſe conferebãt, quod & adhuc obſeruare dicũtur. Non igitur eo tempore, quo cœpit Cartuſianus ordo, vita ipſa anachoretica peſſum ierat. Reſpondemus: Quamuis tempore originis Cartuſienſis in nonnullis terræ partibus, vt puta Cicilia, Romana, alijſque pauciſſimis regionibus fuerint nonnulli heremitæ, qui priſcos anachoretas vtcunque referre videbantur, illi tamen & numero pauciſſimi, & meritis impares erant, imò verò priſcorum cõparatione nullius penè momenti, ſed de numero potius Sarabaitarum multi cenſendi fuerunt. Non igitur illi anachoreticæ vitæ gloriam in ſuo tenore conſeruârunt, ſed nec lapſam planè inſtaurârunt. Sed nec Camalduenſes quidem, quippe qui pauci, & in paucis partibus ſemper fuêre, eaque de re non potuerunt in multis terræ plagis magnam anachoreticæ vitæ inſtaurationem facere. Deinde cœnobiticam illi vitam potiùs quàm anachoreticam agunt. Nõ igitur anachoreticam vitam vel ab interitu vindicare, vel lapſam reparare potuerunt. Porrò nulli putantur ex eorum numero deſerta petere, niſi quib' placent. Itaq; ſi nulli heremum adire voluerint, nulla ex parte eorum manebit anachoretica vita. Habet igitur in eis infirmum incertumq; fundamentum. Denique cùm ita laxi (vt dicitur) effecti ſunt, vt tot vel plures ad regendas ſeculares Eccleſias populi curam habentes exeant, quàm ad vitam ſolitariam in montibus agendam, haud dubiè per eos ſolitariæ vitæ non ſatis conſultum videtur, tametſi nõ laudabilis ſit illa quinquennalis probatio, quam priſcorum veſtigia partim ſectantes, obſeruare feruntur. Hoc enim heremiticæ quidem vitæ fomenti aliquid præbet.

Verùm

Verùm, vt diximus, nec in ſua integritate conſeruare, neç lapſam plenè inſtaurare valuerunt. Non igitur per eos aut alios vel in ſua integritate conſeruatum, vel plenè inſtauratum eſt anachoreticum propoſitum, imò verò, quod ſuprà tetigimus, quo tempore Cartuſiani ſunt exorti, anachoreticæ vitæ profectio feruorque eximius deciderat. Adde quòd temporibus illis iam non poterat ille priſtinus anachoreticæ vitæ modus, qui ſecurior laudabiliorque olim putabatur, obſeruari, vt ſcilicet poſt longam ſufficientemque in cœnobijs probationem, ad interiora deſerti tranſirent, in ſingulis cellis ſingulariter habitaturi, ibique diuinis contemplationibus vacaturi. Non enim tempora illa moreſque ſinebant conſuetudinē illam obſeruari, ſed nec fieri quidem illud potuit, aut modò poteſt, partim propter detrimēta quæ diximus, partim propter pericula atq; ſcandala, quæ ob huiuſmodi diſceſſum à cęnobijs oriri poſſent. Si enim probus cęnobita à ſuis ſeptis diſcedat, cæteri ſe contemni arbitrati, non parua turbatione afficiuntur. Afficiuntur & extranei mala opinione, ſcilicet exiſtimantes, bonum bonos minimè deſeruiſſe. Si verò diſſolutè abſcedat, maioribus ſe periculis exponit, omnes ſcandalizat, & ſuis quoque perditis moribus perditos, perditus ipſe perdit. Cùm igitur nec multò antè tēpore poſſet huiuſcemodi conſuetudo aptè ſeruari, nec pro voto quoq; (vt principio ſolebat) actitari, non temerè dictum eſt, vitam anachoreticam tunc temporis defeciſſe. Itaq; reliquum eſt oſtendere, eam ipſam per Cartuſianum ordinem inſtauratam, & & modo quidem aptiori, fuiſſe. Quòd enim per Cartuſianū propoſitum anachoretica vita fuerit inſtau-

inſtaurata, facilè conficitur authoritate illius patris Claræuallenſis, qui epiſtolam ſcripſit ad fratres Cartuſienſes de Monte Dei, in cuius fronte ſic ait. Fratribus de Monte Dei, Orientale lumē, & antiquum illum in religione Aegyptium feruorem tenebris occiduis & Gallicanis frigorib⁹, inferentibus, vitæ ſcilicet ſolitariæ exemplar, & cœleſtis formam conuerſationis. Occurre & cõcurre in gaudio ſancti Spiritus anima mea, & riſu cordis in feruore pietatis, & in omni obſequio deuotæ voluntatis. Quid ni? Etenim epulari in Domino & gaudere oportet, quia Chriſtianæ religionis ſpecioſiſſima portio, quæ cœlos propiùs tangere videbatur, mortua erat, & reuixit: perierat de mundo, & inuenta eſt. Auditu auris audiebamus nec credebamus, legebamus in libris & mirabamur de antiqua ſolitariæ vitæ gloria, & magna in ea gloria Dei, cum ſubitò inuenimus eam in cãpis ſyluæ, in monte Dei, in monte pingui, vbi iam de ea pingueſcunt ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accinguntur. Vides apertè ex ijs verbis & anachoreticam vitam (quæ in partibus orientalibus inprimis radices egerat) tandem mortuam fuiſſe atq; perijſſe, & in Cartuſiano ordine fuiſſe inuentam. Qua in re potes aduertere, quam ſint res humanæ mutabilitati ſubiectæ, quamque mira prorſus ac ſtupenda rerum omnium viciſſitudo ſit. Siquidem regio illa Orientalis, quæ olim fide inclyta atque ornata fuit, nunc porcina impuri Mahumeti non lege, ſed fæce contaminata eſt. Quæ, inquam, anachoreticæ vitæ glorioſa parens extitit, modò nobiliſſima prole orbata, nefariæ vitæ cultrix eſt. E regione verò pars Occidua (quæ ipſius heremiticæ vitę primum expers fuerat)

Bernard⁹ ad fratres de monte Dei.

rat)non tantum particeps eius, ſed inſtauratrix quoque eſt effecta. Sic ſic dum vna gens decidit, alia erecta eſt: dum vna perdidit, alia inuenit: dum vna decrementum habuit, alia cœpit incrementum. Non igitur glorietur omnis caro, niſi in patre luminum, à quo eſt omne bonum optimum, & omne donum perfectum. Non glorietur, inquam, accinctus æquè vt diſcinctus. Sicut enim præteritis ſeculis multa quæ in honore fuerant, poſtmodum corruerunt: ita & quæ nũc erecta ſunt, faciliter peſſum ire poſſunt. Poſſunt, inquam, poſſunt. Et quæ iampridem antiquata atque deleta fuerant, rurſus priſtinum decus recuperare. Sic putant nõnulli magnæ eruditionis viri, Catholicam fidem, quæ nunc in Occidentali plaga floret, ad partes Orientales tandem redituram eſſe. Sed ad inſtitutũ reuertentes, oſtendamus anachoreticam vitam per Cartuſianum ordinem aptiori modo inſtauratam fuiſſe. Inſtaurata quidem eſt honeſtiùs, humaniùs, ſecuriùs, perfectiuſq;. Honeſtiùs quidem, quòd honeſtioribus indumentis, atque alijs ad humanam vitam pertinẽtibus vtantur Cartuſianæ vitæ cultores, quàm priſci illi anachoretæ. Hoc enim flagitat partim ſacerdotij dignitas, partim verò tẽporum conditio, tametſi abiecta atque humilia ſint omnia, quæ propoſitũ ſunt Cartuſiani. Humaniùs quoque, quòd non tanta ſit vitæ aſperitas, quanta iampridem in anachoretica vita reperiebatur, quod certis de cauſis (vt dicetur) effectum eſt. Securiùs inſuper, quoniam & communis pater Cartuſianis adeſt, à quo præſidium conſiliumque in promptu petere poſſunt, & fratres quoque ſibi vicinos habent, à quibus ſi forſan neceſſitatis, vel tentationis ſubitæ quicquam

Gẽte vna decidẽte, aliam erectam eſſe.
Iacob. 1.
3. Reg. 20

emerſerit, auxilium flagitare queunt. Perfectiùs denique, quòd cum ipſius ſolitariæ vitæ commoditatibus, perfectiſſimum obedientiæ bonũ, aliaque vota coniungant. Etenim ſub actuali votiua obedientia, paupertate atq; caſtitate viuunt, quod priſci illi anachoretæ non ita paſſim feciſſe creduntur. Sed dicas, priſcos anachoretas olim tales in vitæ perfectione paſſim fuiſſe, quales hac temporum fœce vel nulli, vel rariſſimi comperiuntur: quomodo igitur Cartuſianum propoſitum perfectius dici poteſt? Reſpondemus, nos de perfectione ſtatuum, non autem de perſonalium meritorum præſtantia diſſerere. Enimuerò ſi cum tanto charitatis feruore Cartuſianum propoſitum iugiter, diligenterq; obſeruaretur, cum quanto ſtudium anachoreticum à vetuſtis Patribus ſeruabatur, haud dubiè viros incomparabiles atque admirabiles efficeret. Sed de ijs aliâs. Gaudeant igitur noſtra ſecula, quòd anachoreticæ vitæ decus per Cartuſianum ordinem inſtauratum habẽt. Gaudeant & partes Occiduæ, quæ tanto diuinitus munere donatę ſunt. Gaudeat denique religio, quòd ſpecioſiſſima eius portio (quæ corruerat) per Cartuſianam vitam & mirabiliter excitata, & ſublimiter erecta eſt. Sed quid ſolùm dicimus, per Cartuſianum ordinem inſtauratam fuiſſe anachoreticam vitam? cur nõ potiùs apertè fatemur (quod verum eſt) etiam cœnobiticam vitam per Cartuſianam quodam modo reparatam fuiſſe? Enimuerò ſi Cartuſianæ vitæ qualitatem, temperamentum, ac mixtionem (de quibus primo libro diſſeruimus) diligenter luſtrauerimus, haud dubiè comperiemus, vtramque vitam, ſcilicet anachoreticam, & cęnobiticã, ad ſuæ primariæ originis purita-

ritatem priſcæq; inſtitutionis gloriam per Cartuſianũ ordinem reductam fuiſſe. Quandoquidem & bona illa præcipua, quæ in vtraque vita reperire eſt, in Cartuſiana ſimul comperiuntur, & mala quoq; pericula, quæ vtrique vitæ inſunt, in ea quoq; ac per ea deuitãtur oportunè. Enimuerò Patres illi, qui Cartuſienſis ædificij fundamenta iecere, profundiùs animaduertentes multa ſociali vitæ, multaque ſolitariç (ſaltem extremæ) commoda periculaque ineſſe, ſubtiliter curauerunt, vitæ genus quodam modo tertium, atque conflatum inſtituere, & multo tẽperamento vti, quo ſcilicet vtriuſque bona ſimul adunarẽt, periculiſque omnibus conſulerent, & demum vitam vtranque ad ſuę reducerent originis puritatem. Quod quidem conſecuti videntur Cartuſianum propoſitum inſtituendo: differenter tamen, præcipua ſiquidem eis cura fuit, anachoreticam vitam iam dudum extinctam ſuſcitare. Ea de re vitam, quæ ſimpliciter anachoretica foret, & nihilominus mixta quodammodo dici poſſet, excogitarunt. In qua & omnia heremiticæ vitæ bona ſimul componere, & mala periculaq; profligare pro viribus ſtuduerunt. De cœnobitica autem vita, licet nõ ita ſoliciti fuerint, multa tamen eius præcepta decerpentes, fecerũt, vt antiqua eius veſtigia in Cartuſiana vita relucerent. Quòd ſi hæſitas, tolle perpetuam ſilentij cenſuram iugemque ſolitudinem à vita Cartuſianorum, proculdubio ibi puriſſimam illam ac præſtantiſſimam vitam cœnobiticam ſiue communem, quę principio ſub Marco doctore apud Alexandriam agebatur, in ea inuenies. Itaque qui ſubtiliter intueri nouit, facilè in Cartuſiano ordine priſcæ vitæ illius veſtigia comperiet.

Cartuſ. vita à cœnobitica in quo differat.

Sic igitur vtraque vita ſuo modo reparata eſt, vtriuſque bona ſimul congeſta, vtriuſque demum pericula malaque ſapienter per Cartuſianam vitam profligata putantur. O itaque mirandum prorſus Cartuſianæ vitæ commercium, ſtupenda mixtio, digniſſimum temperamẽtum, quo & prima vitæ cœnobiticæ veſtigia conſeruantur, & anachoretica vita ita ſapienter temperata eſt, vt modò ſecurior, portabilior, ac vtilior (quàm olim) cenſeatur. Sed de his iam ſatis. Iam verò de ipſius Cartuſianæ vitæ probatione diſſerendum videtur.

CAPVT II.

De ſextuplici Cartuſianæ vitæ probatione, ſcilicet diuina, Synodali ſeu Eccleſiaſtica, iuridica, Pontificia, doctorali, & rationali.

OBLOCVTOR.

QVAM dicis tuę Cartuſianæ vitæ probationem, facile eſt improbare, probando eam nunquam approbatam, ſed ſemper reprobatam fuiſſe. Primùm quidem Superis minimè probata eſſe videtur. Deinde ab Eccleſia quoque non probata, ſed duntaxat permiſſa atque tolerata paſſim dicitur. Quinetiam videtur per Conciliũ Lateranenſe ſub Innocentio tertio celebratum, & per Concilium Lugdunẽſe ſub Gregorio decimo habitum, fuiſſe reuocata. Itidem nec à iure quoque probata reperitur, cum de vita huiuſmodi nulla prorſus in iure mẽtio fiat. Similiter nec à ſummis quoque Pontificibus, nec à doctoribus probatis probata eſſe probatur, cùm de huiuſmodi probatione nihil literarum monimentis creditum inueniatur. Ad hæc nulla religio probata eſt, niſi ſub aliqua regularum probata-

batarum agatur. At verò Cartuſiana vita ſub nulla earum agitur: igitur minimè probata cenſenda eſt. Deniq; quod communis fama famat, non omninò deperditur: ſed communis fama eſt, vitam Cartuſianam, minimè probatam eſſe: igitur probabile non eſt eam eſſe probatã. PET. Quæ Cartuſianæ vitæ probationem improbando per te adducta ſunt, paſſim fateor depromi ſolent. Verùm cùm apertiſſimè falſa ſint, plurimùm demiror ignorantiam hominum & temeritatem, qui ea leuiſſimè ſolent aſtruere, quæ prorſus falſa ſunt. Admiror & liuidorum inſaniam, qui ſæpenumerò ea obijciunt, quæ mendoſa eſſe optimè norunt. Miror deniq; noſtrorum inertiam, qui tam iniquam ordini notam inferri ſcientes, non obliterunt, nec in lucem ea protulerunt, quæ linguacium ora facilè cohibuiſſent. Vt igitur tandem penitus ſubmoueatur tam iniqua calumniæ temeritas, dicamus Cartuſianum ordinem ſextuplici probatione, diuina ſcilicet, Synodali ſeu Eccleſiaſtica, iuridica, Põtificia, doctorali, rationaliq́ue probatum ac firmatum eſſe.

Ordinem Cartuſ. ſextuplici probatione confirmatũ eſſe.

Inprimis Cartuſianam vitam diuinitùs probatam eſſe, nullus neſcit, niſi qui diuinam eius originem compertam non habet. Siquidem ad Cartuſianum propoſitum inſtituẽdum, ſeptem diuini Patres electi ſunt, qui per ſeptem ſtellas, diuo Hugoni Gratianopolitano Antiſtiti apparentes, ſignificati creduntur. Locus ille ad Cartuſianã vitam plantandam diuinitus electus eſt. Denique alia permulta (de quibus primo libro ſatis tetigimus) diuinitus effecta, locupletiſſimè probant Cartuſianum ordinem diuinitùs probatum eſſe. Itaque de Synodali ſeu Eccleſiaſtica

De 1. Ordinis Cartuſ. probatione, quæ fuit diuina.

De 2. quæ fuit Synodalis ſeu Eccleſiaſtica.

probatione tangamus, probantes ordinem Cartuſianũ ab Eccleſia probatum, firmatum, acceptumq; penitus eſſe. Siquidem à tempore Cartuſienſis Ordinis multa fuêre vniuerſalia, ſacraque Concilia Eccleſiam ipſam referẽtia, quæ ordinem ipſum ſatis comprobârunt. Cùm enim multos ordines introductos (qui tolerandi non erant) Concilia ipſa expreſsè caſſarint, funditusque exterminârint: cur quæſo non etiam Cartuſianum ordinem ſibi notiſſimum, ſi pari modo improbationem merebatur, minimè reprobarunt? Nonne de perſonarũ acceptione Patres illi meritò incuſandi eſſent, qui alijs ſectis (quæ probandæ non erãt) prorſus reiectis, ſolum Cartuſianam intactam dimiſerũt? At verò cùm impium ſit, talem ſacris Synodis notam imponere, dubio procul temerarium erit aſſerere, Cartuſianum ordinem ab eis probatum non eſſe. Deinde, qui dicunt Cartuſianũ ordinem ab Eccleſia duntaxat toleratum, non autem probatum eſſe, haud dubiè Eccleſiam ipſam inertiæ atque incuriæ turpiter arguunt. Inertię quidem, quòd negligenter ſe habuerit, ordinem ipſum non reprobando, ſi reprobatione dignus erat. Incuriæ quoque, quòd viderit ſtatum ipſum totum per orbẽ penè diffuſum atq; multiplicatũ, nec tamẽ curauerit ipſum à rebus humanis profligare (ſi merebatur) ſed diſſimulauerit, alieniſque peccatis communicauerit. Hæc autem vitia cum à pia matre penitus aliena fuiſſe non dubitentur (vtpotè cui iugis cura de ſuis filijs ſemper fuerit, & plurimum ſollicita atque intenta ſectis vel probandis, vel reprobandis) profectò abſurdum erit putare Cartuſianum ordinem ab ea minimè probatum fuiſſe. Denique Ordo ipſe expreſſa,

abſo-

abſolutaque probatione, de qua nulla calumnia fieri poteſt, decoratus eſt. Enimuerò pro tollendis ambagibus, quæ vel ignaros vel liuidos animos occupare potuiſſent, tandem ipſa mater Eccleſia in ſacro Baſilienſi Concilio legitimè congregata, ordinem ipſum Cartuſianum expreſsè probauit ac firmauit in hunc modum. Sacroſancta generalis Synodus Baſilienſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiã repræſentans, Dilectis Eccleſiæ filijs vniuerſalis Prioribus, & fratribus vniuerſarum domorum Cartuſiæ ordinis, per Priores gubernari ſolitarum, vbilibet conſtitutarum, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Sacræ religionis, in qua mundanis abiectis illecebris virtutũ Domino in humilitatis ſpiritu deuotum & ſedulũ famulatum impenditis, promeretur, honeſtas, vt vobis, ſuper illis, quæ conſeruationi proſperi ſtatus veſtri conueniunt, gratioſum vniuerſalis Eccleſiæ fauoris præſidium liberaliter præbeamus. Hinc eſt, quod vos & ordinem veſtrum benignis amplectentes fauoribus. veſtriſque iuſtis poſtulationibus grato occurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates à quibuſcunque Romanis Pontificibus, ſiue per Priuilegia & indulgentias aliàs vobis & quibuſuis veſtris domibus, & libertates, & exemptiones ſecularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & domibus veſtris indultas: Necnon (ſalua moderatione Concilij generalis) cenſus & redditus, terras, villas, domos, poſſeſſiones, & alia bona, & omnia iura veſtra, ſicut iuſtè & pacificè poſſidetis, vobis & per vos domibus veſtris authoritate Vniuerſalis Eccle-

Concilii Baſil.

Confirmatur & religio, & priuilegia Cartuſienſium.

Eccleſiæ huiuſmodi cõfirmamus. Vides ex præfatis Concilij Baſilienſis verbis, & Cartuſianam religionem (quam ſacram vocat) benignis amplexatam fauoribus, & eius priuilegia quoque omnia expreſſe à Sancta Synodo cõfirmata fuiſſe. Quid quæris ampliùs, Oblocutor? Cur mendacium ſpargis in vulgus, & Cartuſianum Ordinem ab Eccleſia minimè probatum, ſed duntaxat permiſſum eſſe mentiris? Reſipiſce miſer, tuumque errratum, vel tandem agnita veritate, deſere. Sed quiſpiam fortè quærat, cur expreſſa probatio ab initio facta, vel literis repoſita non eſt? Dicimus, Maiores noſtros principio de humana probatione non curaſſe, prudenter animaduertẽtes, non q̃ certa ſunt, ſed quę dubia, probatione indigere. Igitur ſtatum ſuum certiſſimum diuinitusque probatum eſſe (vtpotè anachoreticum) minimè dubitantes, non putauerunt humanam probationem quærendam eſſe. Adde quòd Patres ipſi, qui Synodos celebrarũt, perſuaſum ſemper habuêre, per Cartuſianam vitam optimè inſtauratam fuiſſe vitam anachoreticam, quæ dubio procul probatiſſima ab omnibus ſemper reputata eſt: eapropter ſuperuacaneũ & penè contumelioſum inprimis putarunt, Synodalem cenſuram adhibere, & vitam ipſam, tam probatæ vitæ reparatricem, ac ſi dubia eſſet, ſcriptis comprobare. Itaque eam tanquam certiſſimam diuinitusq; probatam amplexati ſunt, putantes non eſſe opus expreſſam eius probationem ſcriptis palàm committere. At verò tãdem intelligentes, quoſdam vel ignorantia, vel liuore concitatos, in ipſum Cartuſianum ordinem paſſim oblatrare, atque obijcere ſolere, quòd ab Eccleſia probatus nõ eſſet, Synodalẽ probationem

Cur Ordo Cartuſ. ab initio probatus non fuit.

nem expreſſo addiderunt: non tam ad probandam vitam ipſam (quæ externæ probationis minimè indigna putabatur, quippe quæ probatione non indigebat) quàm ad comprimendas leuium huiuſmodi linguas, temerariosque auſus, quibus ipſa graui, immeritaque iniuria afficiebatur. Iam verò iuridicam probationem tangamus, dicentes inprimis falſum eſſe, quod à quibuſdam ſciolis dici ſolet, ſcilicet iura ipſa vſque adeò Cartuſianum Ordinem parùm reputaſſe, vt nec de eo quidem alicubi verba feciſſe reperiantur. Hoc enim commentum atque cauillum ita eſt à vero prorſus diſſentiens, vt nihil magis. Enimuerò multis in locis iuris Canonici expreſſa de Cartuſianis mentio habetur, & (vt tangamus, quæ nobis in præſentiarum occurrunt) primùm quidem in Decretalibus de Cartuſianis agitur, maximè verò libro quinto, titulo de Simonia, Capitulo, Per tuas literas. Vbi Innocentius tertius Priori Cantuarienſi de quodam Cartuſienſi ſcribit, cuius hæſitationi conſulit. Similiter in eodem libro titulo de homicidio, capitulo, Sicut ex literarum. Vbi Innocentius tertius Priori & fratribus Cartuſienſibus ſcribit. Itidem in ſexto Decretalium libro tertio, De decimis, capitulo Statuto, de eiſdem Cartuſianis mentio habetur. Quibus, & Ciſtercienſibus datur priuilegium percipiendarum decimarum: quemadmodum ibi videri poteſt. Porrò in extrauagãtibus communibus de regu. & tranſe. ad reli. capitulo: Viam ambitioſè, de ipſis quoque Cartuſianis fit mentio. Qui tanta donantur præ cæteris ordinib' prerogatiua, vt religioſos mendicãtes in ſuum conſortium ſoli admittere queant. Nulli enim alij Monachi huiuſcemodi liberta- *De ea quæ fuit iuridica.*

bertate potiuntur,ſed eis vniuerſis mendicantes recipere,ſicut & mendicantibus ipſis ad eos trãſire,ſub excommunicationis pœna prohibetur. Quibus alijsque id genus animaduerſis, planè falſum eſſe conſtat,quod ignari oblocutores in hac parte temerariè ac impudenter obijciunt.

De 4. Põtificia.

Sed ad probationem pontificiam, confirmationemque papalem tranſeamus.Enimuerò Cartuſianus ordo ab ipſis ſummis Pontificibus mirificè probatus,& quod maius eſſe putatur) egregiè commendatus eſt. Commendatus,inquam, non à duobus aut tribus duntaxat, ſed ab omnibus penè qui à tempore inſtitutionis eius fuerunt. E quibus 34. & ſuprà leguntur, varijs priuilegijs ac libertatibus ordinem ipſum donaſſe, totque ac tanta contuliſſe, quanta alteri religioni dediſſe nunquam putantur. Denique nonnulli eorum nec probatione, nec commendatione, nec priuilegiorum conceſſione ſatis contenti, vt paternũ affectum magis ac magis oſtenderent,quaſdam ipſius domos fundauerunt,extruxerunt, dotaueruntque & decenter & ſufficienter.Quid hic dicturi eſtis miſeri oblocutores? Sed & alij ordines interdum ab vno duntaxat Summo Pontifice confirmati, paſſim approbati dicuntur. Nonne & Cartuſianus etiam probatus extra cõtrouerſiam reputari debet, quem tot Summi Pontifices probauerunt, laudauerũt, ampliarunt, ac priuilegijs (quorum nonnulla in corpore Iuris contenta eſſe docuimus) liberaliter donauerunt,& demum multis & honoribus & beneficijs hactenus ſunt proſecuti? Dicitis ea, quæ deprompta ſunt, comperta non eſſe. Quæ ſi certa eſſent, ordinẽ ipſum citra omnem dubietatem probatum conficerent. Opportunè

34. & ſupra Summi Põtif. leguntur ord. varijs priuilegijs donaſſe.

hanc

hanc hæſitationẽ propoſuiſtis. Quæ, vt à pectoribus veſtris prorſus excutiatur, dictaq; noſtra comprobentur, afferenda putamus, quæ de ordine Cartuſiano ipſorum ſummorum Pontificũ Bullis, ſeu literis Apoſtolicis continentur. At verò quoniã tædioſum, ſuperfluumq; foret ſingula in medium afferre (grande enim volumen flagitarent) pauca de multis protuliſſe ſufficiat. Inprimis ergo Alexander tertius prodeat, qui Guigoni Priori Cartuſiæ, alijsque fratribus ſcribens, Cartuſianum ordinẽ ſuis in literis ita cõmendaſſe legitur. Cùm vos (inquit) per Dei gratiam multa præemineatis gloria meritorum, & vitam ſolitariam eligentes diuinæ cõtemplationi arctius intendatis, bonus odor religionis veſtræ ad id nos inducit, vt communi, & ſpeciali debito, quieti veſtræ debeamus intendere, & iura veſtra ſummoperè conſeruare. Ea propter dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus clemẽter annuimus, veſtram & alias domos ordinis veſtri cum omnibus bonis, paſcuis, & poſſeſſionibus, quas in præſentiarum iuſtè & canonicè poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus, & terminos, quos rationabiliter ſtatuiſtis, vobis & domibus veſtris auctoritate Apoſtolica cõfirmamus. Idem Archiepiſcopo Viennẽſi & eius Suffraganeis, ita quoq; ſcripſit. Non latet diſcretionis veſtræ prudentiã, quanto deſiderio, quantoque amore prædicti fratres diuinis intẽdant obſequijs, & abnegantes carnalia deſideria, rerum terrenarum delectationes ſpernentes, ſobriè, iuſtè, ac piè in hoc ſeculo viuere elegerũt, & in-

Vita & ordo Cart. à ſummis Pontificibus ſummè commẽdatur.

Alexand. 3. Pontif.

&, inceſſanter ſupernæ meditationi propoſuérunt vacare. Vnde dignum eſt & conueniens, & conſentaneum rationi, vt in tam ſancto, & pio propoſito Pontificalibus adiuuentur ſtudijs, & neceſſarijs ac opportunis foueãtur auxilijs. Poſt

Lucius 3. Papa. Alexandrum tertium, Lucius tertius etiam ſtatum ipſum laudaſſe hoc pacto reperitur. Domũ Cartuſienſis heremi, in qua diuino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio cõmunimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo heremiticæ vitę, qui ſecundum Deum in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur.

Clemens 3. Poſt Lucium tertium, Clemens 3. in Cartuſianorum quoque laudibus ita verſatus eſt. Inter virtutum aromata, & ſanctorum fragrãtiam ſtudiorum, opinionis veſtræ balſamus ſuo nobis odore diſcernitur. Qui cùm ſe aſperioribus inſtitutis à mundana ſeparet vanitate, & præclara reſplẽdeat gloria meritorum, nobis eſt ampliùs honorandus. Prouidendum quoque diligentiùs eſt, & cauendum, ne quietem ſanctam improbitas alicuius valeat conturbare. Poſt Clementem

Cœleſtinus 3. tertium, Cœleſtinus tertius etiam Cartuſianos ipſos huiuſmodi laudibus extulit. Paci & tranquillitati veſtræ tantò propenſius prouidere volentes, quãtò arctiùs diuinis eſtis obſequijs mãcipati, & in cõtemplationis arce procul à terrenorum tumultu ſemoti, piæ poſtulationi veſtræ faciliùs annuimus, & fauorem Apoſtolicum libẽtiùs impertimur. Inde eſt, quòd (vt inſtituta veſtri ordinis perpetuam habeãt firmitatem, prout approbata ſunt, & à bene vtentibus obſeruata) rata in poſterum fore decernimus, & authoritate

ritate qua fungimur confirmamus. Poſt Cœleſtinum tertium, etiam Innocentius tertius ita religionem Cartuſienſem collaudat. Cùm vos per Dei gratiam multa præemineatis gloria meritorum, & vitam ſolitariam eligentes diuinæ contemplationi arctiùs intendatis, ad id nos bonus odor veſtræ religionis induxit, vt communi & ſpeciali debito, quieti veſtræ debeamus intendere, & iura veſtra ſummoperè conſeruare. Poſt Innocentium tertium, Honorius tertius etiam Epiſcopus ſcribens, Cartuſienſes hoc modo commendaſſe traditur. Cùm dilecti filij fratres Cartuſienſis ordinis acceptis pennis columbæ in montis ſolitudinem euolârint, illicq; pro ſuis gemant & aliorum peccatis, in ara cordis mactatis carnalibus deſiderijs, holocauſtum offerentes Domino ſemetipſos, ne pedes quos lauerant, cogantur iterum inquinare. Porrò Alexander quartus, his præconijs Cartuſianos affeciſſe dicitur: Cœleſtis (inquit) amor patriæ mentes veſtras ſic allexiſſe perſpicitur, vt quaſi hoc ſolùm delectationem vobis tribuat, quod diuinæ voluntati ſit placitum, & ſalutem proferat animarum: Procedit ex hoc, quòd nos veſtris pijs petitionibus fauorem largiri beneuolum delectantes, maximè cùm ex Apoſtolici cura teneamur officij, circa religionis augmentum attenti & vigiles inueniri. Idem quoque alijs in literis Cartuſianum ſtatum ita extollit: Amictus lumine ſicut veſtimento, Dei filius Dominus Iesvs Chriſtus ſuam Sacroſanctam Eccleſiam, quaſi tot videtur illuſtraſſe luminibus, quot in ea conſtituit gradus, & ordines virtutum inſignijs, & cultus diuini ſtudio refulgentes. Inter perſonas ſiquidem alias, quas in laudem ſui no-

Innocentius 3.

Honorius 3.

Alexander 4.

minis virtus altiſſimi ab antiquis temporibus vſque nunc aſſumpſiſſe dignoſcitur, illi quaſi videntur fuiſſe præcipui, qui veſtri ſanctitatē ordinis ſunt profeſſi. Vigiles etenim & ſolliciti ad hoc ipſi ſtuduerūt aſſiduè inueniri, quòd & ſpōſus cęleſtis in eorū conſcientijs haberet lectum floridum, & Chriſtiana religio de ipſorum conuerſatione Angelica, ſumeret ſanctitatis exemplum, Sede Apoſtolica de hoc multitudinē ſpiritualis lætitiæ ſępiùs cōſequente. Clemens quoque 4. ijs laudibus Ordinem ipſum eſt proſequutus: Speciali gratia & fauore illa vos de cauſa dignos potiſſimè reputamus, quia toto cordis affectu ad hoc ſemper intenditis, vt per ſanctæ conuerſationis & vitæ ſtudiū in conſpectu Dei & hominum placeatis. Idem quoque alijs in literis perpulchrè ita infit: Chriſti ſponſam ſanctam Eccleſiam nullam rugam habentem aut maculam, ſub vnitate fidei religionum vniuerſitas non mediocri venuſtate decorat. Quæ licet vna dici poſſit & debeat, propter ſuorū ciuium vnitatem, ſuis tamē per orbem domibus diſtributa, ſupernæ retinet ciuitatis exemplar: quæ cùm ſit vnica, multas habet, teſtante Domino, manſiones. Hæc eſt veteris quidem archa Noë miro ſtudio fabricata, manſiunculas habens, & cameras, ac triſtega. Hæc Ioſeph myſtici tunica polimita. Hæc demùm ipſius Domini veſtis eſt inconſutilis, ſed deſuper cōtexta per totum: vt ex his pateat & Eccleſiæ ipſius vnitas, quæ regulariū diſtinctionē profeſſionum nō abijcit, & earundem diuerſitas, quæ materni corporis nec tollit, nec lacerat vnitatem. Ad hanc ſanè pulchritudinem mirabilem, qua ſplendet, & ſplenduit quaſi quadā varietate circundata pia mater

Clemēs 4. *Ioan. 14.* *Gen. 6.* *Gen. 37.* *Ioan. 19.* *Pſal. 44.*

retro-

retroactis temporibus adiecit plurimùm ordo veſter, à ſuis fundatoribus viris ſpiritualibus, & tanquàm adeps à carne penitus ſeparatis magno pariter & exacto conſilio circunciſus: qui ab hominum ſegregati conſortijs, & ad vitæ ſubſidia neceſſaria ſatis paucis contenti, aquilarum more nidum ſuum in arduis poſuerunt, in præruptis ſilicibus, & inacceſſis rupibus habitantes, deliciarum hortum, ſqualentis heremi ſolitudinem arbitrari: vbi lectionibus, orationibus, & contemplationi vacantes, ſollicitudine Marthæ ſepoſita, ſubſederunt ad pedes Domini cum Maria. Inſuper Ioannes 22. ipſum tali laude ornaſſe comperitur. Actus veſtros in regis æterni beneplacito dirigentes, exercitio virtutum cultui religionis intenditis, & per deuotarum orationum inſtantiam ſalutem quæritis animarum. Sicque propitiationem cœleſtis gratiæ promerentes, ad æternæ beatitudinis brauium tenditis, tanquam benedictionis filijs repromiſſum. Propter ꝙ dignè meruiſtis Apoſtolicis attolli fauoribus, & illius prærogatiua gratiæ communiri, per quam vobis commoda quietis accreſcant, veſtræque religionis ſtatus ad laudem diuini nominis augeatur. Clemens quoque ſextus in ipſius ordinis commendationem ijs verbis vſus eſt. Præſignis ordinis veſtri ſacra religio in agro dominico diuina diſpoſitione plantata, ex ſuæ inſtitutionis exordio per inſignium meritorum gratiam, & exemplaris vitæ doctrinam, vberes hactenus in vniuerſa Eccleſia honeſtatis & ſalutis fructus protulit & producit. Et ideo dignum & congruũ arbitramur, vt ordinem ipſum, perſonas, & loca eiuſdẽ oportunis muniamus prẽſidijs, & ſpecialibꝰ fauoribus attollamus.

Iob.39. *Luc.10.* *Ioan.22.* *Clemẽs 6.*

Sic igitur vtraque vita ſuo modo reparata eſt, vtriuſque bona ſimul congeſta, vtriuſque demum pericula malaque ſapienter per Cartuſianam vitam profligata putantur. O itaque mirandum prorſus Cartuſianæ vitæ commercium, ſtupenda mixtio, digniſſimum temperamẽtum, quo & prima vitæ cœnobiticæ veſtigia conſeruantur, & anachoretica vita ita ſapienter temperata eſt, vt modò ſecurior, portabilior, ac vtilior (quàm olim) cenſeatur. Sed de his iam ſatis. Iam verò de ipſius Cartuſianæ vitæ probatione diſſerendum videtur.

CAPVT II.

De ſextuplici Cartuſianæ vitæ probatione, ſcilicet diuina, Synodali ſeu Eccleſiaſtica, iuridica, Pontificia, doctorali, & rationali.

Oblocvtor.

Qvam dicis tuę Cartuſianæ vitæ probationem, facile eſt improbare, probando eam nunquam approbatam, ſed ſemper reprobatam fuiſſe. Primùm quidem Superis minimè probata eſſe videtur. Deinde ab Eccleſia quoque non probata, ſed duntaxat permiſſa atque tolerata paſſim dicitur. Quinetiam videtur per Conciliũ Lateranenſe ſub Innocentio tertio celebratum, & per Concilium Lugdunẽſe ſub Gregorio decimo habitum, fuiſſe reuocata. Itidem nec à iure quoque probata reperitur, cum de vita huiuſmodi nulla prorſus in iure mentio fiat. Similiter nec à ſummis quoque Pontificibus, nec à doctoribus probatis probata eſſe probatur, cùm de huiuſmodi probatione nihil literarum monimentis creditum inueniatur. Ad hæc nulla religio probata eſt, niſi ſub aliqua regularum probata-

batarum agatur. At verò Cartuſiana vita ſub nulla earum agitur: igitur minimè probata cenſenda eſt. Deniq; quod communis fama famat, non omninò deperditur: ſed communis fama eſt, vitam Cartuſianam minimè probatam eſſe: igitur probabile non eſt eam eſſe probatã. PET. Quæ Cartuſianæ vitæ probationem improbando per te adducta ſunt, paſſim fateor depromi ſolent. Verùm cùm apertiſſimè falſa ſint, plurimùm demiror ignorantiam hominum & temeritatem, qui ea leuiſſimè ſolent aſtruere, quæ prorſus falſa ſunt. Admiror & liuidorum inſaniam, qui ſæpenumerò ea obijciunt, quæ mendoſa eſſe optimè norunt. Miror deniq; noſtrorum inertiam, qui tam iniquam ordini notam inferri ſcientes, non obſtiterunt, nec in lucem ea protulerunt, quæ linguacium ora facilè cohibuiſſent. Vt igitur tandem penitus ſubmoueatur tam iniqua calumniæ temeritas, dicamus Cartuſianum ordinem ſextuplici probatione, diuina ſcilicet, Synodali ſeu Eccleſiaſtica, iuridica, Põtificia, doctorali, rationaliq́ue probatum ac firmatum eſſe.

Ordinem Cartuſ. ſextuplici probatione confirmatũ eſſe.

Inprimis Cartuſianam vitam diuinitùs probatam eſſe, nullus neſcit, niſi qui diuinam eius originem compertam non habet. Siquidem ad Cartuſianum propoſitum inſtituẽdum, ſeptem diuini Patres electi ſunt, qui per ſeptem ſtellas, diuo Hugoni Gratianopolitano Antiſtiti apparentes, ſignificati creduntur. Locus ille ad Cartuſianã vitam plantandam diuinitus electus eſt. Denique alia permulta (de quibus primo libro ſatis tetigimus) diuinitus effecta, locupletiſſimè probant Cartuſianum ordinem diuinitùs probatum eſſe. Itaque de Synodali ſeu Eccleſiaſtica

De 1. Ordinis Cartuſ. probatione, quæ fuit diuina.

De 2. quæ fuit Synodalis ſeu Eccleſiaſtica.

probatione tangamus, probantes ordinem Cartuſianũ ab Eccleſia probatum, firmatum, acceptumq́; penitus eſſe. Siquidem à tempore Cartuſienſis Ordinis multa fuêre vniuerſalia, ſacraq́ue Concilia Eccleſiam ipſam referẽtia, quæ ordinem ipſum ſatis comprobârunt. Cùm enim multos ordines introductos (qui tolerandi non erant) Concilia ipſa expreſsè caſſarint, funditusq́ue exterminârint: cur quæſo non etiam Cartuſianum ordinem ſibi notiſſimum, ſi pari modo improbationem merebatur, minimè reprobarunt? Nonne de perſonarũ acceptione Patres illi meritò incuſandi eſſent, qui alijs ſectis (quæ probandæ non erãt) prorſus reiectis, ſolum Cartuſianam intactam dimiſerũt? At verò cùm impium ſit, talem ſacris Synodis notam imponere, dubio procul temerarium erit aſſerere, Cartuſianum ordinem ab eis probatum non eſſe. Deinde, qui dicunt Cartuſianũ ordinem ab Eccleſia duntaxat toleratum, non autem probatum eſſe, haud dubiè Eccleſiam ipſam inertiæ atque incuriæ turpiter arguunt. Inertię quidem, quòd negligenter ſe habuerit, ordinem ipſum non reprobando, ſi reprobatione dignus erat. Incuriæ quoque, quòd viderit ſtatum ipſum totum per orbẽ penè diffuſum atq; multiplicatũ, nec tamẽ curauerit ipſum à rebus humanis profligare (ſi merebatur) ſed diſſimulauerit, alieniſq́ue peccatis communicauerit. Hæc autem vitia cum à pia matre penitus aliena fuiſſe non dubitentur (vtpotè cui iugis cura de ſuis filijs ſemper fuerit, & plurimùm ſollicita atque intenta ſectis vel probandis, vel reprobandis) profectò abſurdum erit putare Cartuſianum ordinem ab ea minimè probatum fuiſſe. Denique Ordo ipſe expreſſa,

abſo-

abſolutaque probatione, de qua nulla calumnia fieri poteſt, decoratus eſt. Enimuerò pro tollendis ambagibus, quæ vel ignaros vel liuidos animos occupare potuiſſent, tandem ipſa mater Eccleſia in ſacro Baſilienſi Concilio legitimè congregata, ordinem ipſum Cartuſianum expreſsè probauit ac firmauit in hunc modum. Sacroſancta generalis Synodus Baſilienſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiã repræſentans, Dilectis Eccleſiæ filijs vniuerſalis Prioribus, & fratribus vniuerſarum domorum Cartuſiæ ordinis, per Priores gubernari ſolitarum, vbilibet conſtitutarum, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Sacræ religionis, in qua mundanis abiectis illecebris virtutũ Domino in humilitatis ſpiritu deuotum & ſedulũ famulatum impenditis, promeretur, honeſtas, vt vobis, ſuper illis, quæ conſeruationi proſperi ſtatus veſtri conueniunt, gratioſum vniuerſalis Eccleſiæ fauoris præſidium liberaliter prabeamus. Hinc eſt, quod vos & ordinem veſtrum benignis amplectentes fauoribus. veſtriſque iuſtis poſtulationibus grato occurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates à quibuſcunque Romanis Pontificibus, ſiue per Priuilegia & indulgentias aliàs vobis & quibuſuis veſtris domibus, & libertates, & exemptiones ſecularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & domibus veſtris indultas: Necnon (ſalua moderatione Concilij generalis) cenſus & redditus, terras, villas, domos, poſſeſſiones, & alia bona, & omnia iura veſtra, ſicut iuſtè & pacificè poſſidetis, vobis & per vos domibus veſtris authoritate Vniuerſalis Eccle-

Concilii Baſil.

Confirmatur & religio, & priuilegia Cartuſienſium.

Eccleſiæ huiuſmodi cõfirmamus. Vides ex præfatis Concilij Baſilienſis verbis, & Cartuſianam religionem (quam ſacram vocat) benignis amplexatam fauoribus, & eius priuilegia quoque omnia expreſſe à Sancta Synodo cõfirmata fuiſſe. Quid quæris ampliùs, Oblocutor? Cur mendacium ſpargis in vulgus, & Cartuſianum Ordinem ab Eccleſia minimè probatum, ſed duntaxat permiſſum eſſe mentiris? Reſipiſce miſer, tuumque errratum, vel tandem agnita veritate, deſere. Sed quiſpiam fortè quærat, cur expreſſa probatio ab initio facta, vel literis repoſita non eſt? Dicimus, Maiores noſtros principio de humana probatione non curaſſe, prudenter animaduertẽtes, non q̄ certa ſunt, ſed quę dubia, probatione indigere. Igitur ſtatum ſuum certiſſimum diuinitusque probatum eſſe (vtpotè anachoreticum) minimè dubitantes, non putauerunt humanam probationem quærendam eſſe. Adde quòd Patres ipſi, qui Synodos celebrarũt, perſuaſum ſemper habuêre, per Cartuſianam vitam optimè inſtauratam fuiſſe vitam anachoreticam, quæ dubio procul probatiſſima ab omnibus ſemper reputata eſt: eapropter ſuperuacaneũ & penè contumelioſum inprimis putarunt, Synodalem cenſuram adhibere, & vitam ipſam, tam probatæ vitæ reparatricem, ac ſi dubia eſſet, ſcriptis comprobare. Itaque eam tanquam certiſſimam diuinitusq; probatam amplexati ſunt, putantes non eſſe opus expreſſam eius probationem ſcriptis palàm committere. At verò tãdem intelligentes, quoſdam vel ignorantia, vel liuore concitatos, in ipſum Cartuſianum ordinem paſſim oblatrare, atque obijcere ſolere, quòd ab Eccleſia probatus nõ eſſet, Synodalẽ probationem

Cur Ordo Cartuſ. ab initio probatus non fuit.

nem

nem expreſſo addiderunt: non tam ad probandam vitam ipſam (quæ externæ probationis minimè indigna putabatur, quippe quæ probatione non indigebat) quàm ad comprimendas leuium huiuſmodi linguas, temerariosque auſus, quibus ipſa graui, immeritaque iniuria afficiebatur. Iam verò iuridicam probationem tangamus, dicentes inprimis falſum eſſe, quod à quibuſdam ſciolis dici ſolet, ſcilicet iura ipſa vſque adeò Cartuſianum Ordinem parùm reputaſſe, vt nec de eo quidem alicubi verba feciſſe reperiantur. Hoc enim commentum atque cauillum ita eſt à vero prorſus diſſentiens, vt nihil magis. Enimuerò multis in locis iuris Canonici expreſſa de Cartuſianis mentio habetur, & (vt tangamus, quæ nobis in præſentiarum occurrunt) primùm quidem in Decretalibus de Cartuſianis agitur, maximè verò libro quinto, titulo de Simonia, Capitulo, Per tuas literas. Vbi Innocentius tertius Priori Cantuarienſi de quodam Cartuſienſi ſcribit, cuius hæſitationi conſulit. Similiter in eodem libro titulo de homicidio, capitulo, Sicut ex literarum. Vbi Innocentius tertius Priori & fratribus Cartuſienſibus ſcribit. Itidem in ſexto Decretalium libro tertio, De decimis, capitulo Statuto, de eiſdem Cartuſianis mentio habetur. Quibus, & Ciſtercienſibus datur priuilegium percipiendarum decimarum: quemadmodum ibi videri poteſt. Porrò in extrauagãtibus communibus de regu. & tranſe. ad reli. capitulo: Viam ambitioſè, de ipſis quoque Cartuſianis fit mentio. Qui tanta donantur præ cæteris ordinib⁹ prerogatiua, vt religioſos mendicãtes in ſuum conſortium ſoli admittere queant. Nulli enim alij Monachi huiuſcemodi liberta-

De i. quæ fuit iuridica.

bertate potiuntur,ſed eis vniuerſis mendicantes recipere,ſicut & mendicantibus ipſis ad eos trãſire,ſub excommunicationis pœna prohibetur. Quibus aliijſque id genus animaduerſis, planè falſum eſſe conſtat,quod ignari oblocutores in hac parte temerariè ac impudenter obijciunt.

De 4. Põtificia.

Sed ad probationem pontificiam, confirmationemque papalem tranſeamus. Enimuerò Cartuſianus ordo ab ipſis ſummis Pontificibus mirificè probatus,& quod maius eſſe putatur) egregiè commendatus eſt. Commendatus,inquam, non à duobus aut tribus duntaxat, ſed ab omnibus penè qui à tempore inſtitutionis eius fuerunt. E quibus 34. & ſuprà leguntur, varijs priuilegijs ac libertatibus ordinem ipſum donaſſe, totque ac tanta contuliſſe, quanta alteri religioni dediſſe nunquam putantur. Denique nonnulli eorum nec probatione, nec commendatione, nec priuilegiorum conceſſione ſatis contenti, vt paternũ affectum magis ac magis oſtenderent, quaſdam ipſius domos fundauerunt, extruxerunt, dotaueruntque & decenter & ſufficienter. Quid hic dicturi eſtis miſeri oblocutores? Sed & alij ordines interdum ab vno duntaxat Summo Pontifice confirmati, paſſim approbati dicuntur. Nonne & Cartuſianus etiam probatus extra cõtrouerſiam reputari debet, quem tot Summi Pontifices probauerunt, laudauerũt, ampliarunt, ac priuilegijs (quorum nonnulla in corpore Iuris contenta eſſe docuimus) liberaliter donauerunt,& demum multis & honoribus & beneficijs hactenus ſunt proſecuti? Dicitis ea, quæ deprompta ſunt, comperta non eſſe. Quæ ſi certa eſſent, ordinẽ ipſum citra omnem dubietatem probatum conficerent. Opportunè

34. & ſupra Summi Põtif. leguntur ord. varijs priuilegijs donaſſe.

hanc

hanc hæſitationẽ propoſuiſtis. Quæ, vt à pectoribus veſtris prorſus excutiatur, dictaq; noſtra comprobentur, afferenda putamus, quæ de ordine Cartuſiano ipſorum ſummorum Pontificũ Bullis, ſeu literis Apoſtolicis continentur. At verò quoniã tædioſum, ſuperfluumq; foret ſingula in medium afferre (grande enim volumen flagitarent) pauca de multis protuliſſe ſufficiat. Inprimis ergo Alexander tertius prodeat, qui Guigoni Priori Cartuſiæ, alijsque fratribus ſcribens, Cartuſianum ordinẽ ſuis in literis ita cõmendaſſe legitur. Cùm vos (inquit) per Dei gratiam multa præemineatis gloria meritorum, & vitam ſolitariam eligentes diuinæ cõtemplationi arctius intendatis, bonus odor religionis veſtræ ad id nos inducit, vt communi, & ſpeciali debito, quieti veſtræ debeamus intendere, & iura veſtra ſummoperè conſeruare. Ea propter dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus clemẽter annuimus, veſtram & alias domos ordinis veſtri cum omnibus bonis, paſcuis, & poſſeſſionibus, quas in præſentiarum iuſtè & canonicè poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus, & terminos, quos rationabiliter ſtatuiſtis, vobis & domibus veſtris auctoritate Apoſtolica cõfirmamus. Idem Archiepiſcopo Viennẽſi & eius Suffraganeis, ita quoq; ſcripſit. Non latet diſcretionis veſtræ prudentiã, quanto deſiderio, quantoque amore prædicti fratres diuinis intẽdant obſequijs, & abnegantes carnalia deſideria, rerum terrenarum delectationes ſpernentes, ſobriè, iuſtè, ac piè in hoc ſeculo viuere elegerũt, & in-

Vita & ordo Cart. à ſummis Pontificibus ſummè commẽdatur.

Alexand. 3. Pontif.

&, inceſſanter ſupernæ meditationi propoſué-runt vacare. Vnde dignum eſt & conueniens, & conſentaneum rationi, vt in tam ſancto, & pio propoſito Pontificalibus adiuuentur ſtudijs, & neceſſarijs ac opportunis foueãtur auxilijs. Poſt

Lucius 3. Papa. Alexandrum tertium, Lucius tertius etiam ſtatum ipſum laudaſſe hoc pacto reperitur. Domũ Cartuſienſis heremi, in qua diuino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio cõmunimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo heremiticæ vitę, qui ſecundum Deum in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur.

Clemens 3. Poſt Lucium tertium, Clemens 3. in Cartuſianorum quoque laudibus ita verſatus eſt. Inter virtutum aromata, & ſanctorum fragrãtiam ſtudiorum, opinionis veſtræ balſamus ſuo nobis odore diſcernitur. Qui cùm ſe aſperioribus inſtitutis à mundana ſeparet vanitate, & præclara reſplẽdeat gloria meritorum, nobis eſt ampliùs honorandus. Prouidendum quoque diligentiùs eſt, & cauendum, ne quietem ſanctam improbitas alicuius valeat conturbare. Poſt Clementem

Cœleſtinus 3. tertium, Cœleſtinus tertius etiam Cartuſianos ipſos huiuſmodi laudibus extulit. Paci & tranquillitati veſtræ tantò propenſius prouidere volentes, quãtò arctiùs diuinis eſtis obſequijs mãcipati, & in cõtemplationis arce procul à terrenorum tumultu ſemoti, piæ poſtulationi veſtræ faciliùs annuimus, & fauorem Apoſtolicum libẽtiùs impertimur. Inde eſt, quòd (vt inſtituta veſtri ordinis perpetuam habeãt firmitatem, prout approbata ſunt, & à bene vtentibus obſeruata) rata in poſterum fore decernimus, & authoritate

ritate qua fungimur confirmamus. Poſt Cœleſtinum tertium, etiam Innocentius tertius ita religionem Cartuſienſem collaudat. Cùm vos per Dei gratiam multa præemineatis gloria meritorum, & vitam ſolitariam eligentes diuinæ contemplationi arctiùs intendatis, ad id nos bonus odor veſtræ religionis induxit, vt communi & ſpeciali debito, quieti veſtræ debeamus intendere, & iura veſtra ſummoperè conſeruare. *Innocentius 3.*

Poſt Innocentium tertium, Honorius tertius etiam Epiſcopus ſcribens, Cartuſienſes hoc modo commendaſſe traditur. Cùm dilecti filij fratres Cartuſienſis ordinis acceptis pennis columbæ in montis ſolitudinem euolârint, illicq; pro ſuis gemant & aliorum peccatis, in ara cordis mactatis carnalibus deſiderijs, holocauſtum offerentes Domino ſemetipſos, ne pedes quos lauerant, cogantur iterum inquinare. *Honorius 3.*

Porrò Alexander quartus, his præconijs Cartuſianos affeciſſe dicitur: Cœleſtis (inquit) amor patriæ mentes veſtras ſic allexiſſe perſpicitur, vt quaſi hoc ſolùm delectationem vobis tribuat, quod diuinæ voluntati ſit placitum, & ſalutem proferat animarum: Procedit ex hoc, quòd nos veſtris pijs petitionibus fauorem largiri beneuolum delectantes, maximè cùm ex Apoſtolici cura teneamur officij, circa religionis augmentum attenti & vigiles inueniri. Idem quoque alijs in literis Cartuſianum ſtatum ita extollit: Amictus lumine ſicut veſtimento, Dei filius Dominus IESVS Chriſtus ſuam Sacroſanctam Eccleſiam, quaſi tot videtur illuſtraſſe luminibus, quot in ea conſtituit gradus, & ordines virtutum inſignijs, & cultus diuini ſtudio refulgentes. Inter perſonas ſiquidem alias, quas in laudem ſui no- *Alexander 4.*

retroactis temporibus adiecit plurimùm ordo veſter, à ſuis fundatoribus viris ſpiritualibus, & tanquàm adeps à carne penitus ſeparatis magno pariter & exacto conſilio circunciſus: qui ab hominum ſegregati conſortijs, & ad vitæ ſubſidia neceſſaria ſatis paucis contenti, aquilarum more nidum ſuum in arduis poſuerunt, in præruptis ſilicibus, & inacceſſis rupibus habitantes, deliciarum hortum, ſqualentis heremi ſolitudinem arbitrari: vbi lectionibus, orationibus, & contemplationi vacantes, ſollicitudine Marthæ ſepoſita, ſubſederunt ad pedes Domini cum Maria. Inſuper Ioannes 22. ipſum tali laude ornaſſe comperitur. Actus veſtros in regis æterni beneplacito dirigentes, exercitio virtutum cultui religionis intenditis, & per deuotarum orationum inſtantiam ſalutem quæritis animarum. Sicque propitiationem cœleſtis gratiæ promerentes, ad æternæ beatitudinis brauium tenditis, tanquam benedictionis filijs repromiſſum. Propter ꝙ dignè meruiſtis Apoſtolicis attolli fauoribus, & illius prærogatiua gratiæ communiri, per quam vobis commoda quietis accreſcant, veſtræque religionis ſtatus ad laudem diuini nominis augeatur. Clemens quoque ſextus in ipſius ordinis commendationem ijs verbis vſus eſt. Præſignis ordinis veſtri ſacra religio in agro dominico diuina diſpoſitione plantata, ex ſuæ inſtitutionis exordio per inſignium meritorum gratiam, & exemplaris vitæ doctrinam, vberes hactenus in vniuerſa Eccleſia honeſtatis & ſalutis fructus protulit & producit. Et ideo dignum & congruũ arbitramur, vt ordinem ipſum, perſonas, & loca eiuſdẽ oportunis muniamus prẹſidijs, & ſpecialib⁹ fauoribus attollamus.

Iob. 39. *Luc. 10.* *Ioan. 22.* *Clemẽs 6.*

Idem alijs in literis ſic Ordinem attollit. Ad fructus vberes, quos Cartuſiēſis ordo in agro militantis Eccleſiæ plantatus, dextera Domini velut arbor bona produxit hactenus & producit, conſiderationis noſtræ oculos extēdentes, & attendentes, quòd dicti Ordinis profeſſores mundo
Ioan.14. mortui, ſoli Chriſto (qui eſt vita) viuentes, pro vniuerſali fidelium ſalute inceſſanter ad Dominum preces fundūt, dignum ducimus, vt illa eos proſequamur prærogatiua fauoris, per quam eis ſubmoueamus ſcandala, & quietem etiam pro-
Innocentius 6. curemus. Innocentius VI. etiam Cartuſienſe ſtudium hoc eulogio decoraſſe legitur. Inter cunctos Religionis monaſticæ profeſſores, quibus veluti rutilantibus margaritis militans coruſcat Eccleſia, veſtri Cartuſienſis ordinis candidi Nizaræi ſplendore illuſtrant eximio Eccleſiam memoratam. Vitæ quidem munditia nitidi, feruore charitatis igniti, continentiæ cingulo lumbos ſuccincti, mundo mortui, Chriſto viuūt. Dignè igitur Ordinē ipſum & eius membra, (præſertim noſtram domum Vallis benedictionis de villa noua, dicti ordinis Auinionēſis Diocœſis, quam nuper inſpirante Domino fundari & conſtrui fecimus) Apoſtolicæ benedictionis dulcedine libenter & fauorabiliter præuenimus: vt dictæ domus nouę plantatio opportuni rore irrigata ſuffragij à noxijs authore Domino præſeruetur, & fœlicibus coaleſcere
Gregorius 11. valeat incrementis. Gregorius XI. Cartuſiani quoque propoſiti laudes reticere non potuit, ſed in eius exaltationem ita prorupit: Præſignis ordinis veſtri religio fœcunditate referta virtutum, & meritorum conſpicua ſanctitate, necnon & deuotionis ſynceritas, quam reuerenter & ſedulè

dulè erga nos, & Romanam exhibitis Eccleſiam, promerentur, vt vos Apoſtolici fauoris plenitudine proſequentes, vobis aſſiduè reddamur ad ad gratiam liberales. Bonifacius IX. Cartuſianæ Religionis præconijs, ex ſuo etiã aliquid addendum cenſuit, cùm inquit: Sacroſancta Romana Eccleſia Mater cunctorum fideliũ & magiſtra, in agro virtutum, veſtri ordinis (cui altiſſimus benedixit) & in decore ſanctæ Religionis, ſub qua mundanis abiectis illecebris deuotum ac ſedulum exhibetis Domino famulatum, exultat, & iubilat: prǽſertim dum proſpicit, quòd vos ad alta virtutum gradibus, per exercitiũ bonorum operum, & præclara ſanctitatis merita procedẽtes, trahitis ad Diuinæ maieſtatis obſequiũ alios per exempla, vitam ducendo pijſſimam, & frequenter diuinis laudibus, ex quibus diuinæ gloriæ maieſtas attollitur, deuotiſſimè inſiſtendo, & huic mundo mortui, ac Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt vita, viuentes pro vniuerſali ſalute fidelium, ad Dominũ preces funditis inceſſanter. Propter quæ eundem veſtrum ordinem, quem erga nos & prǽdictam Eccleſiam deuotionis claritate prǽlucere cõſpicimus, infra clauſtra noſtri pectoris paternis affectibus contemplantes, circa bonũ ſtatum ipſius ordinis feruentibus ſtudijs vigilamus. Quid plura? Si omnia Cartuſienſis ordinis tùm præconia, tùm priuilegia in ipſorum ſummorũ Pontificum literis contenta, quibus ordinem ipſum probarunt ac mirificè commendarunt, afferre vellem, grandi volumine opus eſſet. Addam nihilominùs, nõ ſatis fuiſſe ipſis Pontificibus Cartuſianum ordinẽ & laudibus & priuilegijs illuſtrem probatumq; oſtendere, niſi & opere ipſo hoc monſtrarent. Enim-

Bonifacius 9.

Multos ex Summis Pontificibus dom⁹ Cartuſiēſes fundaſſe.

uerò multi ex his domos Cartuſienſis ordinis fundaſſe atque dotaſſe leguntur. In quibus eſt Vrbanus quintus qui vna de præcipuis Eccleſijs Romæ ſcilicet Hieruſalem, quod ad ſanctam Crucem dicitur, ordini Cartuſiano contulit, in qua & cõuentus Cartuſianus extructus cernitur. Innocentius III. vnam quoq; domum eiuſdem ordinis in honorem B. Bartolomæi extrui fecit. Itidem Ioannes viceſimus ſecundus, domum Bonipaſſus ordinis prædicti fundauit ſuper Durentiam, in qua & ſepultus eſt. Inſuper Innocentius ſextus, Vallis benedictionis domum iuxta Auinionem in villa noua ædificauit, vbi & ſepulturā accepit. Aedificauerunt & alij Eccleſiæ prælati, principes quoque permulti, vtpotè Reges Franciæ, Angliæ, Boemiæ, Hungariæ, Arragoniæ, Ciliciæ, ſimiliter & Comites, Barones, alijq́ue viri illuſtres. Quod nunquā attentaſſent, niſi ordinem ipſum ſanctum, probatum atque confirmatum certò ſciuiſſent. Quòd ſi quiſpiam poſt hæc ipſum ordinem improbatum eſſe, vel hæſitabit, vel inficiatus fuerit, ſe prorſus mentis inopem & pertinacem oſtendet.

Varij quoq; Reges ac Principes eundem amplificarunt.

De 5. ſcilicet Doctorali.

Cæterùm doctoralem probationem ſubijciamus, hoc eſt, afferamus illuſtrium, peritorumq; virorum dicta præclara, quibus ordinem ipſum Cartuſianum laudibus ornauerunt, probatumq́ue eſſe glorioſè monſtrauerunt. Sanè Theologi, Iuriſperiti, Medici, Philoſophi, Summiſtę, Hiſtoriographi, Oratores, Poëtæ, omniumq; bonarū artiū Profeſſores, qui vel inuidiæ morbo, vel ignorantiæ cęcitate nō laborârunt, Cartuſianū ordinē multis laudibus affeciſſe non dubitantur. E quibus nōnullos decerpere duntaxat nobis certum eſt, ne ſi omnes afferre tentauerimus, vel oneri ſuc-

cumbamus, vel tædium pariamus. Itaq; primi prodeant in medium, qui de ſanctorum Patrum ac Theologorum grege fuerunt: quorum vnus ac præcipuus fuiſſe non dubitatur D. ille Bernardus Clareuallenſis, vir nunquam ſatis laudatus. Hunc enim Cartuſianos magno in pretio ſemper habuiſſe, eosq; laudibus extuliſſe, ſua ſcripta luculenter probant. E quibus, vt illa ad fratres de monte Dei epiſtola (cuius forſan titulus tibi ſuſpectus eſt) ſilentio nunc prætereatur, extant indubitatæ eius epiſtolæ, quibus luculenter conſtat, quanti fecerit, quantumq; probauerit Cartuſianos. Teſtis eſt inprimis illa, quę inter epiſtolas eius ponitur, 11. quam ad Guigonem, quintum maioris Cartuſiæ Priorem, aliosq; fratres dedit. Cuius ſalutatio hæc eſt. Inter Patres Reuerēdiſſimis, & inter amicos cariſſimis Guigonem Priori Cartuſienſi, cæterisq; Sanctis, qui cum eo ſunt, frater Bernardus de Clareuallę ſalutem æternam. Teſtatur & altera eiſdem miſſa, quæ inter epiſtolas 12. collocatur. Teſtantur & aliæ ad Bernardū Priorem Portarū ordinis Cartuſienſis, ad cuius preces pulcherrima cōmentaria in Cantica Canticorū Bernardus ipſe Clareuallenſis, edidit. In quibus omnibus videre eſt, quo amore, quo pretio, quibuſve laudibus Cartuſianos ſemper ſit proſecutus. Quod profectò tantus vir minimè feciſſet, ſi Cartuſianum negotium & ſanctū & probatū non ſenſiſſet. Sed alios proferamus. Dominus Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, Theologus celeberrimus, & inter cæteros maximè conſolatorius, multis in locis ſuorum probatiſſimorum ſcriptorum de Cartuſianis agens, eosque mirificè laudans atque defendens, inter cætera dicit in opuſculo

S. Bernardus ord. Cartuſ. miris extollit laudibus.

Epiſt. 11.

Epiſt. 12.

Epiſt. 135. 154.

contra impugnantes ordinem Cartuſianũ, eum eſſe planè confirmatum, & ſæpè vt patet(inquit) in pluribus priuilegijs,& ipſis ſtatutis. Et ſubiũgit. Tamen demus locum huic obiectioni,& ſub paucis verbis dicamus, ſufficere ad confirmationem cuiuſcunq; Religionis,collegij,ſeu congregationis, ſpiritalis vitæ ſanctitatem, hoc eſt, in ſeruitio Dei virtuoſam perſeuerantiam, abſque etiam approbatione Sedis Apoſtolicæ. Et hæc

1. Ioan. 2. eſt approbatio ſeu confirmatio inuiſibilis Spiritus ſancti,& ipſi⁹ vnctio quæ docet de omnibus.

Actor. 5. Et hoc eſt,quod dicitur Actuum quinto, *Si opus non eſt ex Deo, diſſoluetur.* Nec Eccleſia primitiua, imò iam per multos annos adulta,his confirmationibus & approbationibus vtebatur. Tandem Eccleſia videns confuſionem in Religionum multiplicatione, & hæreſum pullulatione,ſtrictiùs admouens manum tanquam mater ſollicita, reprobauit omnes Religiones Mendicantiũ, quatuor exceptis, Neque ampliùs aliqua religio inſtituetur, niſi approbatione Sedis Apoſtolicæ. De religionibus autem antiquis non legimus aliquam approbationem expreſſam Sedis Apoſtolicæ, ſed eorum vita ſancta, Eccleſia ſciente, & eis vt viris ſanctis & approbatis communicante,& multa & varia priuilegia concedente, erat

Antiquitas religionis Cartuſian. eorum plena confirmatio. Eſt autem Cartuſienſis ordo cæteris omnib⁹ antiquior, exceptis Benedicti & Auguſtini ordinibus. Fuit enim circa annos viginti ante ordinem Ciſtercienſem, & per centum triginta annos ante Prædicatores & Minores,cæteroſq; mendicantes. Hæc Ioan-

Petrus de Aliaco. Cardinal. nes Gerſon, Cuius & Præceptor Dominus Petrus de Aliaco Theologus eminẽtiſſimus & Epiſcopus Cameracenſis atque Cardinalis, in Cartuſia-

tuſianorum laudibus etiam verſatus fuiſſe dicitur. Alius quoque Petrus Bleſenſis dictus, ad quendam nouitium Cartuſianum ſcribens, eumque grauiſſimè increpans, qui vento quodam inſtabilitatis atque erroris ſpiritu agitatus, ſuſceptum ordinem deſerere volebat, Ordinem Cartuſianum multis laudibus extulit, inter cætera dicens : Ibi probatiſſimæ religionis eſt ſchola, ſummus ibi modeſtiæ vſus, morum regularitas, fraternitatis affectio, pax animi, omnium communicatio, mutua obſequia, diſciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis ſeruitus, hoſpitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, meditationis quies, & deuotio pſalmodiæ. Inſuper Nicolaus de Clamengijs Theologus admodùm eruditus, in Tractatu quem de fructu Heremi prænotauit, de Cartuſianis multa cum laude meminit. Sed & Arnoldus Boſtius Carmelita tanto affectu Cartuſianos eſt proſecutus, vt librum fecerit in eorum laudem pulcherrimum, quem de viris electis ſacri Ordinis Cartuſienſis prænotauit. In cuius prologo inter cætera hoc modo dicit: Plantatio Dei eſt, quæ vt vinea Domini Sabaoth præcelſa iam excreuit in immenſum, & quæ ſequuntur. Porrò vt de Iuriſconſultis agamus, Hoſtienſis in procemio Summæ ſuæ ait, Religioſos, ſpecialiter fratres Cartuſienſes, Euangelica Apoſtolicaque lege & dictis ſanctorum Patrum regi. Ioannes Andreæ (qui à Papa excellentiſſimus iuriſta, à Panormitano iuris Canonici ſpeculum, ab alijs verò fons canonum appellatur) in Nouella, de Cartuſianis multa cũ laude meminit, videlicet de Decimis li. II. vbi ita dicit: Ordinẽ Cartuſiẽſem & Ciſtercienſem

Petrus Bleſenſis.

Nicolaus de Clamengijs.

Arnoldus Boſtius Carmelita.

Hoſtiẽſis Iuriſconſultus.

Ioannes Andrea.

ſem multis ſpecialibus beneficijs ab olim ditauit & honorauit Eccleſia. Vbi & domũ Cartuſienſis ordinis prope Bononiam ſe fundaſſe gloriatur. Et in capitulo, Conſiliũ de obſer. Ieiu. tractatũ ab Arnoldo de villa noua, pro Cartuſiani ordinis defenſione confectũ, contra Cartuſienſium obtrectatores ſummat. Alijs deniq; in locis de Cartuſianis verba faciẽs, eos probat, laudat, tueturq; vehementer. Ad hæc Ioannes de Liguerijs Iuriſperitus præſtantiſſimus (quẽ refert Panor. de foro competenti, cum contingat) multi facit Cartuſianos. Nam & probare volens correctionem monachorum ad Abbatem ſeu ſuperiorem pertinere, de Cartuſianis pecurlariter meminit. Cęterùm vt de Medicis agamus, reticẽtes tamen quòd Truſianus inſignis Medicus (qui & plùs quàm Commentator à medicis nuncupatur) re ipſa Cartuſianum ordinem probauit: afferamus Arnoldum de villa noua, omnium qui ſuo tempore floruerũt medicorũ facilè principem, quẽ & ipſe Ioannes Andreæ ſummum medicum vocat. Hic enim quanto in pretio habuerit, quãq; probatum indubitãter reputarit ordinem Cartuſianum, luculenter ſuis ſcriptis oſtendit, quibus ordinẽ ipſum non modò laudauit atq; probauit, ſed & contra omnes, qui præſertim ipſum de abſtinentia carnium impugnabant, viriliter ſubtiliterq; defendit. Adde quòd Summiſtæ etiam de Cartuſianis multa cum laude ſunt proſecuti. Inprimis Dominus Antoninus, tertia parte Summæ ſuæ, titulo 16. de Cartuſianis mentionem facit, dicens eos haberi in magna reuerentia ab Eccleſia. Angelus quoque in ſumma ſua Cartuſianos laudat, eoſque tuetur. Hiſtoriographi quoque ſeu Scriptores illi, qui alio-

Ioannes de Liguerijs.

Arnoldus de villa noua Medicus.

aliorum geſta ſcriptis repoſuerunt, de Cartuſianis mentionem faciunt. In quibus eſt Vincentius hiſtorialis libro 29. qui de Cartuſienſibus agens, multis præconiorum titulis eos exornat. Similiter Platina de Vrbano ſecundo agens, Cartuſienſis ordinis meminit. Itidem Gaguinus Ludouici Groſſi Francorum Regis geſta referens, ait: Cartuſienſes duriſſimam auſteritatem & parſimoniam eo tempore, ſuæ ſanctitatis lumen exhibuiſſe. Quibus tamen verbis, ne in errorem traharis, ſanè intellige, Cartuſianum ordinem tunc non cœpiſſe, ſed incrementum famamque maiorem accepiſſe. Ad hæc Supplementum Chronicorum, Faſciculus temporum, Epitome Chronicorum, alijque Hiſtorici, de Cartuſianis magna cum gloria meminiſſe legũtur. Denique Oratores, Poetæ, alijq; magnæ conditionis viri, etiam Cartuſianos multis laudibus affecerunt. Inter quos eſt Franciſcus Petrarcha: Similiter Abbas Trithemius, qui in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, de Cartuſianis multis in locis commemorat. Itidem Sebaſtianus Brant, qui de laude Brunonis, & exornatione Cartuſienſis ordinis carmen Sapphicum peruenuſtum edidit. Sunt alij denique permulti, quorum nec nomina quidem nobis in præſentiarum occurrunt, qui in Cartuſianas laudes certaſſe videtur. Eos autem attulimus, qui ſua quaſi ſponte ſe nobis ingeſſerunt. Sed iam addenda eſt nouiſſima probatio, quam rationalem diximus, hoc eſt, ratione probandum eſt. Cartuſianum ordinẽ meritò probatum & eſſe, & reputari debere. Inprimis ordo ille probatus cenſeri debet, qui à Superis probatus fuiſſe optimo iure creditur. Sufficit enim ad probationẽ ſtatus, huiuſmodi probatio.

Vincent. hiſt. l. 29.

Platina.

Gaguinus.

Frãciſcus Petrarcha

Ioan. Trithemius.

Sebaſtianus Brãt.

De 6. & nouiſſima ord. Cart. probatiõe, ſcilicet rationali.

Quid enim facit probatio humana, ſi non adſit diuina? At diuinitùs probatum eſſe Cartuſianum ordinem, exempla ſignaque multa (de quibus ſuperiùs dictum eſt) luculenter monſtrârunt. Deinde probata illa vita dubiò procul iudicari debet, quæ probatiſſimæ vitæ inſtauratrix eſt. Cùm igitur ſatis ſit oſtenſum, Cartuſianam vitam anachoreticæ vitæ (quæ admodum probata ſemper fuit) optimè reparatricem eſſe, haud dubiè probata exiſtimari debet. Porrò ſtatus ille probatus citra dubitationem putandus eſt, qui ab innumeris penè ſummis pontificibus probatiſque patribus & probatus, & miris laudibus multiſque priuilegijs, ac demum magnis beneficijs inſignitus ac exornatus legitur: Sed ita eſſe de Cartuſiano ſtatu, iam ſatis ſuperq; docuimus. Inſuper negotium illud extra controuerſiã confirmatum eſt reputãdum, quod rationi conſentaneum eſt, & lõgiſſimo tempore durauit. Nam,
Actor. 5. vt inquit Gamaliel Actuum 5. *Si eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere.* At verò negotium Cartuſianum prorſus rationi conſonum eſt, & longiſſimo quoque tempore in ſua integritate perſeuerans, nullum adhuc diſſidium ſenſit. Igitur probatum omninò putari debet. Neq; verò dicimus, propter ſolam temporis diuturnitatem ac perſeuerantiam negotium aliquod probandũ eſſe, cùm multa (prô dolor) inepta nefariaq; longiſſimis interdum temporibus durauerint: ſed vbi diuturna perſeuerantia, pietas, & ratio ſimul coëunt: profectò conficiunt, negotium aliquod probatum cenſeri debere; quod in propoſito luculenter conſtat. Ad hæc ſtatus ille haud dubiè probatus cenſeri debet, in quo & vitam, & ter-
minum

minum vitæ egerunt viri probati, quorum & ſanctitas etiam mirandis ſignis patefacta eſt. Sed ita eſt de ſtatu Cartuſiano, vtpotè in quo viri ſancti atque inſignes vixerunt, quod ex ſequentibus manifeſtum euadet. Denique propoſitum illud certam probationis opinionem meretur, quæ regulam ſui directiuã optimè probatam habet. At ita eſſe de propoſito Cartuſiano manifeſtum erit, cùm probatum fuerit, regulam eis probatã eſſe: quod ſequenti capite facere certum eſt. Quibus animaduerſis, ſatis mirari quorundam inſaniam non poſſum, qui pertinaciter ac palàm aſſerere non verentur, Cartuſianum ordinem probatum non eſſe: cùm tamen nullus alius æquè probatus aut certè probatior inueniri poſſit. Sed horum impiam ridiculamque temeritatem miſſam faciẽtes, de Cartuſiana regula proſequamur.

CAPVT III.

Præmiſſa regulæ definitione, probatur primo, Cartuſianos regulam habere, eamq; probatam. Deinde cur nihilominus regulæ nomine vſi non ſint. Deniq; cur nullam regularum illarum, quæ paſſim probatæ dicuntur, acceperunt.

OBLOCVTOR.

VIx riſum cohibere poſſim, cùm nouum apertumque mendacium à te excogitatum audio. Quis enim vnquam audiuit Cartuſianos regulam habere? Imò verò quis neſcit, eos nulla vnquam regula ſeu lege probata vſos fuiſſe? At verò ne duntaxat ridendo, ſed etiam rationibus agendo, quod cœpi conficiam: inprimis iuuat probare, Cartuſianis nullam regulam eſſe. Siquidem Cartuſiani ipſi conſuetudinibus ac ſtatutis reguntur atque vtuntur. At verò ſtatuta ipſa ſanè Re-

&, inceſſanter ſupernæ meditationi propoſuérunt vacare. Vnde dignum eſt & conueniens, & conſentaneum rationi, vt in tam ſancto, & pio propoſito Pontificalibus adiuuentur ſtudijs, & neceſſarijs ac opportunis foueãtur auxilijs. Poſt
Lucius 3. Papa. Alexandrum tertium, Lucius tertius etiam ſtatum ipſum laudaſſe hoc pacto reperitur. Domũ Cartuſienſis heremi, in qua diuino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio cõmunimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo heremiticæ vitę, qui ſecundum Deum in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur.
Clemens 3. Poſt Lucium tertium, Clemens 3. in Cartuſianorum quoque laudibus ita verſatus eſt. Inter virtutum aromata, & ſanctorum fragrãtiam ſtudiorum, opinionis veſtræ balſamus ſuo nobis odore diſcernitur. Qui cùm ſe aſperioribus inſtitutis à mundana ſeparet vanitate, & præclara reſplẽdeat gloria meritorum, nobis eſt ampliùs honorandus. Prouidendum quoque diligentiùs eſt, & cauendum, ne quietem ſanctam improbitas alicuius valeat conturbare. Poſt Clementem
Cœleſtinus 3. tertium, Cœleſtinus tertius etiam Cartuſianos ipſos huiuſmodi laudibus extulit. Paci & tranquillitati veſtræ tantò propenſius prouidere volentes, quãtò arctiùs diuinis eſtis obſequijs mãcipati, & in cõtemplationis arce procul à terrenorum tumultu ſemoti, piæ poſtulationi veſtræ faciliùs annuimus, & fauorem Apoſtolicum libẽtiùs impertimur. Inde eſt, quòd (vt inſtituta veſtri ordinis perpetuam habeãt firmitatem, prout approbata ſunt, & à bene vtentibus obſeruata) rata in poſterum fore decernimus, & autho-

ritate

ritate qua fungimur confirmamus. Poſt Cœleſtinum tertium, etiam Innocentius tertius ita religionem Cartuſienſem collaudat. Cùm vos per Dei gratiam multa præemineatis gloria meritorum, & vitam ſolitariam eligentes diuinæ contemplationi arctiùs intendatis, ad id nos bonus odor veſtræ religionis induxit, vt communi & ſpeciali debito, quieti veſtræ debeamus intendere, & iura veſtra ſummoperè conſeruare. *Innocentius 3.*
Poſt Innocentium tertium, Honorius tertius etiam Epiſcopus ſcribens, Cartuſienſes hoc modo commendaſſe traditur. Cùm dilecti filij fratres Cartuſienſis ordinis acceptis pennis columbæ in montis ſolitudinem euolârint, illicq; pro ſuis gemant & aliorum peccatis, in ara cordis mactatis carnalibus deſiderijs, holocauſtum offerentes Domino ſemetipſos, ne pedes quos lauerant, cogantur iterum inquinare. Porrò Alexander quartus, his præconijs Cartuſianos affeciſſe dicitur: Cœleſtis (inquit) amor patriæ mentes veſtras ſic allexiſſe perſpicitur, vt quaſi hoc ſolùm delectationem vobis tribuat, quod diuinæ voluntati ſit placitum, & ſalutem profetat animarum: Procedit ex hoc, quòd nos veſtris pijs petitionibus fauorem largiri beneuolum delectantes, maximè cùm ex Apoſtolici cura teneamur officij, circa religionis augmentum attenti & vigiles inueniri. Idem quoque alijs in literis Cartuſianum ſtatum ita extollit: Amictus lumine ſicut veſtimento, Dei filius Dominus IESVS Chriſtus ſuam Sacroſanctam Eccleſiam, quaſi tot videtur illuſtraſſe luminibus, quot in ea conſtituit gradus, & ordines virtutum inſignijs, & cultus diuini ſtudio refulgentes. Inter perſonas ſiquidem alias, quas in laudem ſui no- *Honorius 3.* *Alexander 4.*

retroactis temporibus adiecit plurimùm ordo veſter, à ſuis fundatoribus viris ſpiritualibus, & tanquàm adeps à carne penitus ſeparatis magno pariter & exacto conſilio circunciſus: qui ab hominum ſegregati conſortijs, & ad vitæ ſubſidia neceſſaria ſatis paucis contenti, aquilarum more nidum ſuum in arduis poſuerunt, in præruptis ſilicibus, & inacceſſis rupibus habitantes, deliciarum hortum, ſqualentis heremi ſolitudinem arbitrari: vbi lectionibus, orationibus, & contemplationi vacantes, ſollicitudine Marthæ ſepoſita, ſubſederunt ad pedes Domini cum Maria. Inſuper Ioannes 22. ipſum tali laude ornaſſe comperitur. Actus veſtros in regis æterni beneplacito dirigentes, exercitio virtutum cultui religionis intenditis, & per deuotarum orationum inſtantiam ſalutem quæritis animarum. Sicque propitiationem cœleſtis gratiæ promerentes, ad æternæ beatitudinis brauium tenditis, tanquam benedictionis filijs repromiſſum. Propter ꝙ dignè meruiſtis Apoſtolicis attolli fauoribus, & illius prærogatiua gratiæ communiri, per quam vobis commoda quietis accreſcant, veſtræque religionis ſtatus ad laudem diuini nominis augeatur. Clemens quoque ſextus in ipſius ordinis commendationem ijs verbis vſus eſt. Præſignis ordinis veſtri ſacra religio in agro dominico diuina diſpoſitione plantata, ex ſuæ inſtitutionis exordio per inſignium meritorum gratiam, & exemplaris vitæ doctrinam, vberes hactenus in vniuerſa Eccleſia honeſtatis & ſalutis fructus protulit & producit. Et ideo dignum & congruũ arbitramur, vt ordinem ipſum, perſonas, & loca eiuſdẽ oportunis muniamus prę́ſidijs, & ſpecialibꝰ fauoribus attollamus.

Iob. 39.
Luc. 10.
Ioan. 22.
Clemẽs 6.

Idem alijs in literis ſic Ordinem attollit. Ad fructus vberes, quos Cartuſiēſis ordo in agro militantis Eccleſiæ plantatus, dextera Domini velut arbor bona produxit hactenus & producit, conſiderationis noſtræ oculos extēdentes, & attendentes, quòd dicti Ordinis profeſſores mundo
Ioan.14. mortui, ſoli Chriſto (qui eſt vita) viuentes, pro vniuerſali fidelium ſalute inceſſanter ad Dominum preces fundūt, dignum ducimus, vt illa eos proſequamur prærogatiua fauoris, per quam eis ſubmoueamus ſcandala, & quietem etiam procuremus. Innocentius VI. etiam Cartuſienſe
Innocentius 6. ſtudium hoc eulogio decoraſſe legitur. Inter cunctos Religionis monaſticæ profeſſores, quibus veluti rutilantibus margaritis militans coruſcat Eccleſia, veſtri Cartuſienſis ordinis candidi Nizaræi ſplendore illuſtrant eximio Eccleſiam memoratam. Vitæ quidem munditia nitidi, feruore charitatis igniti, continentiæ cingulo lumbos ſuccincti, mundo mortui, Chriſto viuūt. Dignè igitur Ordinē ipſum & eius membra, (præſertim noſtram domum Vallis benedictionis de villa noua, dicti ordinis Auinionēſis Diocœſis, quam nuper inſpirante Domino fundari & conſtrui fecimus) Apoſtolicæ benedictionis dulcedine libenter & fauorabiliter præuenimus: vt dictæ domus nouę plantatio opportuni rore irrigata ſuffragij à noxijs authore Domino præſeruetur, & fœlicibus coaleſcere valeat incrementis. Gregorius XI. Cartuſiani
Gregorius 11. quoque propoſiti laudes reticere non potuit, ſed in eius exaltationem ita prorupit: Præſignis ordinis veſtri religio fœcunditate referta virtutum, & meritorum conſpicua ſanctitate, necnon & deuotionis ſynceritas, quam reuerenter & ſedulè

dulè erga nos,&Romanam exhibitis Eccleſiam, promerentur,vt vos Apoſtolici fauoris plenitudine proſequentes, vobis aſſiduè reddamur ad ad gratiam liberales.Bonifacius I X. Cartuſianæ Religionis præconijs,ex ſuo etiã aliquid addendum cenſuit, cùm inquit: Sacroſancta Romana Eccleſia Mater cunctorum fideliũ & magiſtra, in agro virtutum, veſtri ordinis (cui altiſſimus benedixit) & in decore ſanctæ Religionis, ſub qua mundanis abiectis illecebris deuotum ac ſedulum exhibetis Domino famulatum, exultat, & iubilat:pręſertim dum proſpicit,quòd vos ad alta virtutum gradibus, per exercitiũ bonorum operum,& præclara ſanctitatis merita procedẽtes, trahitis ad Diuinæ maieſtatis obſequiũ alios per exempla, vitam ducendo pijſſimam, & frequenter diuinis laudibus,ex quibus diuinæ gloriæ maieſtas attollitur, deuotiſſimè inſiſtendo, & huic mundo mortui, ac Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt vita, viuentes pro vniuerſali ſalute fidelium,ad Dominũ preces funditis inceſſanter.Propter quæ eundem veſtrum ordinem, quem erga nos & prędictam Eccleſiam deuotionis claritate pręlucere cõſpicimus, infra clauſtra noſtri pectoris paternis affectibus contemplantes,circa bonũ ſtatum ipſius ordinis feruentibus ſtudijs vigilamus. Quid plura? Si omnia Cartuſienſis ordinis tùm præconia, tùm priuilegia in ipſorum ſummorũ Pontificum literis contenta, quibus ordinem ipſum probarunt ac mirificè commendarunt,afferre vellem,grandi volumine opus eſſet.Addam nihilominùs, nõ ſatis fuiſſe ipſis Pontificibus Cartuſianum ordinẽ & laudibus & priuilegijs illuſtrem probatumq; oſtendere,niſi & opere ipſo hoc monſtrarent.Enim-

Bonifacius 9.

Multos ex Summis Pontificibus dom⁹ Cartuſienſes fundaſſe.

uerò multi ex his domos Cartuſienſis ordinis fundaſſe atque dotaſſe leguntur. In quibus eſt Vrbanus quintus qui vna de præcipuis Eccleſijs Romæ ſcilicet Hieruſalem, quod ad ſanctam Crucem dicitur, ordini Cartuſiano contulit, in qua & cõuentus Cartuſianus extructus cernitur. Innocentius III. vnam quoq; domum eiuſdem ordinis in honorem B. Bartolomæi extrui fecit. Itidem Ioannes viceſimus ſecundus, domum Bonipaſſus ordinis prædicti fundauit ſuper Durentiam, in qua & ſepultus eſt. Inſuper Innocentius ſextus, Vallis benedictionis domum iuxta Auinionem in villa noua ædificauit, vbi & ſepulturã accepit. Aedificauerunt & alij Eccleſiæ prælati, principes quoque permulti, vtpotè Reges Franciæ, Angliæ, Boemiæ, Hungariæ, Aragoniæ, Ciliciæ, ſimiliter & Comites, Barones, alijque viri illuſtres. Quod nunquã attentaſſent, niſi ordinem ipſum ſanctum, probatum atque confirmatum certò ſciuiſſent. Quòd ſi quiſpiam poſt hæc ipſum ordinem improbatum eſſe, vel hæſitabit, vel inficiatus fuerit, ſe prorſus mentis inopem & pertinacem oſtendet. Cæterùm doctoralem probationem ſubijciamus, hoc eſt, afferamus illuſtrium, peritorumq; virorum dicta præclara, quibus ordinem ipſum Cartuſianum laudibus ornauerunt, probatumque eſſe glorioſè monſtrauerunt. Sanè Theologi, Iuriſperiti, Medici, Philoſophi, Summiſtę, Hiſtoriographi, Oratores, Poëtæ, omniumq; bonarũ artiũ Profeſſores, qui vel inuidiæ morbo, vel ignorantiæ cęcitate nõ laborârunt, Cartuſianũ ordinẽ multis laudibus affeciſſe non dubitantur. E quibus nõnullos decerpere duntaxat nobis certum eſt, ne ſi omnes afferre tentauerimus, vel oneri ſuc-

Varij quoq; Reges ac Principes eundem amplificarunt.

De 5. ſcilicet Doctorali.

cum-

cumbamus, vel tædium pariamus. Itaq; primi prodeant in medium, qui de ſanctorum Patrum ac Theologorum grege fuerunt: quorum vnus ac præcipuus fuiſſe non dubitatur D. ille Bernardus Clareuallenſis, vir nunquam ſatis laudatus. Hunc enim Cartuſianos magno in pretio ſemper habuiſſe, eosq; laudibus extuliſſe, ſua ſcripta luculenter probant. E quibus, vt illa ad fratres de monte Dei epiſtola (cuius forſan titulus tibi ſuſpectus eſt) ſilentio nunc prætereatur, extant indubitatæ eius epiſtolæ, quibus luculenter conſtat, quanti fecerit, quantumq; probauerit Cartuſianos. Teſtis eſt inprimis illa, quę inter epiſtolas eius ponitur, 11. quam ad Guigonem, quintum maioris Cartuſiæ Priorem, aliosq; fratres dedit. Cuius ſalutatio hæc eſt. Inter Patres Reuerēdiſſimis, & inter amicos cariſſimis Guigonem Priori Cartuſienſi, cæteriſq; Sanctis, qui cum eo ſunt, frater Bernardus de Clareuallę ſalutem æternam. Teſtatur & altera eiſdem miſſa, quæ inter epiſtolas 12. collocatur. Teſtantur & aliæ ad Bernardū Priorem Portarū ordinis Cartuſienſis, ad cuius preces pulcherrima cōmentaria in Cantica Canticorū Bernardus ipſe Clareuallenſis, edidit. In quibus omnibus videre eſt, quo amore, quo pretio, quibuſve laudibus Cartuſianos ſemper ſit proſecutus. Quod profectò tantus vir minimè feciſſet, ſi Cartuſianum negotium & ſanctū & probatū non ſenſiſſet. Sed alios proferamus. Dominus Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, Theologus celeberrimus, & inter cæteros maximè conſolatorius, multis in locis ſuorum probatiſſimorum ſcriptorum de Cartuſianis agens, eosque mirificè laudans atque defendens, inter cætera dicit in opuſculo

S. Bernardus ord. Cartuſ. mirus extollit laudibus.

Epiſt. 11.

Epiſt. 12.

Epiſt. 135. 154.

contra impugnantes ordinem Cartuſianũ, eum eſſe planè confirmatum, & ſæpè vt patet (inquit) in pluribus priuilegijs, & ipſis ſtatutis. Et ſubiũgit. Tamen demus locum huic obiectioni, & ſub paucis verbis dicamus, ſufficere ad confirmationem cuiuſcunq; Religionis, collegij, ſeu congregationis, ſpiritalis vitæ ſanctitatem, hoc eſt, in ſeruitio Dei virtuoſam perſeuerantiam, abſque etiam approbatione Sedis Apoſtolicæ. Et hæc

1. Ioan. 2. eſt approbatio ſeu confirmatio inuiſibilis Spiritus ſancti, & ipſi⁹ vnctio quæ docet de omnibus.

Actor. 5. Et hoc eſt, quod dicitur Actuum quinto, *Si opus non eſt ex Deo, diſſoluetur.* Nec Eccleſia primitiua, imò iam per multos annos adulta, his confirmationibus & approbationibus vtebatur. Tandem Eccleſia videns confuſionem in Religionum multiplicatione, & hæreſum pullulatione, ſtrictiùs admouens manum tanquam mater ſollicita, reprobauit omnes Religiones Mendicantiũ, quatuor exceptis. Neque ampliùs aliqua religio inſtituetur, niſi approbatione Sedis Apoſtolicæ. De religionibus autem antiquis non legimus aliquam approbationem expreſſam Sedis Apoſtolicæ, ſed eorum vita ſancta, Eccleſia ſciente, & eis vt viris ſanctis & approbatis communicante, & multa & varia priuilegia concedente, erat

Antiquitas religiõis Cartuſian. eorum plena confirmatio. Eſt autem Cartuſienſis ordo cæteris omnib⁹ antiquior, exceptis Benedicti & Auguſtini ordinibus. Fuit enim circa annos viginti ante ordinem Ciſtercienſem, & per centum triginta annos ante Prædicatores & Minores, cæteroſq; mendicantes. Hæc Ioan-

Petrus de Aliaco. Cardinal. nes Gerſon, Cuius & Præceptor Dominus Petrus de Aliaco Theologus eminẽtiſſimus & Epiſcopus Cameracenſis atque Cardinalis, in Cartuſia-

tuſianorum laudibus etiam verſatus fuiſſe dicitur. Alius quoque Petrus Bleſenſis dictus, ad quendam nouitium Cartuſianum ſcribens, eumque grauiſſimè increpans, qui vento quodam inſtabilitatis atque erroris ſpiritu agitatus, ſuſceptum ordinem deſerere volebat, Ordinem Cartuſianum multis laudibus extulit, inter cætera dicens: Ibi probatiſſimæ religionis eſt ſchola, ſummus ibi modeſtiæ vſus, morum regularitas, fraternitatis affectio, pax animi, omnium communicatio, mutua obſequia, diſciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis ſeruitus, hoſpitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, meditationis quies, & deuotio pſalmodiæ. Inſuper Nicolaus de Clamengijs Theologus admodùm eruditus, in Tractatu quem de fructu Heremi prænotauit, de Cartuſianis multa cum laude meminit. Sed & Arnoldus Boſtius Carmelita tanto affectu Cartuſianos eſt proſecutus, vt librum fecerit in eorum laudem pulcherrimum, quem de viris electis ſacri Ordinis Cartuſienſis prænotauit. In cuius prologo inter cætera hoc modo dicit: Plantatio Dei eſt, quæ vt vinea Domini Sabaoth præcelſa iam excreuit in immenſum, & quæ ſequuntur. Porrò vt de Iuriſconſultis agamus, Hoſtienſis in procemio Summæ ſuæ ait, Religioſos, ſpecialiter fratres Cartuſienſes, Euangelica Apoſtolicaque lege & dictis ſanctorum Patrum regi. Ioannes Andreæ (qui à Papa excellentiſſimus iuriſta, à Panormitano iuris Canonici ſpeculum, ab alijs verò fons canonum appellatur) in Nouella, de Cartuſianis multa cũ laude meminit, videlicet de Decimis li.II. vbi ita dicit: Ordinẽ Cartuſiẽſem & Ciſtercienſem

Petrus Bleſenſis.

Nicolaus de Clamengijs.

Arnoldus Boſtius Carmelita.

Hoſtiẽſis Iuriſconſultus.

Ioannes Andrea.

ſem multis ſpecialibus beneficijs ab olim ditauit & honorauit Eccleſia. Vbi & domũ Cartuſienſis ordinis prope Bononiam ſe fundaſſe gloriatur. Et in capitulo, Conſiliũ de obſer. Ieiu. tractatũ ab Arnoldo de villa noua, pro Cartuſiani ordinis defenſione confectũ, contra Cartuſienſium obtrectatores ſummat. Alijs deniq; in locis de Cartuſianis verba faciẽs, eos probat, laudat, tueturq; vehementer. Ad hæc Ioannes de Liguerijs

Ioannes de Liguerijs.

Iuriſperitus præſtantiſſimus (quẽ refert Panor. de foro competenti, cum contingat) multi facit Cartuſianos. Nam & probare volens correctionem monachorum ad Abbatem ſeu ſuperiorem pertinere, de Cartuſianis peculariter meminit. Cęterùm vt de Medicis agamus, reticẽtes tamen quòd Truſianus inſignis Medicus (qui & plùs quàm Commentator à medicis nuncupatur) re ipſa Cartuſianum ordinem probauit: afferamus

Arnoldus de villa noua Medicus.

Arnoldum de villa noua, omnium qui ſuo tempore floruerũt medicorũ facilè principem, quẽ & ipſe Ioannes Andreæ ſummum medicum vocat. Hic enim quanto in pretio habuerit, quãq; probatum indubitàter reputarit ordinem Cartuſianum, luculenter ſuis ſcriptis oſtendit, quibus ordinẽ ipſum non modò laudauit atq; probauit, ſed & contra omnes, qui præſertim ipſum de abſtinentia carnium impugnabant, viriliter ſubtiliterq; defendit. Adde quòd Summiſtæ etiam de Cartuſianis multa cum laude ſunt proſecuti. Inprimis Dominus Antoninus, tertia parte Summæ ſuæ, titulo 16. de Cartuſianis mentionem facit, dicens eos haberi in magna reuerentia ab Eccleſia. Angelus quoque in ſumma ſua Cartuſianos laudat, eoſque tuetur. Hiſtoriographi quoque ſeu Scriptores illi, qui alio-

aliorum geſta ſcriptis repoſuerunt, de Cartuſianis mentionem faciunt. In quibus eſt Vincentius hiſtorialis libro 29. qui de Cartuſienſibus agens, multis præconiorum titulis eos exornat. Similiter Platina de Vrbano ſecundo agens, Cartuſienſis ordinis meminit. Itidem Gaguinus Ludouici Groſſi Francorum Regis geſta referens, ait: Cartuſienſes duriſſimam auſteritatem & parſimoniam eo tempore, ſuæ ſanctitatis lumen exhibuiſſe. Quibus tamen verbis, ne in errorem traharis, ſanè intellige, Cartuſianum ordinem tunc non cœpiſſe, ſed incrementum famamque maiorem accepiſſe. Ad hæc Supplementum Chronicorum, Faſciculus temporum, Epitome Chronicorum, alijque Hiſtorici, de Cartuſianis magna cum gloria meminiſſe legũtur. Denique Oratores, Poetæ, alijq; magnæ conditionis viri, etiam Cartuſianos multis laudibus affecerunt. Inter quos eſt Franciſcus Petrarcha: Similiter Abbas Trithemius, qui in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, de Cartuſianis multis in locis commemorat. Itidem Sebaſtianus Brant, qui de laude Brunonis, & exornatione Cartuſienſis ordinis carmen Sapphicum peruenuſtum edidit. Sunt alij denique permulti, quorum nec nomina quidem nobis in præſentiarum occurrunt, qui in Cartuſianas laudes certaſſe videtur. Eos autem attulimus, qui ſua quaſi ſponte ſe nobis ingeſſerunt. Sed iam addenda eſt nouiſſima probatio, quam rationalem diximus, hoc eſt, ratione probandum eſt. Cartuſianum ordinẽ meritò probatum & eſſe, & reputari debere. Inprimis ordo ille probatus cenſeri debet, qui à Superis probatus fuiſſe optimo iure creditur. Sufficit enim ad probationẽ ſtatus, huiuſmodi probatio.

Vincent. hiſt. l. 29.

Platina.

Gaguinus.

Frãciſcus Petrarcha

Ioan. Trithemius.

Sebaſtianus Brãt.

De 6. & nouiſſima ord. Cart. probatiõe, ſcilicet rationali.

minum vitæ egerunt viri probati, quorum & ſanctitas etiam mirandis ſignis patefacta eſt. Sed ita eſt de ſtatu Cartuſiano, vtpotè in quo viri ſancti atque inſignes vixerunt, quod ex ſequentibus manifeſtum euadet. Denique propoſitum illud certam probationis opinionem meretur, quod regulam ſui directiuã optimè probatam habet. At ita eſſe de propoſito Cartuſiano manifeſtum erit, cùm probatum fuerit, regulam eis probatã eſſe: quod ſequenti capite facere certum eſt. Quibus animaduerſis, ſatis mirari quorundam inſaniam non poſſum, qui pertinaciter ac palàm aſſerere non verentur, Cartuſianum ordinem probatum non eſſe: cùm tamen nullus alius æquè probatus aut certè probatior inueniri poſſit. Sed horum impiam ridiculamque temeritatem miſſam faciẽtes, de Cartuſiana regula proſequamur.

CAPVT III.

Præmiſſa regulæ definitione, probatur primo, Cartuſianos regulam habere, eamq; probatam. Deinde cur nihilominus regulæ nomine vſi non ſint. Deniq; cur nullam regularum illarum, quæ paſſim probatæ dicuntur, acceperunt.

Oblocvtor.

VIx riſum cohibere poſſim, cùm nouum apertumque mendacium à te excogitatum audio. Quis enim vnquam audiuit Cartuſianos regulam habere? Imò verò quis neſcit, eos nulla vnquam regula ſeu lege probata vſos fuiſſe? At verò ne duntaxat ridendo, ſed etiam rationibus agendo, quod cœpi conficiam: inprimis iuuat probare, Cartuſianis nullam regulam eſſe. Siquidem Cartuſiani ipſi conſuetudinibus ac ſtatutis reguntur atque vtuntur. At verò ſtatuta ipſa ſanè Re-

nè Regula dici non poſſunt: tùm quòd inter regulam & ſtatuta multum diſcrimen eſſe non dubitatur: tùm quòd nec definitio, nec interpretatio regulæ ſtatutis illis conueniat: tùm etiã quod nec ipſum quoque regulæ nomen Cartuſianis in ſtatutis inueniatur. Sed quomodo poſſet, cùm glorientur Cartuſiani, ſe nullam præcedentium Patrum regulam accepiſſe? Porrò ſi regulæ nuncupatio Cartuſianis ſtatutis tribueretur, illa tamen probata dici non poſſet, cùm quatuor paſſim regulæ duntaxat probatæ eſſe ferantur, ſcilicet Baſilij, Auguſtini, Benedicti, & Franciſci. Cũ igitur ſub nulla earum lex Cartuſianorum contineatur, probata dici nõ poteſt. Deniq; lex Cartuſiana à nullo vnquam probata fuiſſe reperitur. Nec iniuria quidem. Eſt enim planè indiſcreta ac inhumana. Pet. Propoſitum negotiũ aggrediendo primùm oſtendere oportet, Cartuſianos veram regulam habere. Deinde regulam ipſam verã probatamq; eſſe. Inſuper, cur nihilominùs Cartuſiani ipſi regulæ nomine vſi non ſint. Poſtremò cur nullam quatuor regularum, quæ paſſim probatę dicuntur, ſuſceperint. Primum itaq; adoriẽtes, ante omnia ſupponamus, quid ſibi regula velit. Regula, ſicut & pleraque alia vocabula, duplicem ſignificãtiam habet, ſcilicet primariam, & ſecundariam, ſiue tranſſumptiuam. Igitur primo modo ſumpta, norma eſt, qua lineæ diriguntur: hoc eſt, inſtrumentum quoddã materiale, quo ſcriptores, latomi, fabri, alijq́ue varij opifices pro ſuis operibus dirigendis vtuntur. Quam ſignificantiam, vtpotè noſtro propoſito minimè conſentaneam, prętereamus. Altero verò modo regula ſi capiatur latiſſimè, omne illud eſt, quo non in lineis, ſed in rebus alijs tanquam forma

Regula quid ſit et quotuplex

forma quadam dirigimur ſeu regulamur: quomodo ij qui benè viuunt, ſimiliter qui alijs præſunt, aliorum regula eſſe dicuntur: quomodo & gratia Dei ab Apoſtolo regula dicitur, cùm inquit ad Corinthios 10. *Nos autem non in immenſum gloriamur, ſed ſecundùm menſuram regulæ.* Vbi ſanctus Thomas ait. Menſura regulæ, eſt quantitas gratiæ, per quam benè regulamur, ne à Deo deuiemus. Idemque amplius doctrinam ſuam regulam vocat, cùm ait: *Quicunque hanc regulam ſectati fuerint, pax ſuper illos & miſericordia,* ad Galatas vltimo. Quo etiam modo omnis præceptio, forma, lex, conſtitutio, conſuetudo, ſeu documentum quo dirigimur, atque regulamur, regula dici poteſt. At verò magis vſitatè ſumendo regulam, documentum quoddam eſt, quo in ſcientijs, artibus, atque moribus dirigimur. Documētum dico, vnum vel plura, partiale, aut totale. Hoc modo regula ab Iſidoro capi videtur, qui eam ita interpretatur. Regula, inquit, dicitur, eò quòd rectè ducit, nec aliquid allorſum trahit. Alij dixerunt, regulam dictam, eò quòd regat, vel quòd normam rectè & benè viuendi præbeat, vel quòd diſtortum, prauumque corrigat: quod Gratianus diſtinct. 3. refert. Cui Papias aſtipulatus ait: Canon græcè, latinè regula, conſuetudo approbata, ſiue inſtitutio dicitur. Hoc modo ſumpta regula in omnibus artibus & ſcietijs reperitur. Siquidem in artibus, quas mechanicas dicunt, præcepta quædam ſeu documēta reperiuntur, quibus velut materiali inſtrumēto, opifices ipſi ſuis in operibus dirigũtur. Similiter in artibus liberalib⁹ regulas inueniri certiſſimũ eſt, quarum quædã Grammaticæ, alię Rhetoricæ, aliæ Logicæ, aliæ Mathematicæ ſunt, quę Arith-

2. Cor. 10.

Galat. 6.

Iſidorus.

Arithmeticas, Geometricas, Aſtronomicas Muſicasque complectuntur. Porrò quædam dicuntur naturales, quales ſunt Phyſicæ, Medicinales, Metaphyſicæ. Nam & medici Græcum nomen retinentes, ſuas regulas canones vocauêre. Sunt inſuper quædam morales, quæ ad mores de ſe maximè pertinent. Et hæ quidem (quæ propoſito noſtro magis conducunt) variè reperiuntur. Quædam enim Ethicæ, aliæ politicæ, aliæ verò œconomicæ nuncupantur. Aliquæ dicuntur regulæ iuris, quæ ſcilicet in iure tum Pontificio, tum Cæſareo comperiuntur. Aliquæ verò dicūtur Theologicæ, quæ Catholicæ dici poſſunt, quæ ſcilicet in fide, ſpe, & charitate potiſſimùm dirigunt, & à ſacris literis ſanctiſque doctoribus traduntur pleniſſimè. Denique aliquæ ſunt, quæ vocantur religioſę regulę, quæ ſc. inſtitutæ ſunt ad religioſè regulariterque viuendum, de quibus peculiariter agendum incumbit. Sic ergo, vt diximus, regula tranſumptiuè generaliterq; deſumpta, in omnibus artibus & ſcientijs, & denique in omni viuendi genere reperitur. Nulla enim ars, nulla ſcientia, nullusque viuendi modus vel ſtatus reperitur, qui regulas quaſdã hoc modo non habeat. Et harum quædam principales atque fundamentales ſunt, quę principia nuncupantur. Aliæ verò minus principales, quæ & in varias ſpecies diuiduntur, & varia interdum nomina ſortiuntur. Quinetiam diuerſis in artibus ipſum regulæ nomen interdum variè ſumitur. Sæpè enim contingit, dictiones non ſemper generaliter, ſed interdum reſtrictè ſumi, tanta eſt vſus in varianda terminorum ſignificatione authoritas. Interdum quoque vſu venit, vt idem terminus diuerſis in ſcientijs variè accipiatur.

Hinc

Hinc fit, vt regula nonnunquam generaliter, aliquando verò reſtrictè ſumatur. Siquidē Grammatici regulam dicunt eſſe, multorum ſimilium collectionem ſeu breuem rerum pręceptionem. Iuriſconſultus verò peculiari quodam modo regulam ſumit, cùm eam deſcribit, ff. de reg. iur. lib. primo. Regula (inquit) eſt, quæ rem, quæ eſt, breuiter enarrat, non vt ex ea ius fiat. Quam acceptionem paſſim Iuriſperiti ſequuntur. Denique ne per varia dilabamur) regula etiam, vt ad religionem pertinet, peculiariter accipi ſolet, idque bifariam, generatim ſcilicet, & reſtrictè, quemadmodum & de religione contingit, quæ interdum generaliter ſumitur pro Catholica religione, quomodo cepit Auguſt. tractans de vera religione. Interdum verò reſtrictè & vſualiter (vt ita dicam) pro religione votiua, quam factitiā dicūt. Sic ergo, vt diximus, regula, quantum ad religionem pertinet, interdum generatim ſumitur pro norma ſeu forma rectè viuendi. Aliquando verò reſtrictè pro forma peculiari ſeu norma viuendi regulariter ſeu religiosè. Itaque regula religioſa dicitur, regula, norma, ſeu forma regulariter ac religiosè viuēdi. Quod ſatis Ioannes Andreæ inſinuat, qui de regulis iuris verba faciens, ita ait: Ab hac regula, quæ dicitur norma rectè viuendi, dicitur regularis. Aſtipulatur & Hoſtienſis in Summa ſua, in rubrica de regula, & tranſe. ad re. §. ſecundo, dicens, regulares dici à regula, non ab ea, quę rem, quę eſt, breuiter enarrat: ſed ab illa, quæ rectè ducit, nec aliquando aliorſum trahit, imò normam rectè viuēdi tribuit, & quod diſtortum prauumq; eſt, corrigit. Concordat his Panorm. eadē Rubr. de reg. & tranſe. Vbi ait, regularem dici à rectitudi-

Regula religioſa quid.

 ne

ne viuendi. Qui & protinus ſubdit: Dic quod illi propriè dicuntur habere regulam, qui profitentur tria ſubſtantialia cuiuslibet religionis approbatæ. Alij verò, licet aliqua promittant, non dicuntur propriè habere regulam, ſed potius quendam modum viuendi. Ex his omnibus vides, regulam religioſam nihil aliud eſſe, quàm normam, formam, vel inſtitutionem, qua regulariter ſeu religioſè viuitur. Quibus ſuppoſitis, probemus, quod primò probandum ſuſceperamus, ſcilicet Cartuſianos regulam habere. Probemus (inquam) & authoritate & ratione. Authoritate quidem ſummi Pontificis Benedicti de Prædicatorio ordine aſſumpti, de Cartuſiano ordine ita dicentis. Attendentes igitur, quòd ordo veſter inter alias ſacras religiones arctiori quadam regula limitatur, quodque in eo viget laudabiliter obſeruantia regularis. Cui aſtipulatur Antoninus in Summa, titulo 16. dicens, Cartuſianos habere ſtatuta ſua pro regula, & haberi in magna veneratione ab Eccleſia. Aſſentitur & Angelus in Summa, in verbo Religioſus. Quod & rationibus confici poteſt. Inprimis: Cui conuenit deſcriptio, conuenit & deſcriptum (hæc eſt regula Topica, quam nullus niſi ignarus negare poteſt.) Sed deſcriptio regulæ conuenit ſtatutis Cartuſianis, cùm ſit norma ſeu forma vitæ regularis directiua: Igitur regula dici merentur. Deinde cui conuenit interpretatio, & interpretatum, iuxta Maximam Topicam. Sed interpretatio regulæ (quæ ſuperiùs poſita eſt) Cartuſianis inſtitutionibus optimo iure competit, quia rectè ducunt, & benè viuendi normam præbent, & quod prauum eſt atque diſtortum, corrigunt. Inſuper regula-

res

res à regula dicuntur (vt ſuprà oſtenſum eſt) ſed Cartuſiani regulares ſeu religioſi ſunt, quandoquidem regulares (pro ſententia Hoſtienſi) dicuntur, qui ad viuendum regulariter aſtricti ſunt. Porrò illi dicuntur habere regulam pro ſententia Panormitan. quia tria religionis vota profitentur. At ita eſſe de Cartuſianis dubium non eſt. Ad hæc nihil deeſt Cartuſianæ inſtitutioni, quo ad regulam religioſam exigatur. Denique tanta ratione Cartuſiana lex, quæ eſt municipalis, dicitur regula, quanta & inſtitutio diui Auguſtini vel Benedicti. Quid enim aliud eſt regula Benedicti, quàm Diuini ſchola ſeruitij, atque inſtitutio qua docemur monachi mundum floccifacere, dignos pœnitentiæ fructus agere, declinare mala, facere bona, cultum Deo debitum exhibere, obedienter viuere, regularem vitam, morumque honeſtatem obſeruare, & denique per anguſtam viam (quæ ducit ad vitam) perſeueranter incedere? Nihil prorſus aliud eſt. At verò hæc omnia in ſtatutis Cartuſianis pleniſſimè continentur, quemadmodum ex eorum lectione conſtare poteſt. Denique nihil deeſt Cartuſianis ſtatutis, quod ad rationem regulæ religioſæ pertineat. Igitur optimo iure debet regula nuncupari. Fortè dicis Cartuſiana ſtatuta regulam non eſſe, quòd ſcilicet eis minimè conueniant nonnullæ conditiones, quæ ad regulam exiguntur. Quarum vna eſt, quòd ſcripto tradatur. Vt enim de ratione legis, ita & de ratione regulæ eſt, quòd ſcriptis feratur ab eo, qui præcipuus regulæ inſtitutor eſt. Altera verò, quòd regula obligat ad mortale. In hoc enim à conſtitutionibus ſuperadditis diſcrepare dicitur, quæ ad mortale non

Matt. 7.
Idem docet regula Cartuſ.

tequam per Apoſtolos, Apoſtolicosque viros ſcriberetur. Denique obiectio huiuſcemodi nihil contra regulā Cartuſianam habet momenti: quippè quæ optime ſcripta ſit. Fateor in ordinis exordio regulā ipſam literis mādatam non fuiſſe, qua forſan occaſione liuidus aliquis tum ſparſit in vulgus, Cartuſianos regulam non habere. Quod ſicut & pleraque alia inſana, leuiaque dicta apud nonnullos imperitos ac inuidos, in hāc ætatem perſeuerauit. Verùm ſi diligenter omnia volutentur, proculdubio conficietur, non ſine ratione Cartuſianam regulam principio literis creditam non fuiſſe. Animaduertens ſiquidem primarius Cartuſianæ regulæ inſtitutor Bruno, priùs facto, quàm ſcripto docendum eſſe, regulam ipſo facto priùs inſtituendam eſſe, quàm ſcripto reponendam exemplo Chriſti cēſuit. Deinde Cartuſianum negotium grauè atque arduum erat, ea de re ponderandum inprimis fuit, experiendum quoque, an vires tanto oneri ſufficere poſſent, priuſquam aliquid ſcriptis inſtitueretur. Ad hæc prudenter legislator ipſe cogitans, magnam eſſe vim conſuetudinis (quippè quæ altera natura dicitur) voluit potiùs ipſum viuendi modum per iugem obſeruantiæ conſuetudinem memoriæ commendari, quàm ſcriptis reponi. Non enim neſciebat, ea quæ ſcripta ſunt parùm ſæpè curari, ſed multis ſatis eſſe, ſuam regulam in arca reconditam hebere. Vt igitur ad iugem regulæ obſeruantiam ſuos induceret, potiùs conſuetudine, quàm ſcripto, eam tradendam curauit. Denique ſuperuacaneum putabat, ea quæ religioſè cum ſuis obſeruabat, literis commendare, ſciens in libris autenticis ea radicaliter contineri. Quæ ſanè conſide-

Regula Carth. cur in principio literis non fuit tradita.

ſideratio penè Guigonem impulit, ne ipſas Cartuſianas conſuetudines in volumen redigeret. Enimuerò cùm à fratribus non ſemel rogatus fuiſſet, vt conſuetudines huiuſmodi ſcriptas memoriæ mandaret, à tali negotio diu ſe diſſimulaſſe in prologo commemorat. Videlicet (inquit) quod vel in epiſtolis beati Hieronymi, vel in regula beati Benedicti, ſeu in ſcripturis autenticis, omnia pene, quæ hîc religiosè agere conſueuimus, contineri credebamus. Et nos, qui tale aliquid facere poſſemus vel deberemus, dignos minimè putabamus. Huc accedebat, quia doceri magis quàm docere ad humilitatis noſtræ propoſitum pertinere nouerámus, tutiuſque eſſe aliena potiùs bona, quàm
Prou. 27. ſua prædicare, ſcriptura dicente: *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua:* Domino quoque in Euangelio præcipiente: *Videte ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* His igitur de cauſis, quas tetigimus, regula Cartuſianorum literis principio repoſita non fuit. Nec tamen propterea confici poteſt, quin regula vera ſemper fuerit. Sed iam ad alteram obiectionem reſpondeamus, dicentes, illud non eſſe de ratione regulæ, nec diſcrimen quoque illud verum eſſe. Quod tamen nonnulli eorum, qui regulam & conſtitutiones ſe habere gloriantur, exiſtimarũt. E quibus vnus (qui de grege Doctorum erat) aliquãdo à me interrogatus, de differentia inter regulam & conſtitutiones, ita ſenſiſſe viſus eſt. Verùm ſi ita eſſet, periculoſiſſimum, imò & temerarium foret, regularẽ ſarcinam fragilib⁹ humeris imponere. Adde quòd abſurdũ ſit putare, omnia ea quæ in regu-

Matth. 6.

Regula Baſilij, vel Benedicti ponuntur, ſub pęna lætalis peccati tranſgreſſores aſtringere. Non enim ratio patitur, omnia ibi contenta eiuſdem virtutis eſſe, cùm nec omnia in Euangelica regula contenta, præcepta ſint, nec mortalis piaculi reos tranſgreſſores efficiunt. Sed de his aliâs.

Non omnia quæ in regulis habētur, ad mortale peccata aſtringere.

Ad tertiam obiectionem dicimus, illam immutabilitatem non eſſe de intrinſeca ratione regulæ. Siue enim ſit inuariabilis, ſiue ſit obnoxia mutationi, nihil ad rem, modò ſibi cóueniat definitio, virtus, interpretatioq́ue regulę, quę ſanè regulas tùm mutabiles, tùm inuariabiles ambitu ſuo complectitur.

Ad quartam denique obiectionem dicimus, eam probationem eſſe aduentitiam, & à complexu regulæ peregrinam. Nonne Regula Baſilij regula erat, antequàm per humanam probationem firmaretur? Nonne & Regula B. Auguſtini? Nonne & Regula Benedicti, per quam religioſè viuebatur, antequam per Beatum Gregorium confirmaretur, qui & ſub ea laudabiliter ante probationem vixiſſe refertur? Denique humana probatio regulam non facit, ſed oſtendit, eamq; ne de ei⁹ rectitudine dubitetur, corroborat. Quod & de Cartuſianis inſtitutionibus factum fuiſſe ex ſubiectis apparebit. Quibus animaduerſis, luculenter conſtat, nihil deeſſe Cartuſianis ſtatutis, quod ad veram religioſamq́ue regulam exigatur: quapropter optimò iure regula dici merentur. Cæterùm iam probemus, Regulam Cartuſianã probatam eſſe. Quod quidem licet in ſuperioribus iam ſatis monſtratũ ſit (non enim fieri poteſt vt ſtatus aliquis probatus ſit, niſi & regula, quæ ſtatũ ipſum dirigit,

Regulam Cartuſ. probatam eſſe per Sed. Apoſtolicam.

probata quoque fuerit) nihilominus adhuc idipſum ex abundantia indubitabili authoritate conficiamus: authoritate(inquam)Summi Pontificis Alexandri III. ita dicentis. Et quæ generale Capitulum ordinis veſtri prouida circũſpectione diſpoſuerit & ordinauerit de instituẽdis & deſtituendis prioribus: & ea etiã quæ in ordine ſalubriter ſtatuit vel ſtatuerit, & iuſtitiã quã ſuper illos fecerit, quos ordini rebelles eſſe conſtiterit, authoritate Apoſtolica cõfirmantes, rata & firma decernimus in poſterũ permanere. Cui concordans Cęleſtinus III. Regulam ipſam ſeu ſtatuta Cartuſiana in hunc modum probauit ſeu confirmauit. Paci & tranquillitati veſtræ propenſiùs prouidere volentes, quantò arctiùs diuinis eſtis obſequijs mancipati, & in contemplationis arce procul à terrenorum tumultu ſemoti, piæ poſtulationi veſtræ faciliùs annuimus, & fauorem Apoſtolicum libentiùs impertimur. Inde eſt, quòd inſtituta veſtri Ordinis perpetuam habeant firmitatem, prout approbata ſunt, & à benè vtentibus obſeruata, rata in poſterum fore decernimus, & authoritate qua fungimur confirmamus. Et in duabus alijs eiuſdem literis ità probauit. Præterea cùm generale vos Capitulum, ſicut annis ſingulis cõſueuiſtis, celebrare contigerit, ſi omnes conuenire fortè nequiuerint, quicquid à maiori parte ordinis, cum maioris partis ac ſanioris conſilio, rationabiliter ac prouidè ſtatutum fuerit, ratum habeatur ac firmum, & ab omnibus veſtri Ordinis fratribus irrefragabiliter obſeruetur. Vides quàm concorditer & apertè Cartuſiana ſtatuta ſint per Sedem Apoſtolicam comprobata, Sed forſan replicas & dicis, ſtatuta ipſa Cartuſiana examinata

non

non fuiſſe, quod tamen ad confirmationém flagitatur, ſi alicuius momenti eſſe debeat. Dici inprimis poteſt, ſtatuta ipſa in curia Roman. olim examinata fuiſſe. Cuius rei argumentū eſt, quòd Ioannes Andreæ Iuriſperitus eminentiſſimus, cùm in Romana curia ageret, ſtatuta ipſa vidit, examinauitq; diligenter. Quibus perlectis, dixit ſe nunquam legiſſe vel audiſſe ſtatuta cum tanta diſcretione, ſobrietate, humilitate, & charitate inſtituta, quàm Cartuſiana. Eaque de re ingenti amore ipſum ordinem Cartuſianum deinceps proſecutus, monaſterium vnum iuxta Bononiā ex ſuo patrimonio extruxit. Dici & aliter poteſt: Eſtò, per ſummum Pontificem lectitata nō fuerint Cartuſiana iuſtituta, nihilominùs tamen cùm ab eo ſcienter, ac frequenter probata ſint ac confirmata, nō ſunt in dubiū reuocanda. Quod enim ex certa ſcientia per ſummum Pontificem confirmatum eſt, robur firmitatemq; habet, niſi probetur, vel Papam deceptum fuiſſe, vel in eo, quod confirmatum eſt, iniuſtum aliquid contineri, quemadmodum per Canoniſtas de confir. vti. notari conſueuit. Sed iam authoritati rationes addamus: quarum prima ſit huiuſmodi. Data eſt poteſtas tam à iure, quàm à ſummis Pontificibus per priuilegia Ordinis, omnibus alijs Regularibus, etiam approbatæ regulæ, tranſeundi ad ordinem Cartuſianū. Sed abſurdum hoc eſſet prorſus, ſi Cartuſiana regula probata non foret. Daretur enim poteſtas tranſeundi à probata ad non probatā, quod abſurdum eſt ſentire. Confirmatur. Data poteſtas eſt Cartuſianis recipiendorum omnium, qui ſuo aggregari conſortio voluerint. At verò niſi Cartuſiana Regula probata eſſet, hoc conceſſum nunquam fuiſſet, cùm

Ioannis Andreæ laus non vulgaris ſtatutorū Cartuſ.

in Concilio generali (quod extra de reli. do. ne nimia, continetur) ſtatutum fuerit, vt quicunq; ad religionem conuerti voluerit, vnam de probatis aſſumat. Porrò illa regula citra controuerſiam approbata cēſeri debet, quæ ex regulis ſcriptisque probatis decerpta eſt atq; conflata: ſed ita eſſe de Cartuſiana inſtitutione conſtat, vtpotè quæ ex Regula D. Benedicti, Epiſtolis S. Hieronymi, collationibus Patrum, alijsque probatis libris ac ſcriptis confecta eſt, quemadmodũ Guigo noſter aſſerit, cui fides tribuenda eſt. Igitur Cartuſiana regula ſine dubietate probata dici debet. Sed iam ſatis ſuperque de humana confirmatione verba fecimus, in qua fortè tantiſper hærendum non fuerat, quippè quæ parùm curanda ſit, quandoquidem ius nouum non tribuit, ſed ſi quicquam inuenit, idipſum corroborat. Verùm ad reprimendas leuium ignorantiumq; hominum linguas, in his diutiùs ſiſtendum fuit. Iam verò tertio loco agamus, cur hactenus Cartuſiani nomine regulæ vſi non ſunt. Si enim vſi fuiſſent, multorum ora compreſſiſſent, qui intelligentes, nec ipſos quoq; Cartuſianos regulę nuncupationem vſurpaſſe, propterea putauerunt, Cartuſianis ipſis nullam regulam eſſe. In quo falſos fuiſſe, ſatis in ſuperioribus monſtrauimus. Itaq; nunc reddenda ratio eſt, cùm rem ipſam, hoc eſt, regulam ſemper habuerint Cartuſiani, cur regulæ nomen ſuæ inſtitutioni non tribuerunt. Hoc autem quadruplici ratione eos feciſſe putari poteſt. Inprimis gratia humilitatis. Etenim ſicut rerum, ita & verborum culmen à ſuo propoſito abiecerũt. Nullus ſiquidem inter eos magiſter aut Dominus nuncupatur, ita ſunt omnia tùm rebus tũ verbis, ſcientię, ſimpli-

Guigo in prologo.

ſimplicitati, ac humilitati conſentanea. Ergò ſicut honorum, dignitatum, graduum, aliorumque id genus, quæ apud mundanos glorioſa putantur, faſtigia reiecerũt: ita præclaras ſublimeſque nuncupationes à ſuo propoſito relegârunt. Relegârunt (inquam) inter cætera regulæ nomen, quod iam multos Monachorum tanquam glorioſum aliquid ſibi vſurpare cœperunt. Deinde cauſa imitationis hoc ipſum feciſſe putâtur. Curauerunt ſiquidem ſuos Patres, hoc eſt, priſcos heremitas & rebus & verbis ſemper referre. Cùm igitur à regulæ nomine priſcos illos abſtinuiſſe intellexiſſent, putauerunt quoque ſibi ab eo temperandũ eſſe. Enimuerò nec B. Antonius anachoreticæ vitæ illuſtrator egregius, ſcripturam (quæ regula diceretur) ſuis edidiſſe inuenitur. Nec quoq; Patres, qui eum ſecuti ſunt, vſi leguntur. Nec demum B. Auguſtinus, qui mirandam ipſorum Patrum vitam, mores & inſtituta in libro cõtra Manichæos, & de moribus Eccleſiæ ſcripſit, nomine regulæ vſus fuiſſe videtur, imò (quod magis mirabile) nec in ſua quoq; regula, regulæ nuncupatione vſus eſt. Vt igitur ſuorũ Maiorum ſectarentur veſtigia Cartuſiani, regulæ nomen minimè vſurpauerunt, ſed rem ipſam vitamq́; regularem tenentes, regularis nominis abiecêre celebritatem. Inſuper hoc ipſum feciſſe creduntur vitandi erroris gratia. Enimuerò cùm regula tantam imponat neceſſitatem atque obligationem, vt etiam (pro quorundam opinione) ad mortale aſtringat, non putauerunt Cartuſienſes, regulæ nomine vtendum, ne huiuſmodi ambagibus ſuos inuoluerent, & erroris cauſam ſimplicioribus fratribus tribuerent. Denique nomen regulæ non vſurparunt,

quòd

quòd alio ſibi aptiori vtendum cenſuerunt. Siquidem potiùs cõſuetudinem, quàm regulæ nomen ſuæ viuendi formę inprimis imponere maluerunt, vt nomine conſuetudinis inſinuarent, magno vſu opus eſſe ad Cartuſianã Regulam debitè obſeruandam: Vt inſinuarent (inquam) ſuarum conſtitutionum magnã eſſe authoritatem atque firmitatem. (Conſuetudinis enim vſusque longi non vilis eſt authoritas) eaque de re firmiter atque inuiolabiliter ipſas eſſe tenendas. Quãquàm poſtmodũ ſtatuta nuncuparunt, ne ſi conſuetudinum ſemper vſi nuncupatione fuiſſent, putaretur nullam illis regulam ſcriptis repoſitam eſſe. Quibus animaduerſis, luculenter videtur, Cartuſianos veram regulam habentes, nihilominùs regulæ nomine iuſtis de cauſis vſos non fuiſſe. Cæterùm iam ſubnectendum eſt, cur nullam aliarũ regularũ ſuſceperint Cartuſiani. Cuius rei in promptu cauſa eſt, quòd nulla aliarum regularũ ſuo viuẽdi modo ſatis opportuna erat. Siquidem regulæ oẽs, quę ante Cartuſienſis Ordinis initium reperiebãtur, aut certè pro vita prorſus heremitica, aut pro cœnobitica dirigenda, inſtitutæ erant. Cùm igitur Cartuſienſes nec vitam cœnobiticam, nec ipſam quoque omninò heremiticam, propter ingentia ſui pericula agere decreuiſſent, nullam earum regularum, quæ à præcedentibus patribus datæ fuerant, ſuſcipere potuerunt. Itaque mirum eſſe non debet, ſi nec Baſilij, nec Auguſtini, nec Benedicti Regulas aſſumere voluerint, quæ pro cœnobitis imbuẽdis datæ ſint. Quòd ſi nullam earum (quamuis probatæ paſſimque omnium ore laudatæ forent) ſectari potuerunt, proculdubio nec vllam aliarum aſſumere voluerunt: vtpotè quę non ita

Cur nullã aliarũ regularum ſuſceperint Cartuſiani.

certè paſſim reputabantur, & ad agendam quoque vitam cœnobiticam forent inſtitutæ. Cuiuſmodi fuit regula S. Pachomij, quæ angelico miniſterio data fuiſſe creditur: ſimiliter Regula Eugigtij Abbatis, de qua meminit Iſidor[9]. Itidem Regula Ioãnis Gerundenſis Epiſcopi, quam Iſidorus ipſe multùm commmendat. Harum, inquam, nullam potuêre Cartuſienſes ſibi aſſiſcere, vtpotè quæ pro vita ſociali actitanda inſtitutæ fuiſſent. Cartuſienſes autem cęnobitæ non ſunt. Sed nec vllam pro vita prorſus heremitica agẽda inſtitutam carpere voluerunt, quòd nulla paſſim certa atque probata, aut certè ſuo propoſito ſatis cõſentanea reperiebatur. Non enim (quod dictum eſt) vel extremam, vel omninò heremiticam vitam agere decreuerunt Cartuſiani, ſed vtcunque mixtam ſiue temperatam. Quapropter impulſi fuêre, alijs relictis, regulam ſibi aptam efficere. Etenim, qui regulariter viuere decreuerant, regulam aliquam ſibi vel deligere, vel efficere habuerunt. Non enim ſine regula regulares eſſe poterant, ſicut nec ſine religione religioſi. Itaq; inſpirante Deo regulam quodammodo mixtam fecerunt, vt ſicut vita, ita & regula compoſita foret. Neceſſe enim eſt, Regulam (ſi apta ſit) vitæ qualitati conſentire. Regulam (inquam) ſagaciter inſtar apis argumẽtoſæ ex varijs Patrum floſculis decerpſerunt. Siquidem ex epiſtolis ſacri Hieronymi, Collationibus Caſſiani, Regula Benedicti, & alijs demũ probatis, autenticiſque libris regulam ſuam cõflauerunt. Quam ſi diligenter fueris contemplatus, eam prorſus mirandam, omniq; laude dignã ipſe putabis. Eſt enim apta partitione, pulchro ordine, multa elegantia, præcipuaq; diſcretione

Regulam ſuam vnd. Cartuſiani excerpſerũt.

Laudatur regula Cartuſ.

mirum

mirum in modum confecta. Enimuerò ſi partitionem eius aſpexeris, videbis eam aptiſſimè confectam. In tres etenim partes regula ipſa diſtributa eſt, in quarum prima de officio Diuino tangitur pleniſſimè. In altera verò agitur de inſtitutionibus ad monachos ſacris initiatos pertinētibus. In tertia aũt de his, quę ad cęteras perſonas ordinis ipſius ſpectant. Porrò ſi ordinem conſideraueris, protinus intelliges, & pulcherrimum tractandi modũ ibi obſeruatũ, & ſingula locis aptis repoſita fuiſſe. Ad hæc ſi ſtylum aſpexeris, ſanè putabis, imperatorias te leges inueniſſe, tanta eſt ſermonis venuſtas, grauitasq;. Deniq; ſi diſcretionẽ aduertere volueris, mox conficies, diſcretionis virtutẽ in regula Cartuſiana præcipuum munus ſibi vendicaſſe. Eſt enim diſcreta inprimis, quòd in ea nihil habetur, quod non ſit à probatis diſcretisq; admodum authoribus excerptũ. Diſcreta quoq; eſt, quòd per eam vitæ vtriuſq; ſcilicet anachoreticæ, & cęnobiticæ) vtantur pericula. Diſcreta inſuper, quòd in ea nihil cauetur, quod ſit vel rationi aduerſum, vel humanis viribus importabile. Diſcreta deniq;, quòd in ea ſint omnia tùm maturè digeſta, tùm ad amuſſim examinata, tùm denique miro quodam cõmercio ita congeſta atq; temperata, vt vita ipſa ſimpliciter anachoretica ſit & contẽplatiua, & nihilominùs vtcunq; mixta dici mereatur. De ſociali etenim communique vita ita quædã miſcuerunt Cartuſiani propoſiti fundatores, vt ſolitudini poſſent aptè prodeſſe, non obeſſe: cõtemplationis puritatem iuuare, non impedire: heremiticum rigorem conſeruare, nõ prorſus tollere: & demum ſolitariæ vitæ pericula fugare, non fouere. Quid plura? Tanto modera-

Diſcretio regulæ & vitæ Cartuſ.

deramine, tantaq; diſcretione omnia ſunt effecta, vt ſicut vita ipſa Cartuſiana totius religioſæ vitæ perfectio eſt, ita & regula ipſa omniũ aliarum complemẽtum conſummatioq; eſſe videatur. In qua nihilominus, ſi decenter omnia in vnum congeſta, comportataq; forent, nihil prorſus vltrà deſiderari poſſet. Quibus animaduerſis, facilè eſt obiectionibus in capitis principio adductis reſpondere. Ad primam enim dicitur, ſtatuta Cartuſiana optimo iure regulam dici debere, cùm eis definitio, virtus, interpretatioque regulæ prorſus conueniant, quemadmodum ſuperiùs iam ſatis probauimus, vbi & rationem aſſignauimus, cur priſci Cartuſiani regulæ nomine vſi non ſint. Quòd autẽ dicis, mi Oblocutor, inter Regulã & Statuta multum diſcrimen eſſe, hoc illis obijcere potes, qui regulam & ſtatuta ſe habere glorlantur, non autem Cartuſianis, qui ſuas conſtitutiones pro regula tenent. Age verò, ſi diſcrepantia vlla inter regulam & ſtatuta ſeu conſtitutiones foret admittenda, tunc & regula & ſtatuta voluntaria quadam acceptione ſumantur oportet, ſcilicet regula pro lege ſeu forma regulariter viuendi à primario inſtitutore confecta, literiſque repoſita, ſtatuta verò pro quodam additamento ad regulam huiuſcemodi ſuperaddito. Hæc autem cùm voluntaria ſint, nihil Cartuſiano negotio aduerſantur: cùm ſatis oſtenſum ſit, regulæ rationem ſtatutis Cartuſianis prorſus conuenire. Sed iam alteram ratiunculam diluamus, dicentes regulam Cartuſianam probatiſſimam eſſe, quod ſatis in ſuperioribus probaſſe nos putamus. At verò dicis, regulas duntaxat, quatuor probatas dici ſolere. Neſcio quis primus author hoc commen-
tum

tum ſparſit in vulgus. Viderit ille, viderint & multi, qui hoc ipſum paſſim in ore habent, dicantque vbinam legerunt, tantùm quatuor eſſe regulas per Apoſtolicam Sedem probatas, cùm planè conſtet multò plures approbatas, & (vt ita dixerim) bullatas inueniri. Illud ergò pudendũ cauillum, apertumq; mendacium nihili facientes, ad alia tranſeamus, agamusque (poſtquàm ſatis de probatione vitæ ac Regulæ Cartuſianæ diſputatum eſt) de viris probatis ordinis Cartuſienſis. Probatis (inquam) partim ob vitæ ſanctimoniam, partim verò propter abſolutam eruditionem.

CAPVT IV.

Probatur tum exemplis, tum rationibus, innumeros Cartuſianos de Sanctorum grege cenſendos eſſe.

Oblocvtor.

AGamus & nos propoſito negotio probantes, nullos Cartuſianos quò ad vitæ ſanctimoniam probatos fuiſſe. Siquidem nulli paſſim legũtur, qui citra dubitationem de Sanctorum grege cenſeri debeant. Quòd ſi nonnullos protuleris, qui ſanctitatis opinionem ſint aſſecuti, nullos tamen poteris afferre, qui miraculis claruerunt. Vulgatum enim eſt, nulla fieri miracula in ordine Cartuſiano. Deniq; ſi forſan nonnulli reperiantnr, qui mira ſigna fecerint, non tamẽ eousq; ſanctitatis progreſſi ſunt, vt in Sanctorum catalogo per Apoſtolicam Sedem reponi meruerint. Nullos etenim canonizatos habere fertur ordo Cartuſianus. Quibus omnibus planè conficitur, ordinem ipſum nullius dignitatis, nulliusq; æſtimationis eſſe. Pet. Tuis nugis re-

gis reſpondere cupientes, inprimis oſtendemus, Cartuſianum ordinem innumeros ſui cultores ad Superos tranſmiſiſſe. Deinde peculiariter quoſdã afferemus Cartuſianos, qui tam eximiæ ſanctitatis fuerũt, vt etiam miraculis claruerint, è quibus nonnulli canonizati ſunt. Denique rationes aſſignabimus, quibus nec plura miracula in ordine Cartuſiano ſint effecta, nec canonizationis quoque munere plures donati ſint. Hac enim pacto luculenter videbitur. Cartuſianum ordinem propterea floccifaciendum non eſſe. Primùm aggrediẽtes, probemus tum exemplis, tùm rationibus, innumeros Cartuſiani propoſiti ſectatores, cœleſtem gloriam fuiſſe conſecutos. Enimuerò (vt aliquid exemplorum inprimis proferatur in medium) quadam mirabili viſione monſtratum eſt, cœleſtem regionem Cartuſianis pleniſſimam eſſe. Sub venerabili Patre Ioanne Birello maioris Cartuſiæ Priore X X I I. nouitius quidam in eadem domo regularẽ ſarcinam grauiter ferens, ſpirituque inſtabilitatis percitus, domũ ipſam prorſus miſſam facere decreuit. Quod quidem vt latentiùs, oportuniusq; moliri poſſet, nocturnũ tempus cenſuit captandum. Cùm igitur ſuo voto ſatisfacere cupiens, intẽpeſtæ noctis ſilentio cella egreſſus per clauſtrum deambularet, en duo viri habitu Cartuſiano induti, protinus ante oculos mirantis apparuêre. Quibus viſis, protinus inuaſit eum ſtupor ingens, quòd contra morem Cartuſianum regularemq; obſeruantiam, religioſos extra ſepta cellæ videret. Cùm autem iuxta illos tranſire opus illi eſſet, quòd alio ingredi non liceret, alter eorũ manu ſtupefactum apprehendens, grauiter increpauit: Quid (inquit) fugis, ah demens? *Viſio.*

quò miſer properas? Reuertere ad cellam tuam infœlix, reuertere, habituq; reſumpto viriliter perſeuerato. Alioqui actum de te puta. Iuramus enim tibi per viuentem in ſecula, omnes in hoc cœmiterio ſepultos in conſpectu Dei ſanctos eſſe, præter Conuerſum vnum, qui propter ſcelus proprietatis magnis addictus eſt pœnis. Quibus dictis, ſtatim tenuas in auras diſceſsêre. Huic exemplo non ita diſſimile eſt, quod ab ipſo Birello dictum fuiſſe legitur. Etenim cùm ſuper lapidem quendam, in quo poſt funus defuncti fratres lauari ſolent antequàm tumulentur, quidam ex ſuis Monachis lauandus poſitus fuiſſet, in hęc verba prorupiſſe fertur. Vſq; adeò de diuina miſericordia ſpero, confidoq; indubitanter, nullum monachũ ſuper hunc lapidem lotum eſſe, quin ſanctus in cõſpectu Dei habeatur. Forſan profiteris, monachos illos, qui in illa horrenda maiori Cartuſia victitant, indubiè ſalutem conſequi perennem. At verò non ita facilè quò ad cæteros forſitan aſſentiris, qui loca non ita aſpera colunt. Aliud igitur exemplum ſubijciamus, quod & tuã hæſitationem pellere, & rem propoſitam confirmare poſſit. Romæ quidam puerulus materna domo egreſſus, dum per vicos vrbis vagaretur, & gurgitem ſeu puteũ quendam deſpiceret, cadens in præceps ſubmerſus eſt. Quem anxia mater ſollicitè perquirens, tandemque fortè in gurgitem proſpiciens, ſui pignoris chariſſimi birretum ſeu pileum ſuper vndas natantem animaduertit: tum grauiſſimis affecta doloribus, maximiſq; ſingultibus plena, eiulare, auraſque implere cœpit. Cœpit & prudentiùs feruentiſſimis precibus beatiſſimum Nicolaum pulſare, totaque illi mente extinctum filium

Exemplũ puerulià morte ſuſcitati, meritis B. Nicolai.

filium commendare. Res mira. Reſedit qui erat mortuus. Qui(inquam) obrutus aquis miſerabiliter fuerat deploratus, ſuper aquas viuus hilari vultu proſpectabatur. Quid plura? Diligenter extractus ſine læſione inuenitur, gratiæ ingentes aguntur, rumor per vrbē volitat, qui & Pontificis aures pulſat, ſolennis proceſſio pro gratiarum actione inſtituitur, concurritur, atq; in loco edito puerulus collocatur. Qui vagis oculis omnia luſtrans, Cartuſianorum vnum (qui tum aderat) inter cæteros animaduertēs, citato greſſu eum adijt, cucullamq; illius arripiens, in hæc verba prorupit: De iſtis eſſe volo, de iſtis eſſe volo. In ſuperna etenim patria immenſum iſtorum numerum vidi, æterna illa gaudia iſtis plena coruſcant. Quibus dictis ſub cuculla deliteſcens, fortiterq; manu tenens, vix dimoueri potuit. Hæc autem cùm in villula, vel oppidulo geſta non ſint, ſed in vrbe clariſſima: in vrbe (inquam) illa, quæ (ſi poëtæ creditur) *Mirū teſtimoniū de ſanctitate vitæ Cartuſ.*

— tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi:

ſatis oſtendunt, quod ſuperiùs propoſitū eſt. Nihilominùs rationes addamus, quibꝰ & hoc ipſum apertè conficiamus. Inprimis illi ipſi ſunt de ſanctorū grege cenſendi, qui ſanctitatis regulas obſeruarēre: ſed ita eſſe de Cartuſianis innumeris, experientia iampridem edocuit, quotidieq; docet. Igitur innumeri Cartuſiani de numero Sanctorū putandi ſunt. Sed quænam (dices) ſunt illæ ſanctitatis regulæ, quæ obſeruatæ Sanctum faciunt. Nempè, ſecundùm D. Chryſoſtomi ſententiam, tria hęc sūt: Cordis ſcilicet obſeruare mūditiam, bonis operibꝰ affluere, & Spiritus ſancti gratiam habere. Pro D. autē Bernardi opinione

ſunt hęc: ſobriè viuere, caritatis affectionem habere, & humiliter ſe gerere. Ab alijs autem alia ponuntur ſanctitatis præcepta, quæ bona quidé, ſed voluntaria ſatis putantur. Nos verò dimiſſis riuulis, fontem adeũtes, decem illa decalogi pręcepta dicimus præcipuas ſanctitatis regulas eſſe.
Matt. 19. *Si vis* (inquit Saluator Chriſtus) *ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Quòd ſi breuius aliquid deſideras, tres ſanctimoniæ regulas, multis ſacrarum literarum locis replicatas tibi depromimus, videlicet mala vitare, bona agere, & rectá in his perſeuerantiam tenere. Hæc enim tria ſacris in literis non ſemel commemorata legũtur. Inprimis
Pſal. 34. quidem à Pſalmiſta, Pſalm. 34. *Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam*. Et
Pſal. 36. Pſal. 36. *Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in ſeculum ſeculi*. Ille enim inhabitat in ſeculum ſeculi, qui veram cordis pacẽ perſeueranter obſeruat. In Euangelio quoq; tria hæc recenſita cõ-
Luc. 12. periuntur. Vbi dicitur: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles*
Matt. 19. *hominibus expectantibus Dominum ſuum quando re-*
Luc. 9. *uertatur à nuptijs*. Et alibi: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, &*
Act. 24. *ſequatur me*. In Actibus demùm Apoſtolicis hæc eadem repetita conſpiciuntur, vbi legimus Paulum docuiſſe *de cõtinentia, iuſtitia, & ſpe vitæ æternæ*. Hæc autem toties replicata fuiſſe putantur, vt eorum nobis inſinuaretur & dignitas, & neceſſitas, admoneremurque, profundam eorum
Matt. 22. memoriam habere ſemper debere. Denique ſi quicquam adhuc breuius flagitas, duo manifeſta ſunt caritatis præcepta, in quibus pendent lex & Prophetæ: quæ ſi fideliter ſectatus fueris, haud dubiè ſanctus euades. Sed, vt ad inſtitutum redeamus,

deamus, hæc bonæ ſanctæque vitæ inſtrumenta (quæ diximus) cùm innumeri Cartuſiani obſeruarint, conſequens eſt, innumeros Cartuſianos de grege ſanctorum cēſeri debere. Quod & alia ratione confici poſſe videtur. Si vix vnquam aliquis de clauſtro ad infernum deſcendit (quod Bernardus, aut certè Bernardita quidam egregius aſſerit) illi penè omnes, qui in clauſtris (intellige benè directis) & vitam & animam agunt, polorum regna petere credendi ſunt. At verò innumeri reperiũtur Cartuſiani, qui in clauſtris & religiosè vixerunt, & ſupremum halitum catholicè fuderunt. Igitur innumeri ſunt de grege ſanctorum putandi. Denique de alijs religionibus (quæ certè decenter obſeruantur) permulti, nec iniuria quidem, putantur ſalutem conſequi perpetuam. At plures, ſi Doctori cuidam recentiori credatur, de Cartuſianis, quàm de alijs ſaluantur. Quibus animaduerſis, conſequens videtur, innumeros Cartuſienſis ordinis alumnos, de grege Sanctorum eſſe connumerandos. *Bern. ad fratres de mõte Dei.*

CAPVT V.

Peculiariter ac nominatim multi aſſeruntur de grege Cartuſiano, qui tanta ſanctitate fuerunt, vt miraculis ac ſignis ſit eorum probata ſanctimonia.

CAEterùm his generalibus dimiſſis, afferamus peculiariter Cartuſianos quoſdam delectos, qui tanta ſanctimonia fuerunt, vt etiã miracula fecerint, quò ſcilicet confutentur, qui afferunt, Cartuſianum ordinem nec ſanctis, nec miraculis decoratum eſſe. Inprimis veniat in medium Cartuſianorum princeps Bruno, qui ſanè honeſtatis, grauitatis, ac totius maturitatis

fuit, qui in corpore mortali conuerſationem agentes cœleſtem, tandem pennis angelicis in cœlum euolarunt. Siquidem huius Guigonis tẽpore tantæ perfectionis Cartuſiani erant, vt nõ terreſtres homines, ſed Angeli cœleſtes viderẽtur. Ex illa enim traduce prodijt Dominus Hugo, quem S. Hugo Gratianopolitanus antiſtes curauit ob eximiam ſanctitatem (dum adhuc viueret) per Innocentiũ Papam ſibi ſucceſſorem ordinari. Qui poſtmodũ Eccleſiæ Metropolitanæ Viennenſis Archipræſul effectus fuit. Ex illis quoq; fuit alter Hugo, Guigonis diſcipulus, peculiarisq; alumnus, qui ei in Prioratu Cartuſiæ ſucceſſit, & duobus annis præfuit. Vir quidem tantæ probitatis atq; doctrinæ, vt vix ſimilis in ordine poſſet inueniri. De illis quoq; fuêre monachi præſtãtes, ſubito niuiũ caſu in maiori Cartuſia perempti. Enimuerò (vt miraculorum aliquid tangatur) anno tertio & viceſimo prioratus ipſius Guigonis, niues de altiſſimis montib⁹ impetu ſubito, incredibiliq; mole ruentes, cellasq; omnes, præter vnã, vaſta congerie operientes, ſex Monachos vnumq; nouitium horrendo turbine obruerũt. Verùm die poſt ruinam duodecimo, quidam ex ipſis oppreſſis Auduin⁹ nomine, de tantæ voraginis profundo nouiſſimè erutus, præter omnem omniũ expectationem non ſolùm viuus, ſed etiam integro ſenſu, illæſaque memoria ſtupendo miraculo repertus, in clauſtrumque deportatus, pauca quidem verba, ſed miram dulcedinem redolentia, deprompſit, & Sacramentis Eccleſiaſticis pro more ſuſceptis, poſt tantam inediam ſuauiſſimo dominici corporis alimento ſatiatus, placidiſſimo fine quieuit. Deniq; huius Guigonis tẽpore fuit quidam

Hugo Prior Cartuſ.

Conuerſi cuiuſdam mira ſanctitas. Conuerſus, qui iuxta nomen conuerſioni morum diligenter incumbens, obedientiæ, humilitati, mortificationi, cæteriſque virtutibus tanto ſtudio dabat operam, vt præter Chriſtum Iesvm & hunc crucifixum, ipſiusq; crucifixi matrem benedictam (cui deuotiſſimus erat) nihil ſcire vel ſapere putaretur. Cuius ſanctæ conuerſationi, bonorum omnium expers diabolus inuidens, non occultis tantum, ſed apertis quoque ſuæ inſaniæ machinis eum aggredi auſus eſt. Siquidem intempeſtæ noctis ſilentio cùm aliquãdo iaceret Conuerſus ipſe, & nihilominus vigilans cœleſtia meditaretur, dæmonum turba in aprorum ſeu porcorum ſylueſtriũ ſpecie affuit, qui cellam eius ingreſſi, rictuque horrendo furentes, dentibus longiſſimis, velut in necem parati, pauefactum trementemq; hominem circũſteterunt. Cui præ timore ſudanti, mortemque vicinam præſtolanti, apparuit ſubitò quidam enormis magnitudinis homo (is dœmonũ princeps creditus eſt) qui maioris timoris cauſa fuit. Cellam enim ingreſſus, porcos ipſos arguere cœpit, dicens: Quid facitis ſegnes? Cur iſtum necdum rapuiſtis miſeri? cur in fruſta nondum diſcerpſiſtis? At illis impotẽtiam excuſantibus: ego (inquit) efficiam, quod vos deſides minimè facere potuiſtis. Hoc dicto, vncum ferreum longis recuruiſq; vnguibus terribilem, minaci manũ apprehendens, atque ad rapiendum, imò verò diſcerpendum adaptans, Conuerſum ipſum penè mentis inopem reddidit. At verò cùm manum ad rapiendum extendiſſet hoſtis, mox omnipotẽtis Dei mater, mater (inquam) miſericordiæ viſibiliter affuit, quæ virgam manu tenens, increpanſq; grauiter dœmones ipſos, quòd talia

Beata virgo Maria ei viſibiliter apparens, eum à dæmonũ ferocia liberat.

præ-

præſumpſiſſent, inſtar fumi protinus eos abire, euaneſcereque fecit. Deinde trementem adhuc hominem conſolata, dulciterque allocuta, ea ſibi ſuoque filio grata eſſe dixit, quæ Conuerſus ipſe faciebat. Deniq; admonens, vt vilibus eſcis, abiectisque veſtibus vteretur, & operi manuum deuotus inſiſteret, hominem lætitia multa affectum dimiſit, arduumque repetijt Olympum. Huius miraculi meminit Petrus Cluniacenſis in libro miraculorum. Cui & alterum de eodem bono Conuerſo addere iuuat. Suſcepit aliquãdo iuuenem quẽdam ſacro religionis lacte nutriendum, qui cùm diligentiſſimè imbutus fuiſſet, multumque profeciſſet, rebus exceſſit humanis. Præueniens itaque moriendo diſcipulus magiſtrum, bonam quidem ſpem ſuæ ſalutis, ſed magnum ſimul reliquit de ſua morte dolorẽ. Conſiderans etenim bonus ipſe Conuerſus, & probos illius iuuenis mores, & tam celerem, imò quaſi furtiuum de mundo receſſum, vehementiùs flebat, orabatq; iugiter, nec ſatiari orando, pſallendo, mœrẽdo pro eius anima poterat. Verùm pientiſſimus Dominus tanto eum laboris faſce leuare volens, dignum fecit eum viſione, conſolationeque cœleſti. Pernoctabat aliquãdo ſub diuo bonus ille excubitor, ac ſpiritum cœlo intentum, inſtar D. Martini ab oratione non relaxabat, cum ecce ſubitò intentis in cœlum oculis, ſuperna lux omne corporeũ lumen ſuperans infulſit, in qua & iuuenis ille (quem tãtiſper fleuerat) iucundus clarusque apparuit, qui admirantem timentemque ita eſt allocutus. Quid turbaris, inquit? Agnoſcis ne filium tuum? Redi ad mentem, & mecum, vt ſolebas, colloquere. De ſtatu meo ſi ſcire cupis, noueris tuum ſince-

Miraculũ aliud de eodẽ Conuerſo.

rum amorem, tuam in me compaſſionem, tuas deniq; ſollicitas iugesque orationes mihi plurimò auxilio fuiſſe, & me tandem ad illum ſtatum perueniſſe, in quo tibi vices rependere, & tibi quoq; prodeſſe queam. Dixerat, & ſtatim vnde venerat, paululùm eo vidente regredi cępit. Referebat aût huius viſionis inſpector, iuuenem ipſum, dum à ſe recederet cęlumque aſcenderet, non auerſa facie, ſed recto conuerſoque vultu ad ſuperna rediiſſe, eoque modo perſeueraſſe, quoad patenti cœlo receptus videri vltrà nō potuit. Sed de his hactenus. Ecce qualem prolem pius Pater Guigo habuit, qui & ipſe quinquageſimum ætatis, conuerſionis verò triceſimum, Prioratus aût ſui vigeſimum ſeptimum vel circiter annum agens, non ſine ſanctitatis opinione ſpiritū Domino reddidit, anno Domini ſuprà milleſimum centeſimo trigeſimo ſeptimo. Ab incœptione verò ordinis tertio & quinquageſimo. Quo tépore vel circa floruit in domo Portarum prouinciæ Burgundianæ B. Pater Bernardus eiuſdem domus Prior: de quo nobis agendum eſt.

Guigo quo tempore mortuus eſt.

Bernardus Portarū Prior vir miræ ſanctitatis, ac (D. teſtante Bernardo Clareuallenſi) verus homo Dei, à cuius ore & calamo ſalutarium exhortationum candor prodijt inenarrabilis. Hic aſſiduis orationibus deditus erat, ita vt diuinis laudibus plena in eo eſſent omnia. Hic etiam iugi lectione aſſiduaque meditatione ſacrum pectus ſuum bibliothecam fecerat Chriſti. Hic quoque non ſolùm vtiliter ſibi, ſed alijs etiam viuendū arbitratus, partim adhortationibus, partim litteris, innumeros ad vitam æternā inflāmauit. Inter quos inprimis numeratur beatus Ancelinus, poſtea Bellicēſis Antiſtes, quē ſua exhor-

Bernard⁹ Portarum Prior vir miræ ſanctitatis.

exhortatione hic Bernardus mundo ſubtraxit, ſacroque habitu donauit, eripuit ſeculo, & ſummo lucratus eſt Olympo. Inter epiſtolas quoq;, quas non tantùm magno verborum ornatur venuſtatas, ſententiarumq; maieſtate refertas, ſed diuinis quoque fultas ornamentis ſcripſit, illæ habentur præcipuæ, quas ad diuum Bernardum Clareuallenſem prædictum dedit, quibus ad exponenda Cantica Canticorum vehementius ſtimulauit, tandemq; impetrauit. Quod ſanè donũ à Bernardo Clareuallenſi profectum, quàm gratum Bernardo Cartuſienſi fuerit, facilè dici non poteſt. Donum ſanè pretioſiſſimũ, mutui veriq; amoris inter Bernardos egregios pign⁹ immortale. Sed cœptum proſequamur. Hic Bernardus tantæ æſtimationis fuit, vt teſtante ipſo D. Bernardo Abbate in quadam Epiſtola ad Innocentium II. Pontificem maximum, ad Præſulatum quendam in Lombardia fuerit electus. Denique multis præditus virtutibus, multis quoque prodigijs poſt mortem celebris effectus, tandem inter ſuos poſteros clarus admodum effulſit. Iure igitur cum Boſtio carmen Mantuani vſurpare poſſum huiuſcemodi: *Epiſt. 155.* *Mantuanum.*

Qui venit ægrotus, redit ad ſua Limina liber:
Et miſeros homines oſſa ſepulta iuuant.
Loripedes, oculis capti, nodisq; podagræ,
Diuinam illabi teſtificantur opem.
Summa virum probitas, ſimul & miracula ſanctum
Eſſe probant, fidei ſi ſit habenda fides.

Sed iam de Ancelino huius D. Bernardi Prioris (de quo nuper meminimus) alumno egregio latiùs proſequamur. Beatus Ancelinus claris natalibus ortus, & humanis, diuinisq; literis apprimè eruditus, cùm ſalutaria verba ab ipſo Bernardo *Ancelinum.*

nardo

in cella maneret, peſtiferum ſciſma ſubortum eſt, quod Eccleſiam Dei turbare incepit. Cùm enim Cardinales Alexandrum in Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem ſublimaſſent, Othomannus quidam imperatoris præſidio fultus, Apoſtolicam ſedem inuaſit. Verùm authore Ancelino, Cartuſienſis ordo primus ante omnes Alexandrum in Apoſtolicum recipere, eiq́; prorſus obedire curauit. Hic igitur Ancelinus cum Gaufrido magnæ ſapientiæ, egregiæq́; facundiæ viro, qua plurimos Eccleſiaſtici ordinis Prælatos à deuio errore reuocans, effecit, vt reprobo reprobato, Alexander tertius confirmatus ſit. Hęc itaque cùm acta fuiſſent, & Bellicēſis Eccleſia ſuo fuiſſet pręſule viduata, Ancelinus ipſe canonicè electus, & à præfato Alexandro papa confirmatus, tandem coactus eſt Pontificiam ſarcinam renitentibus humeris imponere. Quid autem effectus epiſcopus geſſerit, quid virtutum habuerit, quam diligentiam in ſubditis regendis adhibuerit, quem zelum contra Eccleſiæ hoſtes conſtanter oſtenderit, quantis denique ſignis clarus euaſerit, facilè dici non poteſt. Enimuerò ſi de virtutibus agatur, tanta abſtinētia fuit, tanta religionis perſeuerantia vixit, tantaque eleemoſynarum largitione, alijsq́; pijs iuſtisq́ue operibus abundauit, vt omnes & videntes, & audientes in ſtuporem verterentur. Ita enim in ſingulis eminebat virtutibus, ac ſi alias non haberet. Quid miram eius diligentiam in ſubditis probè dirigendis referā? Suos etenim ſubiectos præſertim ſacerdotes ſeu Capellanos, inſolentes arguendo, obſecrando, prædicando, caſtigando, oleum cum vino miſcendo emendare, bonoſq́ue reddere mirum in modum laborauit. Tanta ei cura fuit tribulos

Ancelinus in Epiſc. Bellicensē præficitur.

ex

ex agro Dominico feruidè diuellere, zizaniamque & lolium infœlices herbas ſarculo veritatis præſcindere, ſemen bonum ſeminare, cœleſtibusque imbribus irrorare, vt nihil magis. Inter pulchra quoque boni paſtoris officia, non eſt ſilentio prætereundus feruidus eius zelus, quem præſertim in tuenda immunitate dignitateque Eccleſiæ habuit. Ita enim viriliter & animosè, magnaque ac plena ſpiritus libertate eam tutatus eſt, vt nulli parceret, nullius perſonam acciperet, nihil metueret, ſed tanquàm qui martyrium ſperaret, contrauenientes audenti ſermone cohiberet, interdumque anathemate ligaret, quos nec ſoluebat quidem, niſi digna ſatisfactione præuia mererentur. Quod ſanè patuit in Humberto Amedei filio Comite Sabaudiæ, in quem pectoris ſui diuinum atque inuictum robur ipſe Ancelinus exercuit, vtpotè quem, licèt patriæ Principem, excommunicationis vinculo coram ligauit, quòd & ſacerdotem quendam capi feciſſet, redderéq; denegaſſet, & calumniam faceret, quędam in Eccleſiæ poſſeſſionibus iura prætendens. Quapropter grauè tanti principis ſuorumq; optimatum incurrit odium, adeò vt eum ſtatim pro tantæ temeritatis auſu, dicerent capite puniendum. Verùm tanquàm Helias nihil formidans, minasq; illas floccifaciens, ſententiam expreſsiùs inculcauit. Quid plura? Cùm Apoſtolicæ ſedi Comes ipſe intimaſſet, ſe cōtra priuilegium Apoſtolicum ſibi conceſſum, ab Epiſcopo Bellicenſi excōmunicatum fuiſſe, & à Papa ipſi Ancelino mandatū eſſet, vt Comitem ipſum abſolueret, conſtanter refutauit, dicens, eum qui iuſtè ligatus eſſet, ſolui non debere, niſi præuia ſatisfactione. Denique cùm principem ipſum

ipſum Papa abſoluiſſet, idque per literas Epiſcopo ſignificaſſet, tam grauiter tulit Ancelinus ipſe, vt relicta cathedra in cellæ ſolitudinem ſe receperit. At verò ſuis à clericis diſceſſum eius malè ferentibus, tandem reuocatus, ad ſuas ouiculas bonus paſtor reuerſus eſt. Verùm comitem ipſum non abſoluit, quò ad omnem calumniam deferens, iureiurando Eccleſiam ſe defenſurum promiſit. Sed iam penè nimis ab inſtituto digreſſi, cætera proſequamur, & quædam ex miraculis (quibus ipſius Ancelini ſanctitas emicuit) ſubnectamus. In vita ſiquidem, & morte, ac poſt mortem ſanctimonia eius declarata eſt. Enimuerò dum adhuc viueret, & à Viuamundo quodam amico ſuo receptus hoſpes, de fide ac bonis coniugijs eum cũ ſua conſorte exhortat⁹ fuiſſet, tandemq; eos prole (quã nimiùm deſiderabãt) carere intellexiſſet, vocãs ad ſe mulierem, ſignũ crucis in fronte illius impreſſit, & quaſi iocans dixit: In nomine Domini facito mihi vnũ filium. Res mira. In virtute ſanctæ crucis mandatum fides, & fidem ſecutus eſt effectus. Quandoquidem ob natum eis filium intra annum magnoperè lætantes, gratias ingentes egerunt. In fœlici quoque obitu ſanctitas eius manifeſtata eſt. Cùm enim præfatus Sabaudiæ Princeps Hũbertus accepiſſet ſanctũ Dei virum rebus humanis breui exceſſurũ, admonitusq; fuiſſet, vt dimiſſa calumnia tanti patris, veniã benedictionemq; peteret, idq; ſanis conſilijs audiens effeciſſet, vir Dei morti vicinus, impoſitis Comiti manib⁹, hanc ei dedit benedictionem. Deus (inquit) omnipotens Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus benedictionis gratiæque ſuæ tibi tribuat largitatem, & creſcere te faciat ac

Miracula quædã S. Ancelini.

filium

filium tuum. Cumque hi, qui aderant, putantes eum errare (non enim Comes ipſe filium habebat, ſed filiam) ſuggererent, vt filiam diceret, ille iterum ac tertio filium repetiuit. Quæ ſanè prophetia non multò poſt tempore, nato Comiti filio impleta fuit. Denique innumeris poſt mortẽ miraculis ſanctitas eius haud dubiè probata eſt. De quibus tria in medium protuliſſe ſufficiet. Dum ſacrum corpus tumulo conderetur, omnium qui aderant oculis mirabile ſpectaculum apparuit. Siquidem in vna lampadum, quę ibi erãt, & diebus duntaxat præcipuis ac ſolennibus accendi conſueuerant, viſus eſt ab aſtantibus ignis flammeſcere, & imměſo lumine coruſcare. Dum autem mirarentur, en duæ aliæ ſimul accenſæ, quæ plus ſolito micantes, præclaram celebritatem, non funeris, ſed triũphi deſignabant. Hinc fit clamor exultantis Eccleſię, fit & concurſus omnium, tam inſolitũ ſpectaculum admirãtium, Deumque in Sancto ſuo mirabilem acclamantium. Porrò quidam nobilis adoleſcens diro hemitritæo, hoc eſt, febre quotidiana cum tertiana, ſimulque epilentia ſeu paſſione caduca laborans, cùm de vino, quo ſacrum viri ſancti corpuſculum fuerat ablutum, hauſiſſet, prorſus liberatus eſt. Quo etiam poculo multi alij diuerſis morbis affecti, ſanitatem receperunt. Denique cùm puerulus quidã trimulus in gurgite lapſus, ibique extinctus, & à matre inuentus tandẽ fuiſſet, à parentibus & vicinis ad ſancti viri ſepulchrum allatus, paruo interuallo facto ſtupentibus omnibus ſurrexit, & aſſumpto baculo, qui iuxta eum erat, ambulans, ſeque vertens ad ſancti viri ſepulchrum reſedit: ſicq; inuentus incolumis ac nihil mali habens, ad propria cum gra-

tiarum actione reductus eſt. Sed de his hactenus. Iam verò de alijs delectis Cartuſianis proſequamur. Baſilius maioris Cartuſiæ Prior octauus, præfatiq; D. Ancelini ſucceſſor optimè meritus (eum enim ſibi præfatus Ancelinus quietis amore illectus, ſucceſſorem in regimine Cartuſiano inſtitui fecerat) multa ſcientia præclarus, eximijsque virtutibus cumulatus, domum Cartuſiæ maioris (cui tres & viginti annos præfuit) totumque ordinem prudentiſſimè gubernans, in ſpiritualibus temporalibusq; non parum ampliauit. Multas enim conſtitutiones ad ordinis conſeruationem pertinentis edidit. Multos quoque lingua calamoque ad mundi contemptum ac æternam vitam concitauit, & demũ multos ad ordinem, qui ſuo tempore multum in domibus accepit incrementum, recepit. Inter quos fuit ſanctiſſimus Hugo, poſteà Lincolnienſis epiſcopus, de quo paulò pòſt dicturi ſumus. Denique cùm præclari regiminis exemplum, & ſuæ quoque vitæ monimenta poſteritati dimiſiſſet, tandem deficiens in ſenectute bona poſt labores, ſudoresque ſacræ militiæ peractæ, migrauit ad Chriſtum circa annum Domini milleſimum centeſimum ſeptuageſimum tertium, ſepultusq; eſt cum miraculorum ſplẽdore multo, quæ ſanctitati illius teſtimonia perhibuerunt. Sed & eius ſanctimonia mirabili apparitione poſt fęlicem obitum luculenter manifeſtata eſt. Contigit enim Hugonẽ (de quo ſtatim dicem') poſt mortem ipſius Baſilij, Chriſto in maiori Cartuſia militantem, tam graui, tamq; importuna carnis tentatione pulſari, vt penè mallet gehennalibus flammis, quam tantis moleſtijs cruciari. Tam grauis enim fuit tentatio, vt dignis verbis nemo

Baſilius Prior maioris Cartuſiæ 8.

Migrat ad Chriſtum an. 1173.

Apparet B. Hugoni poſt mortem, eumque à carnis tentatione liberat.

conſequi poſſit. Cùm autem lachrymis, gemitibusq; innumeris propterea ſe cóficeret, ieiunijſque ac vigilijs infatigabiliter inſiſteret, & crebra duraq; flagellatione corpus ſecans, tentationem propellere, ac diuinũ auxiliũ ſolicitare nõ ceſſaret, tandem leuis eum ſopor inuaſit. Cui ſoporato hic vir Dei Baſilius vultu angelico, candidoq; amictu apparens, quid haberet, quidque exoptaret, blandula voce percunctatus eſt. Cui Hugo: Bone, inquit, pater, pieq; nutritor, affligit me ad mortem vſque lex peccati, importabilia carnis incendia bulliunt, meque dira tyrannis grauiſſimè premit. Si itaque mihi opem ſolito more nõ tuleris, en moritur puer tuus. His dictis, mox Baſilius ipſe patefactis nouacula, quam manu tenere videbatur, inteſtinis, quaſi ſtrumam igneã inde conuellere, longiusq; extra cellam proijcere, & demùm benedictione data recedere, viſus eſt. Quo abſcedente ſomnoque fugiente, Hugo ſibi redditus, multaque lætitia plenus mirabilẽ tùm mentis, tũ corporis mutationẽ grauiſſimãque tranquillitatẽ perſenſit. Huic ergo contigit, quod Sereno Abbati accidiſſe, apud Caſſianum Collatione ſeptima legitur, cui poſtq̃ ſupplicatione iugi, lachrymisq; multis pro ſtimulis carnis radicitus conuellendis Deũ exoraſſet, adueniens Angelus in viſione nocturna, eiusque velut aperiens vterũ, quendam ignitam carnis ſtrumam de eius viſceribus euellens, ac proijciens, ſuisq; omnia vt fuerant locis inteſtina reſtitués: ecce (inquit) incentina carnis tuæ abſciſa ſunt, & obtinuiſſe te noueris perpetuam corporis puritaté, quam fideliter popoſciſti. Quod igitur Sereno, hoc Hugoni noſtro contigiſſe fideli teſtimonio cópertum eſt. Sed iam de ipſo Hugone

Serenus Abbas.

vel

vel pauca quædam memoria digna in præſentia- *S. Hugo*
rum afferam᷒.S.Hugo,ex Priore de VVithan in *Lincol-*
Anglia,Lincolnienſis Epiſcopus, nobili ſangui- *nienſ. epi-*
ne cretus,ab ipſis penè cunabilis, regularem vitã *ſcopus.*
ſuſcepit,mundumque ipſum,antequàm per ætatem cognoſcere poſſet, deſtituit. Siquidem circiter octo natus annos à patre ſuo militaris ordinis viro egregio, honeſto, ac mira benignitate referto,cuidã Canonicorum Regularium conuentui in territorio Gratianopolitano oblatus, & cum hęreditatis parte(quæ ei inter fratres minimo competebat) ſuſceptus, more Samuelis *ac-* *1.Reg.2.*
cinctus Ephod lineo, miniſtrare Domino cœpit. Cui religioſus quidã admodũ ſpectatus, præceptor datus, eum præ cæteris (quos imbuendos ſuſceperat)peculiariùs admonere ſolebat. Solebat(inquã) à ludendi, iocandique vanitate ipsũ ſæpius auertere, hoc modo dicens: Non te fili dulciſſime abducat iuuenilis ſociorum leuitas. Illos dimitte,tibi incumbe. Tuæ ſortis nõ ſunt, illa tibi ſtudia minimè conueniunt. Addebat quoque: Hugonete, Hugonete, ego te Chriſto nutrio, tibi pueriliter laſciuire non indulgeo. O quàm vera eſt poëtica ſententia?

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Talibus etenim imbutus pręceptis Hugo noſter, ſeculi vanitates prors᷒ neſciuit,quod & grãdior effectus ita dictitare ſolitus erat:Re vera,inquit, ego mundi huius grandia nunquam attigi: iocos nunquam didici,nunquam ſciui. Poſtmodùm *Nota.*
cùm pater ipſe,qui eũ corporaliter genuerat,vitam veſtemque regularem in eodem cœnobio ſuſcepiſſet,& multis,vt aſſolet, ſenectutis incõmodis eſſet affectus: Hugo ipſe omnem ei hu-

 mili-

militatem exhibebat, ducebat, portabat, ſordidatas veſtes mundabat,calceamenta tergebat, lectum ſternebat,cibos parabat,& denique omnia ei pietatis officia impendebat. Quæ diligenter Abbas eius conſiderans,prudenterq; præſagiens, admirandã Hugonis fore ſenectutem,cuius tam egregia iuuẽtus videbatur, iuramentũ ab eo exegit,ne ſe(quod vehementer timebat)deſereret. At verò Hugo ipſe bono Cartuſianorum odore (qui tum longè,lateque diffuſus erat)ſimulq; ſolitariæ perfectioriſque vitæ deſiderio tractus, nihilominùs Cartuſiam adiuit. Qua in re ſi quiſpiam obloquatur, dicatq; Hugonem nec vitam præſertim inuito Prælato mutare, nec iuſiurandum violare debuiſſe; intelligat,vitam inferiorem in altiorem commutari poſſe, modò nulla aſſit temeritas,& voluntatẽ quoque Prælati impedire non potuiſſe, quippe quæ citra cauſam à maiori bono auertebat,& demum iuſiurandum nullius fuiſſe momenti, vtpotè quod nec decebat,nec expediebat obſeruari. Cuius rei argumẽtum eſt,quòd Hugo ipſe referre ſolitus erat, ſe propterea ne ſcrupulum quidem vllum aliquando habuiſſe,ſed multam potius animi tranquillitatem. Verùm(vt cœptum proſequamur) Hugo in maiori Cartuſia cõſtitutus, cellæ,ſilentijque cenſuram obſeruare,vitæ aſperitatem ſectari,lectioni operam dare,vacare orationi,benignum omnibus ſe exhibere, regularem vitam tenere,& demum alia ſanctæ conuerſationis officia exhibere,totis viribus curauit. Quo in loco prætereundum non eſt, eum , quaſi ad onera ſenum ferenda natus eſſet,cuiuſdam ſenioris patris (qui eum ſpiritu prophetico antiſtitẽ futurum prænunciauit) diligenter neceſſitatibus omni-

mnibus conſuluiſſe, & ſæpius fuiſſe conqueſtum de nimia temporis breuitate, quam ſuis profe-ctibus nouercari dicebat. Quid aūt difficultatis habuerit in reprimēdis carnalis inſolentiæ motibus (quas ibi perpeſſus eſt) paulò antè retulimus. Poſteà verò Procurator domus illius effectus, quanta diligentia, quanta cura, quanta denique prudentia creditum ſibi officium exercuerit, facilè dici non poteſt. Nec tamen, multorum inſtar, ita ſe totum rerum temporalium ſollicitudini dabat, quin & decēter ſpiritalibus incumberet. Ita templum ingrediens, cappamque ſuam antequā chorum ingrederetur dimittens, & ſuas quaſi cogitationes ac ſollicitudines alloquens, dicebat: Hîc cum cappa manete, quoad regreſſus, vos rurſus aſſumam. Cùm autem duo ferè luſtra in maiori Cartuſia exegiſſet, Rex Angliæ ædificandi Cartuſiani conuentus deſiderio accenſus, procuratorem Cartuſiæ, quem virum admodum egregium atq; induſtrium, fama referente, nouerat, ſibi donari, & in Priorem pręfici poſtulauit. Sarcina igitur illa Hugo onuſtus, mirū in modum ſtuduit gregem ſibi creditum fideliter curare. In quo quidem regendo, licet manſuetudinem, qua mirum in modum pręditus erat, ſemper intus ſeruārit, ſæpe tamen terrorem verbis incutiebat, conteſtans ſe duriter acturū, ſi quid perperā efficeretur. Verùm grex ipſe potiùs mentem quā minas conſiderans, mirum in modum paſtorem & diligebat, & obſeruabat. Cùm autem ipſum gregem ſibi creditū in deſerto cuſtodiret, & Eccleſia Lincolnienſis paſtore orbata eſſet, volente Deo, in præſulem ipſius cōcorditer delectus fuit. Quam electionem acceptare noluit, niſi primū de vnanimi omniū

Hugo procurator Cartuſiæ maioris efficitur.

Rex Angliæ poſtulat eū in Priorē Witamēſem.

Eligitur in Epiſcopum Lincolnienſ.

Canonicorum aſſenſu certior efficeretur. Deinde vbi luculenter illius rei fides facta eſt, quaſi modos excogitans, quibus tantam à ſe ſarcinam reijceret, proteſtatus eſt, ea ſe nũquàm acceptaturũ, niſi maioris Cartuſiæ cõſenſus inprmis accederet. Quo tãdem poſt multos longiſſimi itineris labores habito, munus ipſum obire cõpulſus, nocte ſequenti, dum ſopôre præſſus eſſet, animoſior robuſtiorque effectus eſt, cœleſti viAbac.3. ſione ac voce ita ſibi dicente: *Egreſſus es in ſalutẽ populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*. Quid autem Pontificium adeptus fecerit, quantùm virtutibus creuerit, qualem in ipſo ſtatu ſe exhibuerit, quibus deniq; ſignis ſanctitatis opinionem fuerit conſecutus, puto neminẽ dignis verbis conſequi poſſe. In delitijs ſiquidem ingentem vitæ aſperitatem ſectabatur, in diuitijs paupertatem colebat. In ſublimitate profundam tenebat humilitatem, in faſtigio tanti honoris priſtinam abiectionem ſeruabat. Denique pręſulis nomen miris maximisque operibus implens, omnibus perfectum Epiſcopum exhibebat. Quòd ſi diſcretum, feruidumque zelum eius fueris contẽplatus, videbis eum fuiſſe Moyſen murmuratoribus, Iehu Apoſtatis, Phineen adulteris, idololatris Heliam, Ioannem inceſtuoſis, Chriſtum negotiantibus, mentientibus Petrum, Paulum blaſphemantibus, Hieronymum deuiantibus, elatis Ambroſium, hæreticis Auguſtinum, & denique vitijs omnibus ita hoſtem acerrimum, vt vitia quidem perſequeretur, ſed naturam diligeret, ita vlcera ſecaret, vt languidos foueret, & oleum cũ vino miſcens, boni Paſtoris ac medici officia plenè exhiberet. Ad hæc tantam in regendo grege ſibi commiſſo diligentiam ac ſolicitu-

citudinem obſeruabat, conſulendo, monendo, corripiendo, docendo, prædicando, orando, cõpatiendo, diſcurrendo, & cætera eximio Pontifice digna efficiendo, vt inſtar Pauli omnibus omnia factus eſſet. Denique circa temporalia etiã ſollicitus, ita prudenter in eis tractandis ſe habebat, vt mirarentur vniuerſi, quo pacto vir in ſolitudine nutritus tantam rerum gerendarum peritiam haberet. Peculiarius autẽ ac latiùs huius admirabilis viri geſta omnia proſequi, nec inſtituti, nec animi quoque noſtri eſt. Pręſertim cùm ea ipſa in voluminibus multis, præſertim in eo quod Archidiaconus Lincolniẽſis de ſanctis mirandiſque actibus ac miraculis eius confecit, contineantur paſſimque habeantur. Quapropter ne longius diuagemur, conficiam, Hugonem ipſum poſt innumera ſublimiter ab eo geſta (quę vel hominũ electorũ merita longè tranſcendũt) in ſolennijs Sanctiſſimi Martini (cui & plurimũ deuotus, & in multis vſque adeò ſimilis fuit, vt eum vel æquare, vel certè propius referre putetur) poſt multa ſalutaria verba in extremo languore deprompta, anno 200. ſuprà milleſimum, ex ijs tenebris fœliciter ereptũ fuiſſe, & ad æternam lucem, fœlicitatemque demigraſſe. Ad cuius decorandum funus conuenêre duo Reges, Comites multi, Archiepiſcopi tres, Præſules quatuordecim, Abbates ſupra centum, & demùm vtriuſque ſexus innumerabiles, qui tanti Pontificis abſceſſum deflentes vehementius, debito cum honore multoq; cœleſtium ſignorum ſplendore ad Eccleſiam ſuam deducẽtes, honorificè ſepelierunt. Qui poſtmodùm ad Regis Angliæ optimatumque ſuorum inſtantiam ob eximiam ſanctitatem, innumeraque miracula *Migrat ex hoc ſeculo an. 1200.*

(quæ viuens,moriens,ac in cœleſtibus regnans,
Ab Honorio 3. Sanctorū Catalogo inſeritur. fecerat)ab Honorio III. Pontifice maximo dignè Canonizatus eſt. Enimuerò tot & tanta fecit,adhucq; facit miracula,vt nō ſolùm ad probandam eius ſanctimoniam ſufficere debeāt, ſed etiam ad repellendam eorum temeritatem, qui impudenter mentiuntur,nulla à Cartuſianis miracula facta fuiſſe.

Miracula S. Hugon. Tot enim leproſos (quos inſtar D. Martini dum viueret oſculari ſolebat) mundauit,tot morbos curauit, tot mortuos ſuſcitauit,tot demùm alia mira fecit, vt præ ingenti ſua copia numerari nequeant. Sed & frequentiſſimè adhuc per huius mirabilis viri Sanctiſſima merita Dominus mira oſtendere dignatur. Nam(vt cætera taceam)in Valle viridi Cartuſiana,quæ ad muros Pariſianos ſita eſt, imago quædam eſt,ad quam languētes infantuli paſſim geſtati ſanitatem recipiunt. Multum igitur debet tam ſancto viro Cartuſianus ordo: vtpotè qui virtutibus,meritis, ſignis,ac beneficijs eius permultis mirum in modum illuſtratus ſit. Fateor,

Hugo Gratianopolit. multos Hugones ordini ipſi ſplendorem multū attuliſſe, ſcilicet S. Hugonem antiſtitem Gratianopolitanum, qui cum Brunone complantator ordinis fuit.

Hugo Viennenſis. Hugonem quoq; eius ſucceſſorem, qui poſtmodum Archiepiſcopatui Viennenſi præſedit.

Hugo Capellan. Inſuper Hugonem Capellanum, qui de comitibus alumniſq; Brunonis vnus fuit.

Hugo Cartuſ. Hugonem deniq; Cartuſiæ Priorem, qui Guigoni ſucceſſit.

Hugo Lincolnienſ. Verùm hos omnes hic Hugo Lincolnienſis longè antecedens, præ cæteris omnibus ordinem ipſum illuſtriorem reddidit. Sed de his ſatis. Iam ad reliquos eximios, delectoſq; Cartuſianos accedamus. In quibus reticendus non eſt B. Stephanus, de quo agendū eſt. Beatus

Stepha-

Stephanus ex Priore Portarum, Epiſcop. Dienſis effectus, S. Hugonis præfati temporibus vel circiter, lumen ſuum dedit. Qui ſanè forma virtutum, exemplum religionis Sanctitatis ſpecimen, totiusq; diſciplinæ ſumma, multorũ ſaluti partim exẽplo, partim verò doctrina (qua eminenter præditus erat) eamque modò viua voce, modò ſcriptis impertiebatur, profuit. Itaq; non ſolùm religionem, dignitatemq; ſuam nobilitauit, ſed & totius orbis decus, ſplendor ac lumen extitit. Qui Pōtifex miraculosè creatus, tot tantisq; in vita & poſt mortem miraculis effulſit, vt legentes in ſtuporem vertant. Siquidem mortuos ſuſcitauit, mundauit leproſos, cæcos illuminauit, aliasque infirmitates plures, quàm numerari poſſunt, curauit, quemadmodum in libro, qui geſta ei⁹ refert, partim habetur. Poſtquàm autem multis claruiſſet virtutum ſignis, tandem anno Domini tertiodecimo poſt milleſimum ducenteſimũ terras linquens aſtra petiuit. Hoc in loco quid (obſecro) dicturi ſunt liuidi obtrectatores, qui mendaciter aſſerunt Cartuſianos, nullo miraculorum ſplendore decoratos fuiſſe? Sed horum inſaniam prætereuntes, de alijs delectis Cartuſianis agamus. Iancelinus maioris Cartuſiæ Prior decimus, tam eximiæ ſanctitatis, tanti meriti, tam luminoſi exempli, tamque præſtantis virtutis extitit, vt vnus de antiquis Patribus Sanctis deputaretur. Hic (quod dictu quoque mirum eſt) ſarcinam Prioratus maioris Cartuſiæ circiter ſexaginta annos, vſque adeò laudabiliter geſſit, vt in ſtuporem videntes, audientesq; omnes verterentur. Hic quoq; ſacri ordinis habitu Petrum Frecoldi, Patrem Clementis ſummi Pontificis IV. donauit. Hic

Stephanus Epiſcopus Dienſis. Quantis miraculis claruit.

Aſtra petit, anno 1213.

Iancelinus Prior Cartuſiæ maioris 10.

inſuper defunctum quendam Monachum, præcepto obedientię fecit à miraculorum oſtenſione ceſſare. Erat ſiquidem tunc temporis Cartuſiæ, Monachus quidam ſanctiſſimæ vitæ, obedientiæque ſingularis, quem Deus poſt mortem tam innumeris patentibusq; miraculis illuſtrauerat, vt iam languentes innumeri de Sabaudia, & Delphinatū ad maiorem Cartuſiam (in qua tumulatus erat) gratia ſanitatis cōfluerent. Confluerent (inquam) leproſi, cœci, ſurdi, muti, paralitici, alijsque varijs morbis ac detrimentis affecti, qui mox vbi ſepulchrum Sancti illius Cartuſiani attigiſſent, ſanitatem recipiebant. Itaque ſtupor omnes inuaſerat, tanta magnalia quæ Deus ipſe per Sāctum ſuum operabatur, intuentes. At verò diabolus mille fraudum artifex, qui & Sanctorum ſolennijs ſua quoque ſacra immiſcere, & per ſua membra, hoc eſt, mundiales vanosque homines ſolennitates ipſas fœdare, illudere, omnique laſciuia ac vanitate implere, & demùm callida deuotionis impedimenta parare aſſueuit, ſui liuoris ac nequitiæ, etiam in hac parte venena diffudit. Siquidem verſutia illius tanti ſtrepitus hominum ſine modo concurrentium ſonabat, tantisque turbationibus plena erant omnia, vt Monachis nec Deo vacare, nec quietem vllam habere liceret, quinetiam multa (quod peius eſt) turpiter ac inhoneſtè fiebant, quæ intoleranda videbantur. Quę Iancelinus ipſe vir perſpicacis ingenij diligenter animaduertens, ſuorumque fratrū nimiam inquietudinem grauiter ferens, tantis incōmodis viriliter obuiandum cenſuit. Itaque his vel ſimilibus, quantum coniectare licet, queſtibus Sanctū ſuum aggreſſus, inquit: Siccine fili chariſſi-

Monachus quidam Cartuſ. quanta miracula fecit.

riſſime nobiſcum agis? Eſt ne hæc gratia quam nobis impendis? Ergone perpetuam quietem adeptus, tam grauis inquietudinis bella nobis inducis? Non ſic fili, non ſic, ſed eodem pugione, quo aduerſarium confodiſti, eo te aggrediar neceſſe eſt. Obedientia enim, quæ tibi viriliter in huius certaminis campo dimicanti ſempiternam pacem promeruit, tuis quoque fratribus quietem (ni fallor) ipſa pariet. In virtute igitur ſanctę obedientiæ præcipio fili, vt eam, quam viuus obedientiam obſeruaſti, etiam nūc exhibeas, nec miraculum ampliùs vllum deinceps facere præſumas. O miraculum ſeculis inauditum: Miraculum (inquam) admirandum, quod miraculis ſilentium impoſuit, & obedientiæ maximam laudem virtutemque inſinuauit. Cuius ſcilicet tanta vis fuit, vt à miraculorū oſtenſione, etiam defunctum compeſceret. Siquidem nullum poſteà miraculum ad ſepulchrū illius effectum eſt. Denique hic Iancelinus poſt diuturnos huius moribundæ vitæ labores, tandem in ſenectute ſancta deficiens, Anno Domini 1233. perpetuam quietem habiturus Paradiſiacas ſedes adiuit. Sed ad alios tranſeamus. Boſo Cartuſiæ Prior ſextus decimus, vir magnæ ſanctitatis, eximiæ vitæ, & magni apud Deum, hominesque meriti, inter cæteras quas habuit virtutes, zelo ac feruore ingenti præditus fuit, & in tuendis Eccleſiæ iuribus virilem ſe exhibuit. Etenim (vt cætera reticeantur) cùm ſeculares quidam minam ferream in terminis Cartuſiæ inuaſiſſent, vir Dei ſenectutis oblitus, bacilloq; imbecilla membra ſuſtentans, montem ferè inacceſſibilem aſcendit, & inuaſores ipſos (quos primùm dulciter à temeritate reuocare

Miracula rarum.

Decedit ann. 1233.

Boſo Cartuſ. maioris Prior 16.

care

care non potuerat) durioribus tandem ac minacibus verbis à cœpto cohibuit. Hic quoque hominem à morte precibus ſuis ac meritis præpotentibus, dum adhuc viueret, ſuſcitauit. Cùm enim Cartuſiæ fabrica quædam erigeretur, contigit aliquem ex ſummo illius faſtigio in terram corruere, totoq; corpore perfracto animam efflare. Qui cùm ad B. Boſonem adductus fuiſſet, precibus ad Dominū fuſis, mox ſuſcitatus & priſtinæ ſanitati redditus, ad cęptum opus redijt, ac ſi nihil ei cōtigiſſet. Deniq; poſtquam in omniū virtutū conſummatione perfectus Boſo 35. ann. vel circiter, in Prioratu Cartuſię exegiſſet, in ſenectute bona defecit, felixq; migrauit ad Chriſtum circa annū Domini tertiumdecimum poſt mille trecentos. Super cuius ſepulchro naſcitur herba, quæ multis præſtitit, quotidieq; præſtat medelam languidis, præſertim febricitantibus. Multi enim frequenter ſanitatis gratia Cartuſiā adeunt, qui herbam illā, quę ſuper eius aliorumque ſanctorum, qui ibi ſepulti ſunt, ſepulchris naſcitur, capientes optatę ſanitatis remedia conſequuntur. Proinde ruſtici regionis illius nulla ferè alia medicina in ſuis infirmitatibus vtūtur.

Mortuus ſuſcitatus.

Petrus Fauerij Prior S. Crucis.

Petrus Fauerij Cartuſiæ maioris, magnæque religionis ac deuotionis Monachus, pro integritate morum inprimis Prior ſanctæ Crucis, deinde cùm multa induſtria ingenijque ſubtilitate præditus videretur, totius ordinis procurator generalis, pro cauſis in Auinione tractandis, inſtitutus fuit. Qui obedientiæ ſibi creditæ cùm totis pro viribus reſpōderet, extremam incidit ægrotationem, in qua ſanctimonia eius manifeſta eſt. Enimuerò cùm Eccleſiaſticis ſacramentis deuotè ſuſceptis, ad horā fuiſſet dimiſſus, ecce Sathan huma-

humani generis aduerſarius implacabilis, mox ante lectum eius affuit. Qui magnum volumen, in quo omnia, quæ infirmus ille piacula toto tē pore vitæ admiſerat conſcripta erant, geſtans, proteruè inſultando, miroq; modo cachinnando, ea ipſi languenti improperare cœpit. Cùm autem terrore illius horribilis viſionis, ac importunitate hoſtis deſperationem perſuadere conantis obmuteſceret, tremeret, palleſceret, ac deſperationi proximus eſſet, ſubito mœſtorum ſolamen, laborantium fortitudo, deſperantiumque leuamen affuit Deipara MARIA, inenarrabili ſplendore coruſcans. Quæ ſuis in vlnis puerum ſpecioſiſſimum geſtans, languidumque ipſum iam penè deſperantem ſuauiter alloquens: Cur frater diffidis? inquit. Per hunc puerum, quem pulcherrimum vides, omnia peccata tua ſoluta ſunt. Quibus dictis, Sathan prorſus cōfuſus turpiter abſceſſit, & ſtatim ipſa quoque Domina languentē ipſum incredibili lętitia affectū dimittens, cum puero diſparuit, poſt cuius abſceſſum maiori gaudio ſe refectum languidus ipſe ſenſit, quàm exprimere potuiſſet. Hęc autem viſio nō dormiente, ſed vigilante languido, die ad decliuium vergente facta fuit. Denique cùm nocte ſequenti, litaniam pro virili decantaret, ad eumq; locum veniſſet, in quo ſancti omnes inuocātur, atq; dicitur, Omnes ſancti, orate pro nobis: ſubitò languidus ipſe digitum manus dextræ leuās, cum maxima cordis lætitia ſubiūxit. Omnes ſancti, qui modò hîc eſtis, orate pro me. Quam poſtulationem magno cum feruore iterum atq; iterum repetens, ſpiritū Domino reddidit. Quo nimirum colligitur, ſanctum hunc Sanctos (qui ad eum contra prophanos ſpiritus prote-

Viſio horrifica eiuſdem.

Præſentia B. Mariæ virginis confortatiua.

protegendum aduenerant) vidiſſe, cum quibus ſancta illa anima carne ſoluta ſuperas manſiões adiuit. Anno Chriſtianæ ſalutis ſuprà mille trecentos nonodecimo, Ioãnes Tornerij maioris Cartuſiæ alumnus, vir plurimùm idoneus ac magnæ ſanctitatis & meriti fuit. Qui cùm ſacerdotalẽ ordinem aſſecutus, primã Miſſam pro more conuentualiter celebrare haberet, eumq; ad Eccleſiam venire tardantem Sacriſta vocaturus cellam intraſſet, vocaſſetque: totus inſtar flãmæ accenſus ac ſplendidus, itidẽ & cella tota igneo ſplendore micans apparuit, non ſecùs, ac ſolis radius in virtute ſua coruſcat. Qua de re Sacriſta vehementer attonitus, ſecumque viſionẽ huiuſmodi volutans, fortè cùm ad Eccleſiam redeundo verſus cellam aſpiceret, en (mirabile dictu) quatuor cæreos in aëre ſuper quatuor angulos dictæ cellę ardentes ac ſplendentes videt. Hæc autem feruntur circa annum Domini 1332. quo tempore Cartuſiam regebat Dominus Clarus ex Priore Parienſi Prior Cartuſiæ effectus, vir ſanè literis tùm ſecularibus, tùm diuinis nobiliter eruditus, facundiaq; mirabilis, & exhortatione efficaciſſimus. Qui tantæ opinionis, ac famæ fuit, vt paſſim diceretur, vix eius ſimilem in virtute, & ſcientia, in Eccleſia Dei poſſe reperiri. Proinde ſecundus mundi clericus à multis vocitabatur. Sed ad noſtrum Ioannem Tornerium redeuntes, addamus & alterum miraculum, quod eius ſanctimoniam comprobauit. Cùm Procurator Cartuſiæ fuiſſet effectus (erat enim nõ ſolùm contemplationi, ſed etiam actiuæ vitæ peraptus) & ad eum Ruſticus quidam literas, quas Inſtrumenta dicunt, detuliſſet, vt ab ipſo fortaſſe ſeruarentur, fortuito caſu cõtigit, lite-

Ioã. Tornerij Monach⁹ Cartuſiæ.

D. Clarus Prior Cartuſiæ.

Miraculum.

literas ipſas in copioſum ignem iactari. Is etenim Ruſticus cum ligna foco admoueret(frigus enim erat) literas ipſas inaduertenter in ignem cum lignis proiecit. Cùm aũt poſt multa verba, longumq; temporis interuallũ Ruſticus ipſe literas ſuas quæſiſſet, nec inueniſſet, tandemq; cõperiſſet, in ignẽ ſe eas ieciſſe, & propterea fleret, eiularet, & tantis ſe clamoribus diſcruciaret, vt deſperato homini ſimilis videretur, pius ipſe procurator miſericordia cõmotus, eum ſidere iuſſit. Deinde pauliſper ſeipſum ſegregans, & poſtmodum facta oratione, Ruſticum vocãs, vade, inquit, & inſtrumenta tua quære, vbi ea te ieciſſe noſti. Quid plura? venit ad ignem Ruſticus ipſe, optatas literas quæſiuit, quæſitas in medio flammæ inuenit, inuẽtas deniq; ſine vlla læſione integras totus mirabundus recepit. Quod vbi factũ eſt, procurator ipſe prudenter animaduertens, humanã gloriolam pijs operibus mirãdisque ſignis inſidiari ſolere, Ruſticũ orauit, ne rem geſtam cuiquã mortaliũ reuelaret. At verò rogantem non exaudiens, quod contigerat publicauit. Iacob⁹ de Viuiaco maioris Cartuſiæ Monachus admodum venerabilis, totuſq; contemplationi deditus, tanti conſilij, ſapientiæ ac diſcretionis fuit, vt qui cum eo verba facerent, aut conſilium peterent, quaſi Angelum Dei ſe putarẽt inueniſſe. Hic autem cùm Prioratũ Cartuſiæ ſuſcepiſſet, paulò pòſt quietis cõtemplationiſq; amore ſuccenſus, magnis importuniſq; precibus à generali capitulo abſolutionẽ impetrauit. Deinde cum iterũ in Prioratũ ipſum ſuffectus fuiſſet, & ſollicitudinem temporalium, ac negotiorũ frequẽter occurrentiũ inquietudinẽ grauiter ferret, per Capitulũ priuatũ ſe exauctorari fecit.

Ia. de Viuiaco Monach⁹ maioris [illegible] ac poſt[illegible] Prior.

Hæc

Hæc autẽ viciſſitudo atque importunitas, quantum non ſolùm patribus ordinis, ſed etiam Superis ingrata fuerit, ſequens euentus probauit. Enimuerò ſtatim poſt abſolutionem hanc, ita graui infirmitate animaduerſus fuit, vt ſinguli dicerent, & ipſe quoq; fateretur, propter huiuſmodi importunitatẽ ac ingratitudinem tantam à Deo ſe percuſſum eſſe. Etenim qui cæteris opẽ ferre poterat, alieno auxilio indiguit. Sed & Deus huiuſmodi detrimento non plenè contentus, volens vberiùs oſtendere, quantum Prior ipſe offendiſſet, dominicas ouiculas paſcere nolendo, talentum ſibi creditum abſcondendo, & demùm vocationem diuinam non ſatis aduertendo, talem ei parauit ſucceſſorẽ, qui tantam ingratitudinem ac importunitatem prorſus expiaret. Deniq; cùm digna pęnitudine multiſq; tribulationibus expurgatus foret, tandem anno Domini ſuprà milleſimum tricenteſimũ ſexageſimo ſecundo, ex præſentibus miſerijs liberatus, ad perpetuam tranſiuit fœlicitatem, qui & multis poſt obitum miraculis clarus effulſit. Hic aduertant, qui alienæ curæ gerendæ ſufficiunt, nec tamen pium laborem ſibi alijſq; vtilem ſubire volunt, malentes in clauſtri angulo neſcio quid verboſarum oratiuncularum iugiter ſuſurrare, quàm talentum ſibi creditũ alijs impertiri: huius, inquam, Iacobi exemplo diſcant, quàm grauiter offendant, præſertim quando importuna ſollicitatione ſuam abſolutionem amore quietis illecti extorquent, nec tamen grandius aliquid Reipublicę cõferre aliàs poſſunt. Sed quid? Si illi ipſi, qui vel nimia humilitate vel puſillanimitate ſeducti ſe exauctorari faciunt, meritò carpẽdi ſunt, qua (obſecro) vituperatione digni ſunt

Mortis debitum ſoluit, an. 1362.

In eos qui præeſſe laborant.

ſunt illi, qui nihil Prælatione dignum, nō ſcientiam, non virtutes, non prouidentiam, non exēplaritatem, nō demùm aliquid eorum, quæ ſublimis prælationis ſarcina, etiam angelicis viribus formidanda, poſtulat, habēt? imò nec quicquam norunt, niſi laxare habenas, palpare ſubditos, eoſque ſinere omnia agere pro omni ſentētia, quò ſuis in officijs perſeuerent diutius, pro quibus conſequendis totos neruos intendunt: quam, inquam, increpationem eos mereri putandum eſt? Proculdubio duriſſimum eis fiet iudicium, qui eiuſmodi ſunt. Nec ſolùm illis, ſed eis quoque, qui eos vel inſtituunt, vel inſtituentibus fauent, vel inſtitutos fouent, in grauem irreparabilemque animarum perniciem. Sed his dimiſſis, de Ioanne Birello, qui tribus annis interiectis huic Iacobo in Prioratu Cartuſiæ ſucceſſit, quicquam afferamus. Ioannes Birellus Prior Cartuſiæ 22. vir admirabilis vitæ ſanctitatiſque eximiæ, & humana quoque ac diuina ſcientia affatim præditus, tanta diſcretione ac deuotione refulſit, tantamq; gratiā apud Deū & homines habuit, vt ferè nullus eum in Eccleſia Dei vel authoritate, vel fama præceſſerit. Ea de re cùm Clemens Papa VI. viam fuiſſet vniuerſæ carnis ingreſſus, maior Cardinalium pars eum eligere in Summum Pontificem diſponebat: feciſſetque, niſi Petragoricenſis Cardinalis motu ac ſuaſione carnali territa, nimis leuiter auerſa fuiſſet. Sentiens enim Cardinalis ille, electionem ad Ioānem Birellum inclinare, cognoſcenſque eum ſummæ iuſtitiæ & æquitatis eſſe, Cardinales allocutus: vos (inquit) Domini neſcitis quid agitis. Perſuaſum habete, ſi Priorem Cartuſiæ elegeritis, aliter agere nos oportere.

Ioan. Birellus Cartuſ. Prior 22.

Ille enim qua eſt rectitudine vitæ, iuſtitiæque rigore, ad ſtatũ nos reuocabit antiquũ, noſtroſque equos currus agere faciet. Non enim cuiuſquam reueretur vultum aut perſonam, quoniã Eccleſiæ Dei zelo ſuccenſus, vt leo confidit. His dictis Cardinales perterriti, ſibique carnaliter plurimùm metuentes, Innocentium VI. in Papam elegerunt. Qui poſteà præfato Birello Cardinalatum obtulit, at ille oblatum acceptare noluit. Verùm frequenter literas Birellus ad eum exhortatorias dedit, quibus admonebat, vt à ſuis ſibi caueret nepotulis, ne animæ ſuæ & Eccleſiæ Dei fierent in ruinam. Quod vbi nepotes ipſi (quorum nõnulli Cardinales, alij Præſules erãt) reſciuerũt, in Priorem ipſum grauiter indignati ſunt, quòd ſcilicet propterea non poterant ab ipſo Papa ſæpius impetrare, quod poſcebant. Scripſit quoque hic vir Dei ad Principes alios, ac Reges epiſtolas admonitorias, qui eas tanquã à Deo tranſmiſſas accipientes, à multis propter eas illicitis ſe temperabant. Fuit enim potens in opere & ſermone, qui nec perſonam cuiuſquam accipiebat. Quem & Amedeus Sabaudiæ princeps in tanta veneratione habuit, vt nihil facere auderet, niſi quod Prior ipſe mandaſſet. Itaque omnia pectoris arcana cum eo communicabat, vtpotè quem pro patre ſpirituali & confeſſore habebat, & Cartuſiam vſque veniens ei ſæpè peccata ſua confitebatur. At verò cùm prolem non haberet, quæ ſibi in Comitatu ſuccederet, Prior ipſe poſtquam intellexit, eum fidere iuſſit, & cauſa in conuentu ſuo propoſita, indictaq; oratione, tandem filiũ ab vxore longo tempore ſterili precib⁹ impetrauit, qui & Amedeus dictus, etiã Sabaudiæ Princeps fuit. Porrò

Delphi-

Delphinus Viennenſis Humbertus,qui non minùs dicto Comite mandatis eius audiebat (quique Delphinatum Carolo filio regis Frāciæ dedit) conſilio eius ac ſuaſione habitum fratrum Prædicatorum ſuſcepit, tametſi religionē Cartuſianā ingredi decreuiſſet. Ab ipſo tamen Priore Birello diſſuaſus putatur, vtpotè qui perſpiciebat, aſperitatem Cartuſienſis ordinis eū ferre non poſſe, ea de re planiorem viam ſibi ſuadendam cenſuit. Ad hæc Pontius decretorum Doctor egregius, quem Vrbanus quintus in Sanctorum Catalogum propter vitæ ſanctimoniam ac multa miracula ab eo facta, referre voluit, dicta Birelli pro ſententijs habuit. Venire enim quotannis Cartuſiam conſueuerat ad Priorem ipſum viſendum, vt ſpiritum à curiæ tumultibus pauliſper releuaret, & pectoris ſecreta cum eo communicans, conſolationem acciperet. Cùm igitur Cardinales alijque præſtantes viri ad confirmationem ſuorum dictorum Auguſtinum, Ambroſium, alioſque doctores eximios citarent, potius ipſe Auinionem reuerſus, Ioannem Priorem Cartuſię ſeu verba ab eius ore ſuſcepta, pro ſuarum ſentētiarum roboratione ſæpius allegabat. Hinc factum eſt, vt audientes ſummam ipſius Prioris ſapientiam demirarētur. Inſuper, vt huius patris ſanctimonia declaretur, dum nocte quadam feſſa membra quieti dediſſet, ſubitò ad eum vox delapſa: ſurge, inquit, fratremque tuum grauiter laborantem viſitato, eiq; aptum antidotum diligēter adhibere curato. Quibus verbis cū plurimū attonitus eſſet, quod ſcilicet neminē in domo ſciret ægrotantē, mox in mentem venit Nouitius quidam ab eo receptus, quem nouerat de ordinis aſperitate tentari.

Proinde cellam eius properanter adiens, eum iam reperit habitum deponentem, ſuos complicantem pannos, & ſecularem quoque habitum reſumere volentem. Quod intuens vir Deo plenus, tanta ſpiritualium verborũ ſuauitate, tamque multo conſolationis imbre repleuit, vt poſteà vaferrimus hoſtis nunquam in eum valuerit præualere. Erat enim hic pater cohortatione efficaciſſimus, & in vita actiua pariter & contẽplatiua vſque adeò mirabilis, vt vix eius ſimilis inueniri poſſet. Dum enim contemplationi ſe dabat, tam extatico rapiebatur exceſſu, vt Seraphicus potiùs videretur, quàm humanus. Cùm verò ad actiuam deſcendebat, vltra hominis naturam etiam ipſam exercere videbatur. Nam licèt in multis eſſet occupatus vt Martha, non tamen vt ipſa, erga plurima turbabatur. Exemplo enim Aioth fortiſſimi ducis Iſrael (qui vtraque manu pro dextra vtebatur) ambidexter ſpiritalis fuit. Adde quòd ſicut proſperis non eleuabatur, ita nec frangebatur aduerſis. Denique cùm Deo placuit tanta eius merita remunerare, in morbum incidit, in quo perceptis deuotè ſacramentis morti proximus de lecto exilijt, & pauimento incubans, tanto ſe lachrymarum imbre perfudit, vt etiam pauimentum mádidum fieret. Tandem cùm litania diceretur, inter orantiũ verba defunctus eſt vita, ſeu potiùs de morte verã tranſiuit ad vitam, anno poſt mille trecẽtos ſexageſimo, die ſancto Epiphaniæ, cum miraculorum ſplendore multo. Cùm autem apud Auinionem percrebuiſſet, Priorem Cartuſiæ de hoc mundo tranſiſſe, præfatus Pontifex Innocentius in lachrymas prorumpens, ait: Præſtantior religioſus, clericuſque mundi mortuus eſt.

Luc. 10.

Iudic. 3.

Vinculis corporeis ſoluitur an. 1360.

Nota dictum Innocent. 6.

Sed

Sed & cùm præſul ipſe in extremis eſſet, coram his qui aderant exclamauit, dicens: Vtinam anima mea talis apud Deum foret, qualem eſſe puto animam Domini Ioannis quondam Cartuſiæ Prioris. Itidem Cardinalis ille Petragoricenſis, de quo ſuprà diximus, audita huiuſus Prioris morte, exclamauit: Væ nobis miſeris, Heu infęlix Eccleſia, O infauſtum collegiū, quod talem non promeruit habere Paſtorem. Tam ſancto enim Præſule digni non fuimus. Cæterùm, vt finem faciamus, poſt modicum tēporis lapſum, duo de patria Lemonica (ex qua oriundus erat) Cartuſiam venerunt ad petendas tanti patris reliquias, aſſerentes duo eum miracula celebria in patria illa poſt mortem feciſſe. Quibus vnum de cilicijs eius datum eſt. Geſtabat enim iugiter ad nudam carnem cilicia nodoſa, aſperrimo pilo in modum camiſiæ facta, quæ & longitudine ſua poplites tangebant, & manicas habebant ad manus vſque protenſas. Tali etenim lorica miles Chriſti ad mortem vſq; ſemper armatus inceſſit. De quo & Franciſcus Petrarcha in quadam Epiſtola ait, quòd inter peccatores, quibus orbis abundat, angeli vitam & angelicam famam habens, per denſiſſimas ſeculi ſui tenebras nouū ſydus effulſit, & ex Cartuſię ſublimi ſpecula, velut ex Orientalis iugi vertice, Lucifer matutinus irradiauit, multis (quos ipſe non nouit) ob eximiam virtutem ſuam notiſſimus. Circa hęc tempora vel paulò antè cōtigiſſe fertur prodigium, quod ſilentio prætereundum non videtur. In domo Cartuſiana Moguntiæ, Nouitius quidam tædio affectus, cùm nullis exhortationib⁹ à ſententia dimoueri poſſet, tandem abiecto regulari habitu, ſeculariq; reſumto, cùm perficere vellet

Item Cardin. Petragoricenſis.

Franciſc⁹ Petrarcha.

Nota prodigiū ſtupendum.

quod receperat, priùs ſalutandam putauit quandam beatiſſimæ Virginis imaginem, quam in cella pro more ſalutare conſueuerat. Cùm autem quaſi extremum vale dicturus eam ſalutaret, imago ipſa viſibiliter ſe regirans, ſuum conſpicienti Nouitio dorſum vertit. At ille infœlix planeque ingratus, nihil propterea commutatus in melius, ſed tanquam deſperatus, malo in propoſito perſeuerans, idipſum quod acciderat nihilominus Priori præceptorique ſuo intimauit. Cùm aũt plùs ſolito viſitaretur, moneretur que, vt voluntate mutata, firmatoq; ſtabilitatis propoſito ipſi virgini reconciliaretur, quę ei infenſa non dubitabatur, nihilque tamen proficeretur (ſurdas enim mentis aures verba penetrare non poterant) tandem poſt Matutinas compertum eſt, eum paulò antè per murum monaſterio egreſſum fuiſſe. At verò cùm te cõperta ſubitò tota domus familia ad eum perquirendũ egreſſa, ita exactè, ac diligenter eum quæſiuiſſet, vt etiam paruum animal inueniri poſſet, nuſquã inuentus eſt, ſed nec poſtmodum ſciri potuit, quid de illo actum eſſet. Imago autem ipſa poſtmodum Cartuſiam in teſtimonium atque exemplũ delata eſt. Hoc loco diligenter aduertant Nouitij ſpiritu inſtabilitatis agitati, qui velut impudentes canes ad vomitum redire, & diuinã gratiam, vocationemque ſupernam negligere non verentur: Attendant, vel hoc exemplo, quàm graue ſit atque periculoſum, ſanctum propoſitum deſerere, & ad ſecularem redire vanitatem.

In Nouitios inſtabiles.

Nullum adhuc vel nouimus vel audiuimꝰ ab ordine abſceſſiſſe, quin vel periculum aliquod inciderit, vel certè morſu conſcientiæ fuerit cruciatus vſq; adeò, vt nullam poſteà veram pecto-

ris

ris tranquillitatem habere valuerit. Sed his prætermiſſis agamus de Heliſiario præfati Birelli ſucceſſore, qui & ipſe ſanctus fuit. Radix enim bona non potuit niſi ramos perbonos proferre. Heliſarius igitur beati Ioannis Birelli prædicti ſucceſſor, ac Prior Cartuſiæ 23. vir magnæ ſanctitatis multarum virtutum, tantum abſtinentiæ aſperiorisque vitæ rigorem ſectatus eſt, vt nullus penè ſuorum anteceſſorũ in hac parte ei conferri potuerit. Vitam enim vſq; adeò tetricam agebat, vt modum excedere videretur. Nam qui naturam vincere volebat, ab ea ſæpenumerò ſuperabatur. Etenim ex nimia ſomnolentia (qua propter noctes, quas aliquoties ducebat inſomnes, premebatur) in medio Galilearũ clauſtralium frequenter collidebatur ad terram, ibique ſoporatus iacebat. Sed & penè nudus, frequentiusque diſcalciatus, etiam durante hyemis rigore, incedebat: nunquam in lecto cubabat, nunquam veſtem (quoad pertrita foret) nec cilicium quoque mutabat: ſuperfluum tãquam alter Hilarion putans, munditias in cilicio quærere. Porrò tam iugiter orationib⁹ incumbebat, vt diem in his ſæpè contingeret cum nocte. Plerumq; etiã in contẽplationis exceſſu ita rapiebatur, dum vel Miſſam celebraret, vel cùm alijs caneret, vt ex nimia lætitia ſaltare, ac propemodum furere in choro nonnunquam videretur. Sæpè etiam in ipſo mentis exceſſu ſui oblitus, nec aduertens vbinã eſſet, aliquãdo in ipſo choro tam altè in Dei laudes prorumpebat, vocemque exaltabat, vt ab alijs notabiliter diſcordaret, quod cum ad ſe reuerſus animaduertiſſet, plurimũ erubeſcebat. Ad hæc tantã in dictis, factisq; humilitatẽ præ ſe ferebat, tamq; demiſsè in omnibus

Heliſiarius Prior Cart. 23.

nibus ſe gerebat, vt penè nimia eius humilitas videretur. Super quo nonnunquam ab his admonitus, qui pluſquàm ſtatum ſuum deceret, eum putabant humiliùs agere, plurimum effuſus in riſum, reſpõdit: haud dubiè ſe admodùm rudem eſſe. Prȩfatis autem virtutibus aderat comes, perfectus mundi contemptus. Ita enim mũdo mortuus mortificatusque erat, vt nihil antiquius duceret, quàm ab eo deſpici, nihilq; prorſus reputari. At quoniam probi mores ſæpè tribulatione probantur, huius viri probitas cœcitatis aduerſitate patefacta eſt. Cùm enim in morbum incidiſſet, in quo lumine vnius oculorum orbatus fuit, non impatienter tulit, ſed opportunitatem ſe nactum fuiſſe arbitratus, qua ſperabat abſolutionem impetrare faciliter poſſe (cupiebat enim plurimùm cõtemplationis quieti vacare) potius exultaſſe putatur. Quanquam non contigit, quod optabat. Enimuerò cùm inſtanter ſuam abſolutionem peteret, inter cætera fœditatem allegans cœcitatis, ei reſponſum eſt: Inter corporis membra nullum eſſe, quod tam aptè poſſit alterius vicem ſupplere, vt oculus. Quod quidem poſteà iocando referens, dicere ſolebat: De vnius oculi cœcitate minimè curo, quoniam alter mihi ſufficit pro voto. Denique cùm tempus aduenisſet, quo Deus meritis eius mercedem rependere decreuerat, morbum incidit, in quo ſuus ſibi tranſitus diuinitus reuelatus creditur. Cùm autem morbo durante, intellexiſſet preces ad Deum pro ſuæ ſanitatis inſtauratione fieri, dicebat fratribus: Deus non exaudiat vos. *Cupio* enim *diſſolui & eſſe cum Chriſto.* *Phil. 1.* Mens enim ſibi benè conſcia mortem non formidabat. Tandem accepto viatico, aliiſq; ſacramen-

mentis,cùm paſſiones legerentur,anima illa ſancta corpore exuta cœlos adiuit, vbi tranſitorijs afflictionibus requiem inuenit ſemper duraturam. Guilielm⁹ de Mota maioris Cartuſię Prior 27. vir miræ humilitatis, ac nullius apud ſe reputationis, magnæ quoque ſollicitudinis in his quæ ad Deum pertinebant, & feruētis deuotionis, ita grauiter ac reuerenter diuinum exoluebat officium, vt nihil tali ſpectaculo iucundius videri poſſet. In victualibus autem ſibijpſi durus & rigidus, vtpotè qui & ordinis rigorem tenens, & abſtinentias vel in ſenectute faciens, cæteris erat indulgentior. Vna duntaxat tunica ſemper contentus fuit. Afflictis & tribulatis ita miſericordem ac compatientem ſe exhibuit, vt eorum mala plangeret, & quam poterat conſolationem eis impertiret. Operibus inſuper miſericordiæ, tantam operam dedit, vt tempore famis frumentum, panem, pecunias, pannos, & cætera id genûs egentibus tribueret abundè. *Guilielmus de Mota Prior 27.*

Porrò tantæ rectitudinis ac iuſtitiæ fuit, vt nec precibus, nec literis, nec principum minis à vero iudicio diſcederet, nec ad dexteram, aut ſiniſtram deflecteret. Rectè enim ſine perſonarum acceptione iudicabat. Ea de re iuſtus ac ſanctus paſſim reputabatur. Tandem poſt multos huius vitæ agones, ſempiterna immarceſſibilique corona donatus eſt, anno ſuprà milleſimũ & quadringenteſimum, trigeſimo ſeptimo. Cuius ſanctitati poſt fœlicem obitum miracula multa teſtimonium prębueruut. Cùm enim quidam maioris Cartuſiæ Monachus grauiſſimo viſcerum dolore vexatus, in eodem conſiſtere loco non poſſet, nec remedium inueniret, tandem per cœmiterium tranſiens, cœlitus inſpiratus, ſuper *Carnis exuluit debitum anno 1437.* *Miracula poſt mortem eius edita.*

dicti Patris ſepulchrum ſe proſtrauit. Qui primùm ſe doloris acerbitate leuatum ſentiens, ſanitatem ſubinde recepit. Mulier quædam de Chamberiaco, quæ octo annos continuis febribus fatigata nullum antidotum inuenerat, vbi de herba, quæ ſuper huius beati viri ſepulchrũ adoleuerat, accepit, mox ſanata eſt. Alia quoque mulier ſimili morbo agitata, ſimili remedio ſanitatem eſt conſecuta. Multi inſuper varijs languoribus affecti, ad ſepulchrum tanti Patris venientes, ſeipſoſque proſternentes, optatæ ſanitati redditi ſunt. Denique, vt ſanitatem etiam cõferret ſpiritalem, cuidam Cartuſię religioſo, tertia die poſt obitum apparuit, eum admonens, vt ſuæ correctioni intenderet. Sed iam ſatis ſuperque per Cartuſiana nemora decurrentes, egregios flores decerpſimus, quorum ſacri odoris mira ſuauitas etiam diuinitus reſperſa ac probata eſt, qui ſanè ſufficere debent ad ſerpentinum liuidorum hominum virus effugandum, qui ſpargunt in vulgus, nullos fuiſſe in Cartuſianis deſertis, qui miracula fecerint. Quod ſi fortè cuiquam hæc ipſa (licet magna & multa) adhuc non ſufficiant, animaduertere ille debebit, non omnes eos me protuliſſe, quorũ ſanctitas mortalibus innotuit, ſed aliquos eximios atq; delectos, quos penè omnes in maioris Cartuſiæ annalibus reperi. Neq; verò dubium eſt, alios permultos in alijs quoq; domibus magnæ ſanctitatis fuiſſe, cùm eadem ſit obſeruantia regularis, quæ eandem parere ſolet ſanctimoniam, maximè cùm locus ſanctum non efficiat. Verùm omnia omnium geſta proſequi non licuit, quòd & ad notitiam noſtram necdum peruenerunt, & ea quæ ſunt deprõta, ſufficere viſa ſunt. Adde quòd omnes

Sancti Patres ſuperius nominati vbi conſcribentur.

omnes penè Cartuſiani ordinis domus miraculoſè extructæ ſunt, quemadmodum ſuperiore libro tetigimus. Quod vnum viro certè probo ſatis eſſe debet, ad ſibi perſuadendam Cartuſiani ſtatus ſanctimoniã. Deniq; cùm de Scriptoribus Cartuſianis poſtmodum agetur, multos afferemus, qui cum doctrina multa, magnam quoque ſanctitatẽ habuerunt. Quibus omnibus animaduerſis, videtur & ſuperuacaneũ, alia in medium afferre, & ineptũ quoq; plura deſiderare, præſertim cùm miracula magnoperè curanda nõ ſint, quod ſequenti capite mõſtrabitur. Igitur omnibus his luſtratis, cõficiendũ putatur, eos ridiculos eſſe, qui paſſim dicũt Cartuſianũ ordinẽ nec ſanctis, nec miraculis ornatum eſſe. Hoc enim falſiſſimum eſſe, prædicta ſatis conficiunt.

CAPVT VI.

Oſtenditur inprimis, Cartuſianos, nec curaſſe, nec curare miracula. Deinde ponuntur cauſæ, ob quas non ſunt curanda ipſa miracula, & ideo propter eorum defectum (ſi ita eſſet) ipſos Cartuſianos non eſſe contemnendos. Denique ſubditur, cur pauci ſint de Cartuſianis Canonizati, nec tamen propterea ſpernendi.

QVanquam iam ſatis oſtenſum eſt, multa magnaque miracula à Cartuſianis facta fuiſſe, quo ſatis confutata putantur, qui per imperitiam aut liuorem dicunt, nulla miracula in ordine Cartuſiano reperiri, nihilominus ad vberiorẽ aduerſariorum ipſorũ confutationẽ diſſolutionemq́; obiectionũ, inprimis afferre certum eſt, miracula à Cartuſianis curari nõ ſolere: deinde iuſtis de cauſis id effici, hoc eſt,

mira-

miracula ab eis nec curari, nec cõſequenter paſſim fieri, ideoque nec carpendos, nec deſpiciendos eſſe: denique cur paucos habeant canonizatos, nec tamen propterea propoſitum Cartuſianum minùs æſtimandum eſſe. Primùm aggrediétes dicimus Cartuſianos reipſa miracula curare non ſolere, ſed ea potius impedire atque occultare. Hoc inprimis teſtantur ea quæ relata ſunt, cùm de Iancelino ageretur. Dictum eſt enim, Iancelinum, ipſum præcepto obedientiæ defunctum quendam Monachum Cartuſiæ à miraculorum oſtenſione compeſcuiſſe. Deinde alius quidam maioris Cartuſiæ Prior, in quodã tractatulo à ſe edito aſſerit, cuidã agricolæ quærenti vbinam eſſent herbæ, quibus ſanitas reparari ſolet, ſe noluiſſe indicare. Itidẽ Petrus Abbas Cluniacenſis de miraculis Cartuſianis agens, inquit: In illo ſacro ordine multa mirabilia facta ſunt, ſed pauca quæ hic pono ab eis potui cũ magno labore habere, quia tanquàm humiles nolentes in talibus gloriari, abſcondunt illa, excuſant, & celant. Hæc ille. Denique ipſa experientia probauit, quàm parùm, imò nihil, talia curauerint. Nam cùm multa ab eis ingentia miracula facta ſint, necdum tamen ea in lucem prodere voluerunt. At verò ne propterea quiſpiam eos carpendos cenſeat, oſtendamus iuſtis de cauſis miracula ab eis nec curari debere, nec frequẽter paſſim effici ſolere: inprimis tamen ſupponentes, miracula varijs de cauſis facta fuiſſe, fierique ſolere. Primùm ad diuinam gloriam, maieſtatem, virtutemque manifeſtandam, quomodo multa in veteri lege miracula facta fuiſſe narrantur. Deinde ad pretioſiſſimum, digniſſimumque Iesv Chriſti nomen publicandum oſten-

Petrus Abbas Cluniacẽſ.

Miracula cur fieri ſoleat.

oſtendendamq́ue eius miram efficaciam. Sic Petrus claudum ad Specioſam portam ſanaſſe legitur. *Actor. 3.* Porrò ad eximium amorem oſtendendum, charitatemq́; declarandam, qua nos Superi proſequuntur, qui alioqui poſſent ab inconſideratis hominibus cenſeri res humanas deſerere vel negligere. Hoc modo plurima ſolent à diuina clementia mira quædam effici. Itidem à Deipara Virginis Maria conſueuerunt miracula exhiberi, non quidem ad ſuæ ſanctitatis vel probationem, vel augmentum (ita enim explorata eſt fidelibus, vt nec dubitare, nec per miracula teſtimonium quærere prorſus liceat) ſed ad explicandam ipſius Virginis miram charitatem, qua mortales ipſos, præſertim ſibi addictos, proſequi ſolet. Similiter ab alijs quoque ſanctis, de quorum ſanctimonia nullatenus hæſitatur, hoc modo effici miracula conſueuerunt. Ad hæc miracula ad prędicationem veritatis, ſeu doctrinæ alicuius probationem, ſæpenumerò facta leguntur. Etenim multa, quæ in ſacro Euangelio habentur, à Iudæis, Philoſophis, Paganis, & hæreticis oppugnata atque deriſa, frequenter per miraculorum euidentiam confirmata ſunt. Poſteà ad probandum, aut certè decorandum ſtatum aliquem, de quo hęſitatio nōnullis erat, interdum ſunt effecta miracula. Hoc modo hæremiticæ vitæ ſtatus olim probatus, decoratusq́ue eſt. Probatus eſt & ſtatus religionis, ad temeritatem, inſaniamq́ue vaniſſimorum hominum conuincendam, qui ſanctitatis perfectioni detrahere non verebantur. Hoc etiam modò à Pontificibus miracula plerumque oſtenſa ſunt, vt duræ ceruicis populus Pontificem ipſum digno proſequeretur honore, & libentiùs iuſſa capeſſe-

peſſeret. Inſuper contemplatione infidelium ſępenumerò facta ſunt miracula, interdum quidem ad eos conuertendos, plantandamque in eis Catholicam fidem, quod ſine incitamentis huiuſmodi effici non potuiſſet. Hoc pacto in primitiua Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris miracula paſſim fiebant. Interdum verò ad eos cõfutandos, tollendamque ab eis excuſationem omnem, qui ſi miracula non vidiſſent, aliquid excuſationis prætendere poſſe viderentur, Ioan. 15. quomodo Saluator innuebat, Iudæos quodammodo excuſabiles eſſe, ſi ſigna non exhibuiſſet. Interdum verò ad reprimendam eorum ſæuitiam, incutiendumque timorem, qui aliâs grauioribus perſecutionibus populum Chriſtianũ affeciſſent. Poſtmodum miracula ſæpè oſtenſa ſunt ad firmanda fidei rudimenta, ac eos in officio retinendos, qui recenter fidem ſuſceperant, à qua ſine fomentis huiuſmodi faciliter abſcedere potuiſſent, vtpotè, vel ex infidelibus orti, vel inter infideles mixti, vel malis ſuaſionibus pulſati. Talium enim tenella fides erat miraculis dirigenda, vt creſcere, vireſque accipere poſſet. Adde quòd miracula frequentiſſimè ſunt effecta, ad teſtificandum ſanctimoniam eius, gratia cuius fiebant, quando ſcilicet dubia, vel prorſus certa non erat, & aliud probationis genus non habebatur. Hoc modo probata eſt confeſſorum ſanctitas, quando potiſſimùm nulla alia ratione probari poterat. Adde, inquam, miracula eſſe oſtenſa ad myſteria aliqua declaranda, & documenta quoque ſalubria nobis inſinuanda. Hoc modo miracula tam in veteri quàm noua lege continentur magnis ſacramentis obumbrata, è quibus myſtica plurima quotidiè eliciuntur.

Deni-

Denique alijs multis rationibus, quas Deus ipſe nouit, miracula iampridem oſtenſa ſunt, oſtendíque ſolent. His igitur ſuppoſitis, dicamus iuſtis de cauſis Cartuſianos miracula non expetere. Prima quidem, quòd nihil cauſæ ſit, cur ea curarent ſeu deſiderarent. Non enim propter ſui ſtatus probationem neceſſaria ſunt, vtpotè qui probatiſſimus ſit. Nec propter ſuorum quoque ſanctimoniam comprobandam: quandoquidem huiuſmodi teſtificatio nullius penè momēti foret, nec eis prodeſſet, quod ex ſubiectis patebit luculentius. Altera verò cauſa non curātur à Cartuſianis miracula, quòd huiuſmodi probatio ſuſpecta ſit, & calumnię quoq; obnoxia: cùm per malos facta ſint quandoque miracula, quod probabitur. Cur ergò expeterentur, quæ non ſunt efficaciſſima ſanctitatis ſigna, prorſus ab omni ſuſpicione aliena? Igitur iuſta de cauſa non expetuntur à Cartuſianis miracula, quòd ſint bonis maliſque communia. Enimuerò ſigna atque mirabilia per bonos facta fuiſſe, certò certius eſt. Per malos quoque mira fuiſſe effecta, ſacræ literæ locupletiſſimè teſtantur. In quibus memoriæ proditum eſt Magos Pharaonis mirabilia Moyſi ſimilia feciſſe. Iudas quoque Domini proditor, miracula feciſſe putatur, quippe qui propellendorum dæmoniorū cum cæteris poteſtatem accepit. Simon quoque Magus Apoſtolorum tempore mira ſigna feciſſe legitur. Sed & in Euangelio (cui ius Pontificium adſtipulatur. 1. q. 1. capitulo Teneamus) luculenter hoc ipſum conſtat, vbi dicitur: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus?* Talibus enim qui talia ſe mira feciſſe referent, tandem à Chriſto

Quare Cartuſiani miracula nō curēt.

Miracula bonis maliſque eſſe cōmunia.

Exod. 7. Luc. 10.

Act. 8.

Mat. 7.

Luc.13. Chriſto dicetur: *Amen dico vobis, neſcio vos vnde ſitis, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis*. Denique mira ſtupenda facturus eſt Antichriſtus. Cùm igitur mira ſigna ſint bonis, malisq; communia, non ſunt expetenda: vtpotè quę non ſint indubia ſanctitatis teſtimonia. Tertia verò cauſa non curâtur à Cartuſianis miracula, quia ſanctitatem non efficiunt, licet interdum oſtendāt. Ea de re Chriſtus Dominus in Euangelio docet, in huiuſmodi ſignis non eſſe gloriandum, qui Luc. 10. ſuos diſcipulos piè erudit, cùm ait: *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*. Quarta cauſa, nō debent à Cartuſianis miracula deſiderari, quòd eis detrimento multo forent. Meritum enim interdum vacuarent, cum imperfectæ ſit fidei miracula quærere. Frequētiſſimè verò quietem eos habere non ſinerent, propter multum populi concurſum, qui ad eos gratia miraculorū confluerent, quod ſatis, cùm de Iancelino ageretur, monſtratum eſt. Adde quod meritò eſſent curioſitatis arguendi: quippè qui citra cauſam miracula expeterent, poſſetque illis obijci, quod Matt. 12. Iudæis olim dictum eſt: *Generatio praua, & adultera ſignum quærit*. Et illud: *Signa ſunt infidelibus, non fidelibus*. Sed & curioſè quærentes, ſæpè voto non potirentur, inſtar Herodis, qui ſignum ali-Luc. 23. quod à Chriſto videre cupiens, nec vnum quidē verbum ab eius ore ſacratiſſimo audire meruit. Quinta cauſa, nō ſunt à Cartuſianis flagitāda miracula corporalia, ꝙ viris ſpiritalibus ſpiritalia ſufficere debeant. At verò quis dubitat, crebérrimè ſpiritalia ſigna apud Cartuſianos effici: vtpotè apud quos ſurdi auditum, cœci viſum, muti loquendi vſum, & claudi greſſum, ſpiritaliter recipiunt. Etenim qui heri ſurdaſter, nihil ad

1. Cor. 14.

Miracula qualia apud Cart.

corre-

correctionem pertinens audire volebat, hodie ſalutaria verba promptiſſimè exaudit. Qui mentis ſuæ faciem tenebris fucatam heri videre non poterat, hodiè vel minima quæque limpidiùs intuetur. Qui loqui de vanis duntaxat antea nouerat, nunc ſancto ſiletio lubricam linguam cohibet, vel certè ſolida cœleſtiaque tantùm verba depromit. Qui malè gradiens, præceps in vitia labebatur, tartareoſque lacus adibat, nunc pedem referens, ad cœleſtem patriam rectis veſtigijs contendit. Qui diuitijs congerendis ardentiùs incumbebat, nunc omnibus poſtergatis, paupertatem lætiſſimam amplectitur. Qui tumenti animo cæteris, etiam maioribus, dominari ſatagebat, nunc humilis effectus etiam inferioribus inſeruire geſtit. Qui paulò antè dicebat, *non ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra*, modò continentiæ fræno carnis impetum retinens, corpuſque ſuum caſtigans, etiam ipſas venereas cogitationes vel minimas admittere non dignatur. Quid plura? Cuius anteà gulæ nullę coquorum artes, nulli ciborum apparatus ſufficere ſolebant, nunc & famem lætus ſuſtinet, & leguminibus, oleribus, alijſque id genus vilioribus cibis victitat. Denique qui contumelias iniuriaſque inferre ſolitus erat, nunc opprobria patienter audit, & afflictiones quoq; omnes Dei contemplatione, æquo animo patitur. Nonne hæc ipſa ad vitæ probationem ſufficere debent? Ita ſanè, quod vel vno exemplo ſuaderi poteſt. Enimuerò cùm infideles quidam (vt in Collationibus Patrum habetur) Monachum quendam multis affeciſſent iniurijs, improperantes ei, quòd nulla in Chriſti nomine miracula faceret: Quod (inquit) miraculum maius

Sapi. 2.

Exemplum.

 ius

ius vultis, quàm quòd iniurias veſtras patienter tuli, & maiores ferre pro ipſius nomine paratus ſum? Itaq; ea ipſa, quæ diximus, viris præſertim ſpiritalibus, ſufficere debent: præſertim cùm miora ſint, quàm ſi lapis ſupra terrã duabus palmis per ſe eleuaretur, quod tamen ſi fieret, curioſis ſatisfactum eſſet. Maiora, inquam, ſint quã multa extraria ſigna, quæ hominibus ſenſualibus ſufficerẽt. Siquidem plus eſt hominem peccatis mortuum, ſepultum, turpiſſimaq; peccandi conſuetudine fœdatum, & denique non ſolùm quatriduanum, ſed multos interdum annos in ſepulchro non pulchro iacentem, ad vitam ſpiritalem per ſanam doctrinam, bonaq; exempla, ac alia id genûs ſuſcitare, quàm exterius aliquod ſignum oſtendere. Denique (vt aliam cauſam afferamus) non ſunt à Cartuſianis curãda miracula corporalia, quòd aliud probationis genus habeant, quod ſufficere debet ad probandam ſui ſtatus ſanctimoniam. Non igitur miracula expetere habent. Nam qui vnum habet probationis genꝰ quod ſufficit, ſuperfluè àliud quærit: quod à Iuriſperitis notari conſueuit. Extrà, de probationibus, capitulo primo, & ſecundo: vbi paſſim dicunt, quando vno modo legitimè conſtat de intentione partis, non exigi aliud genus probationis. At verò Cartuſiani aliud legitimum probationis ſuæ ſanctitatis teſtimoniũ habent, quod ſine miraculis ſufficit. Sed quæris, quodnam illud eſt? Dicimus inprimis, multa eſſe alia probationis genera, quàm per miracula, quibus ſanctimonia alicuius cõfici poteſt. Inprimis eſt authoritas Scripturæ ſacræ, per quã hi, qui probati ſunt atque canonizati, nullum aliud probationis genus flagitãt, vt ſunt multi Patres vetuſti, quo-

Cartuſ. nõ opus habent miraculis ad probandã ſtatus ſui ſanctimoniam.

quorum ſanctitas ex veteri teſtamento liquet. Itidem per nouum teſtamentum etiam quædam probatur ſanctimonia. In quibus præcipuè eſt Deipara virgo Maria, cuius incomparabilis ſanctitas locupletiſſimè expreſſa eſt, quando ab Euangeliſtis relatum eſt, eam concepiſſe, peperiſſeque filium Dei, verum Deũ & hominem Christum Ieſum. Immenſa enim illa laus eſt, certiſſimaque tantæ ſanctitatis probatio. Itidẽ ſanctiſſimus Ioannes Baptiſta, quo inter natos mulierum (Chriſto atteſtante) non ſurrexit maior. Similiter Beatiſſ. Protomartyr Stephanus, alij quoque permulti, de quorũ ſanctitate nulli hæſitare fas eſt, quòd per ſacræ Scripturæ authoritatem, quæ certiſſima eſt, probati ſint ac canonizati ſufficienter, cuius certitudinis gratia, nulla fortè miracula in vita ſua feciſſe putantur. Sed aliud probationis genus ſubnectamus, quod eſt martyrium, ſeu volũtaria mortis, Chriſti nomine, perpeſſio. Et hoc quoq; teſtimonio probata ſanctitas, miraculis non indiguit. Tertiũ genus probationis eſt, eminentia doctrinę ſalutaris: præſertim quãdo internã quandã Spiritus ſãcti phraſim redolet cum vitæ probitate iunctam. Hoc pacto Sãctorum Doctorum, Epiſcoporumque ſanctitas olim probata eſt. Tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ſcilicet vſque ad Syluestrum, non ita certa fuit, vt publicè colerentur confeſſores, poſteà tamen (inſpirante Deo) ſecus factitatum eſt. Quartum verò probationis genus eſt, magna vitę religioſæ aſperitas cum perſeuerantia. Hoc modo ſancti anachoretæ, hominũ cõſortia fugientes, mirandamq; vitæ auſteritatem ſectãtes, & demũ contra vitia ac tentamina varia iugiter, perſeueranterque pugnãtes, in numerum

Matt. 1. Luc. 1. 2. Matt. 11. Act. 6. 7.

Sanctorum admiſſi ſunt & comprobati. Quod ſanè probationis genus Cartuſianis ipſis etiam ſine vllis miraculis ſufficit, vtpotè quod Sacris in literis fundatum ſit, quæ eum prorſus ſanctũ oſtendunt, qui parentes ac poſſeſſiones deſerit,
Matt.19. ſeipſum abnegat, ſuã crucem tollit, & ſequitur
10.16. Chriſtum. Talis enim poſt Chriſtum vadens (ſi
Marc.8. tamen perſeuerauerit vſque in finem) in ſancto-
Lu.9.14. rum numero citra dubitationem omnem depu-
Matt.10. tandus eſt, nec aliter contra ſacratiſſima Chriſti
24. verba dicere vel ſentire licet. At verò innumeri Cartuſiani omnia, quę mundi ſunt, miſſa facientes, ſeipſos quoque abnegantes, ſuam crucem tulerunt, & iugiter ac perſeueranter ad finem vſque vitæ, Chriſtum ſecuti ſunt, quod Dei gratia adhuc probi multi factitant. Ea de re nec miracula quærunt, nec expetunt, cùm ſanctitatis teſtimonium ex verbo Dei habeant, dicentis: *Si*
Matt.16. *quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sed dices, anachoretas ipſos (quibus Cartuſiani ſucceſſerũt) quamuis ſancti eſſent, olim tamen feciſſe miracula, cur non etiam Cartuſiani faciunt? Deinde eſto, qui perſeueranter Chriſtum ſequũtur, indubiè ſancti habendi ſunt, non tamen hoc ipſum de Cartuſianis conſtat: ea propter, ſi Sancti proculdubiò reputari velint, miraculis opus eſt. Dicimus ad primum, anachoretas iampridem miraculis effulſiſſe, vt infideles, inter quos habitant, ad fidem per miracula traherentur: aut certè ſi nollent, à perſecutionibus propterea temperarent. Vt etiam anachoreticum propoſitũ (quod alioqui vix receptum fuiſſet) firmaretur probareturque, & ad ipſum ſuſcipiendum fideles, ſi ſalutis ſuæ curam habentes, vberiùs incitarentur. Hæc

autem

autem his temporibus nõ ita locum habent: qua de re non eſt ita nunc miraculis opus. Adde quòd principio miracula ſunt à Cartuſianis effe-cta, quando Deo placuit & opus fuit. Ad alteram verò obiectionem dicimus inprimis, Cartuſianam aſperitatem, iugemque perſeuerantiã penè omnibus (ſaltem generatim) notã eſſe, quæ pro teſtimonio ſanctitatis ſufficere poteſt, his potiſſimùm, qui malè affecti non ſunt. Quis enim tot tantaque onera (quãta vnus fert Cartuſianus) iugiter perſeueranterque ferre poſſet, niſi ſpiritu ſancto plenus eſſet? Deinde dicimus, eſto omnia illa, quãuis ardua, non ſufficiant ſine miraculis ad colendos publicè Cartuſianos tanquàm Sanctos ac canonizatos, quòd ſcilicet nullus citra Apoſtolicam authoritatem hoc tempore debeat publico Eccleſiaſticoque officio coli, non tamẽ propterea miraculis opus eſt. Quandoquidem nec palàm pro Sanctis honorari, nec in tabulis aut parietibus depingi cupiunt Cartuſiani. At totus eorum labor, præcipuaque intentio eſt, in conſpectu Dei ſancti & eſſe, & haberi. Denique intelligentes miracula hoc tempore ſibi neceſſaria non eſſe, ſed à curioſis quibuſdã inaniter ac ſuperfluè quæri ſolere, proinde miracula ipſa nec quærunt, nec expetunt, nec expetenda quoque putant. Itaque viderint imperiti ſeu liuidi quidã, qui Cartuſianos mentiuntur nulla vnquã mira feciſſe, eaque de re ſtatum ipſum paruipendunt. Conſtat enim ex ſuperioribus, Cartuſianos, quando opus fuit, miracula multa feciſſe. Conſtat, inquam, iuſtis de cauſis, quæ ſuprà dictæ ſunt, miracula ab eis hoc tempore nec fieri, nec expeti quidem debere. Quapropter temerarium atque inſanũ eſt, eos miraculorum defectu

Cartuſia. quando opus fuit miracula feciſſe.

paruipendere. Sed iam ſatis diſputata miraculorum controuerſia, cauſas afferamus, cur hactenus in ordine Cartuſiano pauciſſimi per Apoſtolicam ſedem canonizati ſint. Prima enim cauſa eſt, inopia. Siquidem Cartuſiani ante hac non potuiſſent, ſed & nunc minimè poſſent eas impenſas facere, quæ in Canonizatione exiguntur. Non enim tantis bonis abundant, quanta plebs ignara inuidaq; ſua eis prædicatione conferre ſolet. Cùm igitur canonizatione vel vnius ſancti, multæ exigantur impenſæ, quas nunquã Cartuſiani facerent, mirum eſſe non debet, ſi paucos humanitus canonizatos habeant. Altera cauſa eſt, laboris improbitas, quæ in huiuſmodi canonizatione ſuſcipienda eſt. Quando enm ſolennitatem canonizationis facere incumbit, opus eſt inprimis Summo Pontifici ſollicitè ac frequenter pro tanto negotio ſupplicare. Deinde commiſſionem pro inquiſitione de moribus ac ſanctitate facienda habere, teſtes iuratos ac legitimos examinare, inquiſitionem pleniſſimè factam ad Pontificem ipſum referre, relatamque diligenter in Conſiſtorio diſcutere, eaque diſcuſſa primùm ſecretè negotium ipſum terminare ſeu definire, poſteà publicare, diem canonizationis aſſignare, humileſque preces aſſignato die fundere, miracula, aliaque pia Sancti ipſius opera referre, in Sanctorum Catalogo cõſcribere, & demum in honorem eius Miſſam celebrare, publicoque officio decorare. Vide quanto tempore omnia hæc fieri poſſunt, præſertim quando locus, in quo tumulatus eſt ſanctus, ab vrbe Roma diſtantiſſimus eſt. Vix enim decem annis hæc omnia fieri poſſunt. At verò diſcurſus ac euagationes per ſeculum vehementiùs

In Canonizatione Sanctorũ quæ requiruntur.

tiùs abhorrent Cartuſiani, vtpotè quorum propoſitum eſt otio ſancto incumbere, tumultus mundi fugere, & ſolitudinem iugiter perſeuerántérque colere, quod ſanè laborioſè Sanctorum canonizationi minimè conuenit. Non igitur mirandum vſque adeò, ſi Cartuſianus ordo pauciſſimos habeat canonizatos. Cuius quoque rei alia cauſa aſſignari poteſt, quę eſt nimia Pontificum Romanorum difficultas. Ita enim hoc tempore difficiles in huiuſmodi negotio ſeipſos exhibent, vt neminem velint niſi ad Regum, Principumque inſtantiam canonizare. Itaque iam opus eſt illis ipſis, quibus huiuſmodi canonizatio placet, regem vel principem adire, qui à Summo Pontifice hoc ipſum obtinere queat. Quod profectò Cartuſiani nunquam facerent: quippè qui vix pro vrgentibus negotijs ſollicitandis ſua ſepta exire debeant. Ad hæc pauciſſimos canonizatos habent Cartuſiani, quòd huiuſmodi canonizatio plus eis detrimenti, quàm adiumenti pareret. Si enim multos haberent, multus ad eos fieret concurſus popelli, qui non ſineret eos quietè ſuis in latibulis victitare. Aut enim populus ad ipſos ſanctos colẽdos confluerent, aut certè inanis canonizatio foret. Siquidem canonizãtur Sancti, vt publicè colantur, viſitenturq́; eorum reliquiæ. Igitur ſi multos canonizatos haberent Cartuſiani, aut fruſtra haberent, aut populũ ad eos colẽdos admittere paſſim haberent. Quod ſi fieret, de Cartuſianorũ quiete ac ſolitudine actum eſſet. Multorum itaq; canonizatio Sanctorũ Cartuſiano ꝓpoſito noxia eſſet: vtpotè quæ multæ frequentiæ, multíque concurſ⁹ cauſa inprimis foret, ac deinde ſolitudinis, ſilentij, quietisq́; obſeruationi nõ paruã afferret

iacturam. Multùm enim populi tumultum Cartuſianæ vitæ ingratum nociuumque eſſe haud dubium eſt. Quod deteſtantur queruntur; plerique Cartuſiani, ſolitudinis, quietisque amatores, qui in domibus iuxta Ciuitates ſituatis habitant: deteſtantur & illi ipſi, qui domos colunt in ſyluis aut agris ſitas, ad quas magnus frequenter concurſus fieri ſolet. Ex quibus (vt cætera taceamus) eſt domus Parci deuotiſſima, in diœceſi Cenomanenſi extructa, cuius fundum Virgo quædam inclyta, de nobiliſſima Alenconiorum familia dedit, ædificia verò Gaufridus Cenomanenſis Eccleſiæ (quæ tredecim præſules canonizatos habet) beatiſſimus Antiſtes fecit, poſſeſſionesque multas ex ſuo patrimonio contulit. Qui ibi tumulatus, licet in Sanctorũ Catalogum per Sedem Apoſtolicam necdum relatus ſit, tantis tamen frequentiſſimisque miraculis in ea regione, alijsque permultis claret, præſentemque ſanitatem languentibus ita confert, vt innumeri ad eum colendum auxiliumque petendum confluant, qui ſua frequentia ac tumultu graué moleſtiam deuotis illis religioſis frequenter inferunt. Ea de re nonnunquã, me præſente, agitatũ eſt, an eſſet beatiſſimus ille Pontifex alium in locum transferendus. Quibus animaduerſis, mirum non eſt, ſi pauciſſimos canonizatos habeãt Cartuſiani. Siquidem (vt diximus) canonizatio ſanctorum propoſito Cartuſiano inepta eſt. Adde Cartuſianos pauciſſimos canonizatos habere, quod donum canonizationis tranſitorium ante hac non tanti fecerint, vt impenſas faciendas, ſuſcipiendos labores, difficultates obeũdas, & detrimenta ſubeunda duxerint, quæ ob canonizationem contingere ſolent. Norunt enim optimè

Domus Parci.

optimè, probationē humanam exigui eſſe momenti, & multos quoque necdum canonizatos maioris eſſe virtutis ac gloriæ, quàm multi eorū qui Pontificia canonizatione donati ſunt. Non enim canonizatio maiorem cōficit ſanctitatem, nec canonizati debent ſanctis non canonizatis præſtātiores ſemper exiſtimari. Hoc enim temporario munere plerique donati ſunt Sācti, maximè Pontifices, non ſemper ob maiorem ſanctimoniam, ſed quò ad ſtatus illius ſarcinam leuius ferendā, & ſucceſſores animarentur, & populus ſtatum ipſum maiori in pretio haberet, ampliorique honore proſequeretur, & demum ſe faciliorem ac obſequentiorem exhiberet. Itaque putantes Cartuſiani, probationem humanā non ita curandā eſſe, & cœleſtem diuinamq; canonizationem ſuis ſufficere ſanctis, nullā ante hac dederunt operam, nec ſollicitudinem vllā habuerunt pro ſuis canonizandis. Hinc factum eſt, vt pauciſſimos habeant canonizatos. Sed dicet quiſpiā, Cartuſianos de re huiuſmodi ſollicitos fuiſſe. Nam & S. Hugo Lincolnienſis Antiſtes eorum cura iampridem canonizatus fuit, & princeps eorum Bruno nuper in Sanctorum numerum relatus eſt. Non debuit ergò dici, Cartuſianos ſollicitos non fuiſſe, ſed potiùs eos, propter Sanctorum penuriā, nihil vel parùm facere potuiſſe. Ad quod ego inprimis S. Hugonem dixerim, non ad Cartuſianorum ſollicitationem, ſed Regis Angliæ, ſuorumque optimatum, ac Clericorum inſtantiā, ob eximiā ſanctitatem innumeraque miracula, ab Honorio III. Pontifice maximo canonizatum fuiſſe. Brunonem verò fateor, Cartuſianorum cura nuper fuiſſe Pōtificia canonizatione decoratum. Etenim poſt-

Cur quidā Sancti canonizatione donati fuerint.

quàm locum, in quo beatus ipſe fœliciter animã egit, recuperârunt, & venerabiles eius reliquias ſuis in manibus habuerunt, animaduertentes, eius canonizationem ſine multis laboribus, impenſis, difficultatibus, alijsque detrimentis fieri poſſe, diligentiùs eam curauerunt, idque iuſtis de cauſis, vt ſcilicet principem ſuum publicis honoribus proſequerentur, vt nomen eius celebrius redderent, vt denique linguacibus peſſulum obderent, qui ſtatum Cartuſianum conuellebant, quòd primarius eius inſtitutor in ſanctorum numerum minimè relatus eſſet. Verùm ex his non conficitur Cartuſianos ipſos pro ſuis Sanctis canonizandis anxios ſollicitosq; fuiſſe, quippe qui vnum duntaxat, & eum quidem ſuæ militiæ principem, honeſtis rationibus impellentibus, ſine multo labore, canonizandum curauerunt. Non ergo quiſpiam vel miretur deinceps, vel obloquatur, quòd Cartuſiani pauciſſimos habeant canonizatos. Non enim (vt diximus) de huiuſmodi negotio quondam ſolliciti fuerunt, ſed nec curare quidem nunc volunt, ne ſimiles illis fiant, qui, vt cæteris præſtantiores, vel mirabiliores videantur, aut maiora conſequantur emolumenta, talia diligẽtiſſimè curant, non quòd eos Sanctorum honos, aut animarum cura potiſſimùm ſollicitet, ſed (vt diximus) quo maiori in pretio habeantur, aut ampliores opes congerere poſſint. Deniq; omnia penè illa, quibus anteà probauimus, à Cartuſianis miracula nec expeti debere, nec fieri nunc ſolere, hùic canonizationis negotio ſuffragantur, conficiuntque nec ſuorũ canonizationem Sanctorũ ab eis curandã, nec eius quoq; defectu Ordinẽ ipſum aliquo pacto floccifaciendam eſſe, ſed potiùs inſanos

ſanos eos cenſeri debere, qui propterea in Ordinem ipſum oblatrare non verentur. Quos tandem vt ſciolos, temerarios, peſſimosque ac veſanos oblocutores paruipendentes, ea quę de illuſtribus, delectisque Cartuſianis cœpta ſunt, proſequamur.

CAPVT VII.

Nominatim multi afferuntur docti, diligentes ac illuſtres Cartuſiani, qui ſcripta confecerunt, quibus Reipub. prodeſſe curaucrunt.

Oblocvtor.

PRoſequamur & nos quæ cœpimus, probantes aliundè Cartuſianum Ordinem meritò carpi poſſe, vtpotè qui nullos literatos, atq; ingenioſos, ſed duntaxat ſciolos vel prorſus literarũ ignaros hactenùs habuit: aut certè ſi nonnulli fuerint in eo egregiè docti, nulli tamen leguntur, qui ſcripta ediderint, quib' (vt par erat) reipublicæ conſuluerint. Ea de re tum ignorantiæ, tùm negligentiæ Ordo ipſe non iniuria arguendus videtur, quod & paſſim fieri ſolet. Pe. A duobus illis vitijs non exiguis, inſcitia ſcilicet & inertia, quæ in Cartuſianis temerè reprehendis, & paſſim eis obijci dicis, Cartuſianos vindicare penitus cupientes: inprimis afferamus doctos, illuſtresque Cartuſianos, qui ſcripta ediderunt, nomenque ſuum in omnes propterea tranſmiſêre poſteritatem, ſicque ab vtroque vitio obiecto Ordinẽ egregiè nunc diluamus. Poſteà enim iuſtas cauſas afferemus, cur alij penè innumeri nobiliter docti, nihil ſcriptorum poſteritati dimiſerunt. Quibus adductis, rurſus Ordinem ipſum ab vtroque vitio, hoc eſt, ignorantia & deſidia, immunem eſſe conficiemus.

Primùm

Illuſtres Scriptores Cartuſiã. Primùm aggredientes, eos inprimis afferamus Cartuſianos ſcriptores, qui de re tùm literaria, tùm Eccleſiaſtica optimè meriti, pręclara vtiliaque elaborârunt, quibus & nomini, & propoſito Cartuſiano, decus pepererunt immortale, & inter illuſtres viros ſiue ſcriptores Eccleſiaſticos, optimo iure reponi promeruerunt. E quibus ipſe Cartuſianorum princeps Bruno primus prodeat in medium. *S. Bruno Princeps Cartuſianorum.* Bruno igitur gemina ſcientia, humana videlicet & diuina cumulatiſſimè præditus, eloquentia Tulliana præclarus, philoſophus inſignis, ſacrarum literarum doctor profundiſſimus, & demum virtutum, literarumque copia refertiſſimus, mundialibus pompis tãdem ſalutatis, ſolitariam vitam elegit. Cartuſianã religionem in Cartuſiano monte primus inſtituit. In qua deuotiſſimè dies noctesque iugi ſilentio cum fratribus incubuit. Poſteà verò locum mutans, ſed propoſitum primum non deſerens, tãtę orationum iugitati dedit operam, vt eum literarũ ſtudijs incumbere poſſe nõ putares. Enimuerò ſi diligentius vitam eius conſideres, nihil ipſum literis indulſiſſe: ſi ſtudia, nihil orationi impendiſſe iudicabis. *Opera Brunonis.* At verò vt totus otioſus, ita totus negotioſus fuit. Itaque ſcripſit nobili ſtylo egregiã diuinamque in Pſalterium expoſitionem, quę ſui authoris præſtãtiſſimum ingenium ſummamque eruditionem oſtendit. Scripſit inſuper nobilem, fidelemque interpretationem in epiſtolas Pauli, adeò clarè, ſubtiliter, copioſeque, vt omni laude maior non iniuria eſſe putetur. Enimuerò ſi diligenter expoſitionem ipſam luſtraueris, inuenies Paulum ipſum omnium opinione difficillimum adeò clarum iam eſſe effectũ, vt ſine magnis laboribus ſenſa eius

capi

capi valeant. Videbis nihilominus tàm profundam interpretationis illius ſubtilitatem, vt planè mirum ſit, quo pacto cum tanta facilitate tâta ſubtilitas coire potuerit. Quibus animaduerſis, erraſſe illi non putantur, qui ſentiũt nullum in hac parte Brunoni conferendum eſſe: quippe qui cæteros, huiuſmodi interpretationis munus aggreſſos, & facilitate & ſubtilitate exuperârit, & denique Pauli ſenſum meliùs cæteris acceperit. Scripſit quoque varias ad diuerſos Epiſtolas, in quibus eſt illa, quam ex heremo Calabriæ ad ſuos filios Cartuſiam incolentes, olim ſcripſit, in qua & plurimum gratulabatur eis, quòd veteri inſtituto reſponderent: & mirum in modum hortabatur, vt in cœpto tenore pergerent. Extat & eius alia epiſtola ad Radulphum Remenſem Præpoſitum, quem ad mundi contemptum, ac heremiticam contemplatiuamque vitam ſuſcipiendam, & demum votum Deo factum vel tãdem reddendum, mirum in modum admonet. Alia autem eius ſcripta necdum ad notitiã noſtram peruenerũt. Quando autem pater ipſe ſanctiſſimus floruerit, ſatis ſuprà dictum eſt. Cæterùm de ipſo parente prolocuti, de alumnis quoque illius verba faciamus. In quibus fuit Guigo, quem ſecundo loco ſubijcere iuuat. Guigo de Caſtro, Valentinẽſis diœceſis, claris parentibus ortus, ingenio præſtans, memoria tenax, clarus eloquio, exhortatione efficaciſſimus, literis ſecularib⁹ & diuinis mirum in modum eruditus, nec minùs conuerſatione, quàm doctrina venerabilis, quintus poſt Brunonem maioris Cartuſiæ Prior effectus, vigintiſeptem annos vel circiter domum illã prudentiſſimè rexit, & anteceſſores ſuos fama & authoritate longè præceſſit. AEdi-

Quando floruit.

Guigo.

Ædificia penè omnia aut fecit noua,aut vetuſta inſtaurauit, rigoré quoq; ordinis obſeruauit ad vngué, quapropter diuina dante gratia, multos ſequaces habere meruit.Siquidē tempore illius ſex aut ſeptem Cartuſienſis Ordinis domus exordium,incrementumq́; non exiguum ſumpſerunt. Videlicet domus Portarum, Excubiarum, Durbonis,Syluæ benedictæ,Maioreui,& Aruеriæ. Domus quoque Montis Dei anno vitæ eius vltimo,conſilio eius extrui cępit. Et quãuis tantis eſſet negotijs occupatus,literarum tamen ſtudijs mirum in modum incubuit,libris autenticis veſtigandis,ſcribendis emendandiſque multam operam dedit. Epiſtolas inſuper ſacri Hieronymi,nimio ſcriptorum vitio deprauatas,diligenti ſtudio ad veritatis limam caſtigauit, & in vnum comportauit. Vitam etiam Beati Hugonis Gratianopolitani antiſtitis, & vineæ Cartuſianæ complantatoris, iubente Innocentio ſecundo Pontifice ſummo, luculento ſermone conſcripſit. Porrò Cartuſiani propoſiti inſtitutiones(quas Conſuetudines vocant) & exemplo monſtrauit, & multis fratrum precibus impulſus, nobili admodum ſtylo ſcripſit, primuſque in volumen redegit. Cuius lectione in eam planè ſententiam adductus ſum, vt putem, eum in eloquentia nulli peritorum ſui temporis ceſſiſſe, ſed doctiſſimos,qui eo tempore floruerunt, in quibus numerantur inprimis diuus Bernardus Clareuallenſis, cuius ad Guigonem ipſum nonnullæ extant Epiſtolæ, Hugo, & Ricardus de ſancto Victore, & Petrus Lombardus Sententiarum magiſter,ſtyli nobilitate aut ſuperaſſe,aut adæquaſſe. Denique alia quædam ſcripſiſſe fertur hic Guigo, in quibus ſunt meditationes

tiones atque epiſtolæ. In quibus (vt ait Boſtius) eruditionis eius inſigne, ſermo ſuauis & purus, oratio luculenta, non accerſitus, ſed ſpontè occurrens nitor, gratia, laudabileque compendiũ clarent ſuperabundè. Quòd dulciſonæ autem, ſimul & efficaces epiſtolæ ſuæ fuerint, oſtendit etiam D. Abbas Bernardus (qui ſecum cor vnũ & anima vna fuit) ei ſcribens in hæc verba. Patrum reuerendiſſimè, amicorum chariſſimè, legi epiſtolam tuam, & quas voluebam in ore literas, ſcintillas ſentiebã in pectore, quibus & concaluit cor meum intra me, tanquam ex illo igne, quem Dominus miſit in terram. O quantus in illis anagogici, theoricæque conuerſationis viri, meditationibus exarſit ignis, è quibus huiuſmodi proceſſerunt ſcintillæ, cum his (quæ cœlitibus communes ſunt) fœlicibus delitijs, etiam ſub cœlo, crebrò perfrueretur. Moritur tandem poſt multos labores in maiori Cartuſia, anno Domini milleſimo centeſimo triceſimo ſeptimo, temporibus Lotherij Imperatoris iunioris, ab incœptione verò Ordinis quinquageſimo tertio. Rifferius tertiuſdecimus maioris Cartuſiæ Prior, vir recolendæ memoriæ, omnibus literis tàm diuinis quàm humanis admodũ eruditus, doctrina, ingenio, & exhortatione efficaciſſimus, Cartuſienſis propoſiti conſuetudines (quę modò antiqua ſtatuta dicuntur) ampliauit, correxit, in vnum congeſſit, tres in partes aptiſſimè diſtribuit, tanta denique ſtyli venuſtate, grauitateque ſcripſit, vt & Cæſareas leges ad viuum referre, & omnes ſui temporis ſcriptores, ſtyli nobilitate ſuperaſſe non dubitetur. Suo (fateor) tempore floruerunt viri, doctrina, ingenioque præſtantiſſimi, in quibus fuerunt Alexan-

Boſtius.

Bernard. epiſt. 11.

Rifferius Cartuſ. Prior 13.

Antiqua Statuta.

Alexander de Hales, Albertus Magnus, D. Bonauentura, S. Thomas Aquinas, alijque permulti magnæ eruditionis viri. At verò ſi phraſim ſingulorum aſpexeris, profectò videbis noſtri Rifferij ſtylum prorſus altiorem cæteris eſſe. De cæteris autem eius ſcriptis nihil inuenire potui. Obijt autem mortem, ſeu magis tranſijt ad vitã, anno Domini 1267. Truſianus medicus, natione Florẽtinus, Thadæi medici (qui artis ſuæ practica inſigni diuitias penè regales congregaſſe fertur) quondam auditor atque diſcipulus, præ cæteris doctiſſimus, vir in ſumma literarum ferè omniũ eruditione mirabilis, & ex cuius ſchola viri clariſſimi propemodùm innumerabiles prodierunt, animaduertentes fortunam ſuis nõ ſatis reſpondere votis, fallax ſeculum deſtituit. Sunt enim quos diuina ſapientia proſperis, ſunt quos aduerſis ad melioris vitæ frugem vocat: quod poëta quidam carminibus atteſtatur, cùm inquit:

Truſianus ex Medico Cartuſianus.

Sunt qui blanditijs, ſunt qui terrore vocantur:
Et tamen hos omnes ſpiritus vnus agit.
Blanditijs Simon, flammas & fulgure Paulus,
Qui fuit ex acri fulmine pulſus equo.

Male igitur fortunatus hic Truſianus ſeculo vale dixit, & ordinem Cartuſienſium ingreſſus, artem carnis in medicinam ſpiritus fęliciter commutauit. Cartuſianus autem effect⁹, varios Tractatus ad ſpiritalem medicinam pertinẽtes, conſcripſiſſe fertur, qui anteà dum ſeculum coleret, nonnulla faceret opuſcula ad corporum medelam ſpectantia. E quibus extat commentum in regimẽ Galeni, quod tanta peritia effectum eſt, vt propterea author ipſe plus quàm Commentator à medicis nuncupetur. Claruit verò in or-

Scripta illius.

dine

dine Cartuſienſium circa annum Domini ſeptuageſimum poſt milleſimum & ducenteſimū, verbo,calamo,& exemplo latè reſplendens. Ludolphus Saxonica terra oriundus, vir in diuinis ſcripturis admodum ſtudioſus atque eruditus, & ſecularium quoq; literarum non ignarus, ingenio perſpicax, dulcis alloquio ac compoſitus, vita quoque & conuerſatione inſignis, edidit magnæ vtilitatis,& profundæ eruditionis opera quædam,magnum deuotionis feruorem redolentia, quibus nomen ſuum immortalitati condonauit. In quibus eſt magnum, inſigne,diuinumque volumen, quod paſſim de vita Chriſti titulatur, quod tantæ æſtimationis, tantæq; vtilitatis reputatum eſt, vt etiam in linguam vernaculam pro illiteratis traductum ſit. Extat & aliud eius opus ſuper Pſalterio, in quo Dauidicorum carminum interpretationem enucleatiſſimè complexus eſt. In ſuis autem libris hic pater deuotiſſimus orationes inſeruit, vt indicaret,ſacrarum literarum lectionem oratione cōdiri,& orationem ſacra lectione iuuari. Claruit in domo Argentinenſi ſub Clemente Papa VI. & Ludouico Imperatore IV. circa annum Domini milleſimum trecenteſimum trigeſimum. Henricus de Kalkar natione Theutonicus, vir in diuinis ſcripturis eruditus,& ſecularium quoque literarum non ignarus, vita & conuerſatione ſpectabilis, edidit opuſcula quædam mirum præ ſe ferentia deuotionis feruorem, quorum lectio religioſis,deuotiſque viris admodum vtilis eſſe putatur: è quibus iſta feruntur, Exercitium monachale, Loquagium de Rhetorica, & Cantuagium de muſica. De ortu quoque Cartuſienſis Ordinis, & curſu mirifico eius librum

Ludolphus. *Opera eius.* *Henricus de Kalkar.* *Opera eius.*

ſcripſit, nouem & viginti capitulis diſtinctum. In quo docet per quos viros cœptus, enutritus, & adultus ſit ipſe Ordo. Alia quoq; fertur confeciſſe, ad ædificationem animarum pertinentia. Claruit in domo S. Barbaræ in Colonia Agrippina, circa annum Dom. octauum & nonageſimum poſt mille trecentos. Guilielmus Rainaldi maioris Cartuſiæ Prior 24. ſcientia, moribus, multisque virtutibus perornatus, in tanta opinione fuit, vt Cardinalatus ei oblatus ſit, quē tamen refutauit. In electione quoque ſummi Pontificis vndecim voces habuit. Porrò eius induſtria, ac ſollicitudine iugi, domus Cartuſiæ fortuito incendio combuſta, & ad nihilum ferè redacta, longè meliùs, quàm anteà fuerat, inſtaurata eſt. In qua & triginta quinque annos laudabiliter viuēs, totius Ordinis habenas ſtrenuè, prudenterque moderatus eſt. Scripſit autem, multo iuſtitiæ zelo ſuccēſus, varias ad principes epiſtolas, quibus ſacrę Scripturæ ſententias citans, ad iuſtitiam faciendam mirum in modū exhortabatur. Hic quoque ex multis capituli generalis Ordinis Cartuſiani ordinationibus in vnū comportatis, ſtatuta noua edidit, quę anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo, per ipſum Capitulum generale approbata fuêre. De alijs eius ſcriptis nihil ad noſtram notitiam peruenit. Moritur deuotè in maiori Cartuſia, an. Domini 1042. Bonifacius Ferrarius, B. Vincentij famoſi Prædicatoris frater, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & ſecularium quoq; literarum non ignarus, iuris Canonici Doctor percelebris, & ſanctimoniæ ſublimitate egregiꝰ, vnus de ſeptē regentibus regnum Valentiæ fuit. Poſteà verò Cartuſianus effectus, à ſancto fratre

Guilielmꝰ Rainaldi.

Noua ſtatuta ordinis Cartu.

Bonifacius Ferrarius.

ſuo vita & conuerſatione non degenerans, poſt quatuor annos Prior Cartuſiæ effectus, tantum zelum habuit, vt ſtatuta ordinis ferè ſemper in manibus haberet. Qui & Cartuſiam maiorem (cuius Prior viceſimus quintus fuit) tùm verbo, tùm exemplo ſtrenuè gubernans, multos habitu religioſo donauit. Quos enim frater ſuus prædicando ad pœnitentiam prouocabat, eos ad religionis habitum Bonifacius iſte ſuſcipiebat. Tantæ denique prudentiæ extitit, vt Benedictus tridecimus Papa dictus, eum, quamuis renitentem, pro legatum ad Concilium Piſanum (ad quod citatus fuerat) mittendum curauerit. At verò cùm venire tardaret, generale Concilium tantas moras non ferens, tam Benedictum ipſum, quàm Gregorium (qui de Papatu contendebant) depoſuit. Scripſit autem hic Bonifacius inter cætera nobilem tractatum, cur in ordine Cartuſienſi pauci canonizati ſint, & miracula publicè non fiant, ad Bonifacium eiuſdem ordinis alumnum. Scripſit & tractatum alterum de confirmatione & approbatione ordinis Cartuſiani. Denique alia quędã ſcripſiſſe fertur, quæ nobis ignota ſunt. Fuit autem ad ſuam inſtantiam propter ordinis vnionem, anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo, ab officio exauctoratus. Henricus de Coſfeldia, natione Teutonicus, vir in ſcripturis diuinis eruditiſſimus, vita & conuerſatione deuotus, magnæq; famæ, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, declamator quoq; ſermonũ celeberrimus, ſcripſit multa præclara volumina, quæ deuotis viris admodùm vtilia eſſe putantur. E quibus ſubiecta feruntur. In Exodũ, in epiſtolã Pauli ad Romanos, de ſacramento Altaris, de annuntiatione

Opera eiꝰ.

Henricus de Coſfeldia.

Opera eiꝰ.

Dominica, de tribus votis ſubſtantialibus vitæ monaſticę, contra vitium proprietatis (quod religionis toxicum eſt) de tribus cuſtodijs monaſticis: de inſtitutione nouitiorum : circunciſorium myſticum : eulogium Pauli heremitæ: ſermones de tempore, de ſanctis : Epiſtolæ ad diuerſos ornatæ verbis ſententijsque fœcundæ, & alia quædã. Moritur anno Domini 1410. Adrianus ſacrę paginæ Doctor præſtantiſſimus, & humanis quoque literis nobiliter doctus, vitæ ſanctimonia ſpectabilis, & zelo animarum admodùm feruidus, animaduertens ſapientiæ talentum non ſibi pro ſe duntaxat, ſed vt cæteris impertiretur, collatum fuiſſe, diligenter curauit, & verbo præſentes inſtituere, & abſentibus, poſterisque ſcripto prodeſſe. Cohortatus ſiquidem eſt auditores ſuos voce vehementi, ſpirituq; feruido, fugere vitia, virtutes ſectari, mortis habere memoriam. Tartareas pœnas exhorrere, & demum cœleſtem ad gloriam totis votis anhelare. Scripſit quoque nonnulla, quibus nomen ſuum immortalitati donauit. Inter quæ eſt opus commendandum de vtriusque fortunæ remedijs, validiſſimis aſſertionibus communitum, quod ſe magni ſchiſmatis tempore confeciſſe notauit. Aliaque permulta edidiſſe fertur, immortali veneratione digna, & poſteris quoq; tum admirationi, tum eruditioni futura. Ioannes de Teneramunda, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & valdè eruditus, vita & conuerſatione deuotus, ingenio clarus, ſermone compoſitus, edidit ad ædificationem Eccleſiæ opuſcula multa, quæ inprimis ad amorem Dei legentes concitare poſſunt. Videlicet de notitia Dei, de amore Dei, de honore Dei, de fide Chriſtianâ,

Adrianus Theologus.

Opera eius.

Ioannes de Teneramunda.

Opera ei⁹.

pe ſa-

de ſacramento Altaris, de conceptione Sanctæ Mariæ, de natura, & lapſu hominis, de reparatione lapſi, de gaudio hominis. Alia quoque dicitur eleganter compoſuiſſe, quæ necdum in publicã notitiam deuenerunt. Floruit in domo Siligniaci in Sabaudia, circa annũ Domini 1420. Hermannus Petri, natione Theutonicus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus atque eruditus, vita & conuerſatione deuotus, ac Rector monialium in conuentu ſituato iuxta Brugas in Flandria, multa religione & doctrina viginti nouem annos claruit. Scripſit & deuota quędam opuſcula, de quibus ſubiecta feruntur. Opus inſigne in ſex voluminibus diuiſum, continens ſermones de tempore, & de ſanctis per annum occurrẽtibus. Item ſuper oratione Dominica Sermones quinquaginta, pro ſuĩ dignitate longè lateq; diſperſos atque impreſſos, de regimine monialium librum vnum, & alia complura. Tandem vitã bonã fine beato concluſit ſub Martino Papa V. an. Domini 1428. Henricus de Haſſia iunior, Licẽtiatus in Theologia, vir in diuinis ſcripturis admodùm eruditus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, ſanctitate præclarus, edidit multa elegantiſſima volumina, quibus nominis ſui memoriam poſteris reliquit: & multa eorum in gymnaſijs vniuerſalib9 publicè ante religionis ingreſſum interpretatus eſt, è quibus ſubiecta feruntur. Super Sententias, in Geneſim, in Exodum, in Parabolas Salomonis, in Apocalypſim Ioannis, dialogus inter Epiſcopum, & Presbyterũ, ſermones vtiles, & quædam alia. Obijt autem mortem quàm deuotiſſimè ſub Martino Papa V. anno Domini 1428. Stephanus de Senis, pater memorabilis, cuius

Hermannus Petri. *Opera ei9.* *Henricus de Haſſia.* *Opera eius.* *Stephan9 de Senis.*

cuius omnes (vt Boſtius refert) ſplendoris ac dignitatis plenæ fuerunt actiones, copioſam animarũ meſſem horreis cœleſtibus intulit. Qui & modeſtia, temperantia, ac prudentia (quæ virtutum auriga eſt) ſemper ita vſus fuit, vt ab omnibus egregia eius virtus celebraretur. Scripſit aũt inter reliqua præclarũ opus de vita & moribus ſanctiſſimæ virginis Katharinæ de Senis, quàm Pius II. Pontifex Maxi. canonizationis honore donauit. Floruit aũt hic pater mirabilis eo tempore, quo ſchiſma peſtiferum Eccleſiam Dei vexabat. Goſvvinus de Beca Prior domus ſanctæ Trinitatis iuxta Diuionem, Iuris vtriuſque Doctor egregius, ſapientia, authoritate ac vitæ innocentia memorabilis, ſcripſit (præter cætera) ſcientiæ iuris Canonici, Theologicęq́; ſapientię commendationes perquàm inſignes. Inſuper varios ſermones doctrinam multam præ ſe ferentes. Epiſtolas quoque permultas eruditionis ac decoris pleniſſimas. De hoc patre Boſtius perpulchrè in hunc modũ ait. Erat vtiq; præco, interpres, internuntius mellifluus eloquij diuini, tuba Euangelij, Angelus pacis, amicus ſponſi, religioſorum gloria, columna cleri, delitiæ plebis, oculus cœcis, patriæ lumen. Turpe quidem putauit ab inſtituto maiorum deſiſtere, auitæ, paternæque virtutis hæres, nihil habens nõ magnificum, non ſplendidum, non excelſum. Oſvvaldus de Corda, inprimis Cartuſiæ maioris vicarius, ſubinde domus Virtutũ in Scotia Prior primus effectus, acer ingenio, doctrina præclarus, vitæ ſanctimonia eximius, inter alia multa condidit pro correctura, librorumque ordinis ſui, hoc eſt, Cartuſiani correctoribus, opus inprimis vtile, multiſque acceptum, & iunioribus

Goſvvinus de Beca.

Opera eius.

Oſvvaldus de Corda, primus Prior in Scotia.

Opera eius.

bus perneceſſarium: vtpotè quod in lecturis ſuis eos probè dirigere queat. Poſtquam autem diutinos in ſuſcepto regimine ſuſcepiſſet labores, tandē coram poſitis fratribus ac orantibus, diem clauſit extremū. Anno Chriſti triceſimo quarto poſt mille quadringētos. Gerardus de Stredam, natione Theutonicus, vir in Scripturis diuinis ſtudioſiſſimus, & longa exercitatione egregiè doctus, religione quoque, prudentia & authoritate venerandus, foris clarus, & domi admirandus, neque rebus exteris magis laudandus, quàm inſtitutis domeſticis: ſcripſit præclara quædam opuſcula, ſcilicet libellum de cura paſtorali, de decem Præceptis opus frugiferum, de ſeptē Eccleſię ſacramētis librum exhortatione plenum, ſpeculū Religioſorum, dialogum de virtutibus, dialogum de vitijs, ſermones de ſanctis, & quædam alia omnis diſciplinæ refertiſſima. Moritur aūt poſt Deo gratā conuerſationem ſub Eugenio Papa IV. anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio. Nicolaus Albergatus ex inſigni familia ortus, Cardinalis ſanctæ Crucis, & Bononienſis Eccleſiæ præſul, humanarum diuinarumq; cognitione mirū in modum ornat⁹, ſanctimonia pręcipuus, fama percelebris, poſt primę ætatis florē mūdi oblectamēta deſtituit, & vias Domini duras ingreſſus, Cartuſianū ordinē profeſſus eſt. In quo quidē cum annos aliquot laudabiliter exegiſſet, multis dignitatibus licèt refragrās, ac enixiſſimè reluctā, donatus eſt. Quas cōſecutus, diligentiſſimè ſtuduit priſtinū religionis rigorē obſeruare, bonūque pręſulē in omnibus referre & Reipub. Chriſtianæ ſubſidio adminiculoq; ſingulari ſemper eſſe. Sed &, vt ſydus vbique refulgens omnibus

Gerardus de Stredam.

Opera ei⁹.

Nicolaus Albergatus Card.

Opera ei⁹.

prodeſſet, multas ſcribere curauit epiſtolas eruditiſſimas, cœleſtem animi ſui pulchritudinem, ac ſapientiam penè diuinam referētes. Tandem poſt multos fœlices, præclarosque actus, poſt labores ſudoresque varios, poſt legationes cum plena & ampla poteſtate creberrimas, poſt grauem denique calculi morbum (quo ad mortem vſq; fatigatus fuit) rebus exceſſit humanis. Quo vita defuncto, tota fleuit ciuitas, tota planxit Italia, de quo meminit multa cum laude Poggius Florentinus. Extollit & eum magnificè Boſtius, dicens: Nuſquàm ſua potuit deliteſcere ſapientia, nota gregalibus, nota regibus, ſummis notiſſima ſeculi Pontificibus. Fuit vita eius ſanctitatis exemplum: eloquentia, ſtupor: doctrina, miraculum. Speculum itaque ſine macula extitit Prælatis omnibus, Pater pauperum, & inter Dominatores orbis diſſidentes pacis reformator, impeditor ſchiſmatis, errorum excidium, Chriſtianæque Reipublicæ propugnaculum. Omnia retulit ad Deum ſummum maximum, quo tanquam ſemper præſente, vidente, audiēte direxit ac perfecit ſalutiferos ſuos cogitatus. Quò tamē minus laudem appetebat & gloriam, eò magis eum ſequebantur. Denique promeruit duos de ſua inſigni familia, ſcilicet, Nicolaū V. & Pium II. (qui anteà AEneas Syluius dicebatur) in ſummos Pontifices ſublimari. Bartholomæus Prior domus Bethleem in Ruremunda, ſacrarum literarū acutus, deuotus, & celebratus interpres, poſtquam authorum probatorū monimenta profundè rimatus fuiſſet, & optima quæque delegiſſet, ne iners aut ingratus euaderet, curauit etiam, literarum monimentis tradere quicquam, quo poſteritati prodeſſe poſſet.

Bartholomæus Ruremūdenſis.

Scripſit

Scripſit ergo prçclara opuſcula, quibus nominis ſui memoriam poſteris reliquit, de quorum numero ſubiecta ferũtur. Exercitium deuotionis. Summa vitiorum, de abſtinentia carnium, de proclamationibus fratrum, de iudicijs temerarijs, de iuramento, de voto, & alia cũplura, multa laude digna. Poſt diuturna verò huius vitæ exercitia, tandem ab his tenebris migrauit ad æternæ vitæ claritatem, anno quadrageſimo ſexto poſt mille quadringentos. Ioannes de Louanio, vir impenſe doctus, veraxque hiſtoriographus, & totius antiquitatis diligentiſſimus perueſtigator, inter alia ſui ingenij monumenta, quibus laudem gloriamque adeptus eſt, librũ de vitis ſummorum Pontificum conflauit, multa interferens (vt aſſolet) quæ opus ipſum vberius gratiusque efficiunt. In quo non famam ſequens, ſed exactiſſimè explorata referens, illorũ temeritatem hiſtoricorum vitare ſtuduit, qui dubia falſaque pro certis & veris ſæpenumerò aſtruere non verentur. Iacobus de Paradiſo, ſacrarum literarum doctor eximius, & inter præcipuos egregius, vt ſydus admodum radioſum emicuit: & iuxta cognomen ſuum totus amœnitate plenus, ad Paradiſiacas delicias purè dulciterque allicere, deſides excitare fortiter, improbos vehementiùs terrere, & ad Paradiſi viam reuocare curauit. Scripſit etiam (vt poſteros ad Paradiſi deſiderium accenderet) opera multa quã vtiliſſima, multaque laude digna. In quibus eſt liber de arte curandi vitia, & diligenti cura adhibenda per Prælatos circa eorum eradicationem. Deinde librum edidit de malis huius ſeculi, opus quoq; de ſeptem vitijs mortalibus ſe ſub ſpecie virtutum occultantibus. Item de peccatis

Opera ei⁹.

Ioãnes de Louanio.

Opera ei⁹.

Iacobus de Paradiſo.

Opera eius.

mortalibus mentalibus. Inſuper de poteſtate dęmonum, & arte Magica ac ſuperſtitionibus. Ad hæc de qualitate diuerſorum ſtatuum. Porrò de dignitate Paſtorum, & onere curæ paſtoralis, de ineffabili gloria ac dignitate ſacerdotij legis Euangelicæ. Præterea de obſeruantia præceptorum Dei. Poſtmodum de ſtatu ſecuriori incedendi in hac vita. De directione quoque intentionis in actibus moralibus. De profectu etiam in vita ſpirituali. Itidem de veritate dicẽda, aut tacenda. De indulgentijs anni Iubilæi. Similiter de contractibus cenſuum perpetuorum ſeu vitalium cum pacto redemptionis. Denique ſermones plures, & alia multa. Obijt autem mortem, ſeu potius ad vitam illam tranſiuit, quæ iucundiſſimè in Paradiſo agitur, anno ſexageſimo

Ægidius Aurifaber. ſexto poſt mille quadringentos. AEgidius Aurifaber, Vicarius domus mõtis Syon in Zelandia, vir tùm doctus, tùm deuotus, tùm ſpiritalibus laboribus intentus, pecuniam more ſerui nequã in ſudario ligare, & inerti otio (quod fons, & fomes omnium eſt vitiorum) langueſcere, trepidauit. Itaque multiplicatum Domino talentum referre, & ſuo cognomini reſpondere

Opera eius. ſatagens, aurea fabricauit opuſcula. In quibus eſt opus ſingulariter deuotum de Cartuſiana laude, in quo frequenter gratias Deo agendas, & nunquàm diſſimulandam eſſe obligationem inculcat. Extant & ſermones de tempore ac ſanctis per anni circulum præſtabiles. Itidem opus exemplorum, vtile ac ſplendidum velut aurum. Tandem poſt multa ab eo fabrefacta, terras guſtata morte relinquens, cœleſte templum ex auro & gemmis à ſummo opifice fabricatum adiuit, anno ſexto & ſexageſimo poſt mille quadrin-

drìngentos. Vlricus profeſſus domus Horti Angelorum, ſacræ paginæ Licentiatus benè meritus, non ſolùm diuinarum, ſed etiam humanarũ literarum egregiè gnarus, prudentia excellens, ingenio acer, multa non ſolùm oratione ſoluta, ſed etiam carmine lepidè, eleganter, & decorè compoſuit. Non enim arbitratus eſt (quorundã imperitorum errore) carmen vel Theologo vel religioſo viro indignum, ſed è diuerſo munus Dei eſſe, quo viri præſtantiſſimi ac ſanctiſſimi vſi ſunt. Scripſit autem inter cætera elegantem Epiſtolam ſatis prolixam ad fratres Carmelitas Herbipolenſes, in qua eos adhortatus eſt ad ſectanda Heliæ atque Heliſæi maiorum ſuorũ veſtigia. Dedicauit & eiſdem opuſculum, inſigni carmine lucubratum, de ſanctis fundatoribus, proceſſu, titulo, ac confirmationibus ſacri ordinis Carmelitani. Ex quibus quantùm ingenio ac eruditione valuerit, facilè animaduerti poteſt. *Vlricus.* *Opera eius.*

Ioannes de Haghen, ſiue de Indagine Prior domus Gratiæ Dei in Prouincia Saxoniæ, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimꝰ erudiriſſimuſq́;, & in iure Põtificio egregiè doctus, ingenio clarus, conſilio promptus & prouidus, ſaluté plurimorũ voce, calamoq́; vbertim propagauit. Scripſit orationes de varijs ac diuerſis quęſtionibus, interrogatus de diuerſis materijs, ad diuerſos principes, Epiſcopos, aliosq́ue Prælatos diuerſos, peneq́; innumeros tractatus eruditionis plenos. Enimuerò ſicut ex ſcriptis cuiuſdã Cartuſiani liquet, pluſquã trecentos Tractatus hic Ioannes edidit, de quibus Dom. Abbas Spanheimenſis in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſexaginta 7. refert, quos ibi notatos videre poteris. Claruit ſub Pio Papa II. anno Domini 1460. *Ioannes de Indagine.* *Opera eiꝰ.*

Diony-

Dionyſius Rickel. Dionyſius Rickel, aliàs de Leevvis, natione Theutonicus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus, & continua exercitatione peritus, ſecularis quoque Philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, vita & conuerſatione ſingulariter deuotus, adeò vt etiam diuinis reuelationibus dignus haberetur, tot & tanta ſcripſit, vt nō ſolum ſuos comprofeſſores librorum multitudine præceſſerit, ſed etiam numero opuſculorum (præter Auguſtinum) apud Latinos parem habuerit neminem. Hic enim contemplator eximius, & ſcriptor vberrimus, in otio negotioſus, & negotio otioſus peculiariter eſſe ſciuit. Siquidem contemplationi & orationi cum tanto feruore inſtabat, vt eum nihil ſcribere potuiſſe vnquam putares. Rurſum in ſcribendo tam ſedulus erat, vt nec orare, nec legere eum poſſe vſquàm æſtimares. Denique in legendo tam ſedulus fuit, tantaque inexhauſta auiditate lectitauit (quod de Marco Varrone dici ſolet) vt aliquid ei ſcribere vel cōtemplationi vacaſſe mirum ſit. Erat enim parciſſimi ſomni, cibi & potus abſtinētia mirabilis, qui beati exemplo Hieronymi, die ac nocte in lege Domini meditari dulce iudicabat, ſemper aut ſcribens aliquid vtile, aut legens, ita vt & lectionem oratio ſæpè interrumperet, & orationem lectio ſacra frequenter exciperet. Sua autem opuſcula, *Opera eius.* quæ partim ſuper Sententias, partim in totam Bibliam, partim verò in alijs varijs multiſque materijs edidit, quodam indiculo ipſe recēſuit, quemadmodum teſtatur Dominus Ioānes Tritemius in libro de ſcriptorib⁹ Eccleſiaſticis, qui & præfata huius Dionyſij opuſcula referens, vſque ad ducentos libros enumerat, quos ibi vide-

re(ſi

re(ſi libet)poteris. De hoc etiam meminit Boſtius Carmelita, qui & multis eum laudibus extollit,& opera quoque eius refert. Moritur autem ſub Paulo Papa II. Anno primo & ſeptuageſimo poſt mille quadringentos,ſepultus nõ ſine magna opinione ſanctitatis in cœmiterio fratrũ domus Bethleem Ruremundenſis ſuæ profeſſionis. Iacobus de Gruytrode,vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus,vita & conuerſatione deuotus,ingenio præſtans,& dulcis eloquio, ſcripſit opuſcula quædam deuota atque præclara, quæ deuotis perſonis non inutilia eſſe perhibentur. Scripſit quintuplex ſpeculum, ſcilicet Prælatorum,ſubditorum, ſacerdotum, ſecularium hominum,& ſenectutis ſiue ſenum. Scripſit & quintuplex colloquium: videlicet Ieſu & Prælati, Ieſu & ſenis, Ieſu & Diſcipuli, Ieſu & Monachi,Ieſu & heremitæ. Scripſit quoque triplicem dialogum, vnum quidem Crucifixi & peccatoris: alterum Mariæ & peccatoris, alium iterum Mariæ & peccatoris. Scripſit inſuper duplices meditationes, ſcilicet paſſionis Domini, & compaſſionis Mariæ. Scripſit & alios tractatus varios, vnum quidem de vita Domini IESV, alium de contemplatione ſanctæ Mariæ, alium de coronula eiuſdem, alium de nomine Ieſu & Mariæ,alium de definitione nominis Monachi, alium de præparatione ante Miſſam, alium de varijs virtutibus,alium de ſeptem peccatis mortalibus,alium de quatuor nouiſſimis, alium qui intitulatur: Lectionarius menſæ. Denique ſcripſit ſermones de tempore & de ſanctis, Epiſtolas quoque ad diuerſos, & alia multa. Moritur quàm deuotiſſimè ſub Sixto Papa IV. Anno Domini 1472. Henricus de Piro, natione Teutoni-

Iacob⁹ de Gruytrode.

Opera ei⁹.

Henricus de Piro.

tonicus, ante Ordinis ingreſſũ Doctor vtriuſq; iuris admodum ſubtilis & famoſus, qui poſtmodùm in diuinis literis ingeniũ exercitauit. Scripſit quædam præclara volumina, de quibus ſubiecta ferũtur. Super inſtitutis libri quatuor, cõcilia in diuerſis caſibus, liber vnus. Ad nouitios liber alius. Sermones de tempore liber vnus. Sermones de ſanctis liber alius, & quædam alia. Claruit temporibus Pauli Papæ II. Anno Domini 1470.

Opera eius.

Ioannes Venetus. Ioannes Venetus vir in diuinis literis ſtudioſus, ac eruditus, ingenio excellens, vita & conuerſatione deuotus, & regularis obſeruãtiæ cultor eximius, ſcripſit pro ſimplicioribus imbuendis quædam non aſpernanda opuſcula. E quibus extat opus pręclarum in tres libros diuiſum, quod Noſce teipſum, intitulatur. Edidit quoque de patientia & humilitate librum vnũ: Item ſpeculum morientium, coronam quoque ſenum, ſermones varios, epiſtolas multas, & quædam alia. Claruit Venetijs ſub Sixto Papa 4. anno Domini 1480.

Opera ei'.

Henricus Vroede. Henricus cognomento Vroede vir in diuinis ſcripturis eruditus, clarus ingenio, vita & conuerſatione deuotus, atque Deo ſingulariter deditus. Scripſit pro inſtitutione religioſorum quædam præclara opera, quibus memoriam ſui poſteritati commendauit. E quibus extat opus deuotioni maximè conſentaneum, quod Tetralogum deuotionis prænotauit, quod & in partes tres, ſecundùm tres ſtatuum differentias, ſcilicet incipientium, proficientium, & perfectorum partitus eſt, & dialogico more agens, collocutores Angelum, Monachũ, Ieſum, Patrem cœleſtem, & Mariã amoroſam ſocrum ſanctarum animarum introduxit. Moritur autem anno Domini milleſimo

Opera ei'.

qua-

quadringenteſimo octuageſimo quarto. Henricus Arnoldi natione Saxo, vir religione deuotus, clarus ingenio, eloquio dulcis, grauis moribus, cõuerſatione laudabilis, exemplo rutilans, in ſacris literis plurimũ exercitatus, & Pontificij iuris non ignarus. Hic poſtquàm officio Notariatus in Concilio Baſilienſi ita prudẽter functus eſſet, vt omnium iudicio fidelis ac iuſtus cenſeretur, omnia tamen vana eſſe ac fluxa ſapienter animaduertẽs, vniuerſa pro Chriſti amore contempſit, & Cartuſianam ſolitudinem, vtpotè tutiorem, elegit, in qua Prior effectus, prudẽter ſubditos rexit, & nihilominùs cum huiuſmodi ſarcina opuſculo multa deuota atque ſalubria edidit. In quibus ſunt tractatus de Conceptione immaculatæ virginis Mariæ. Meditationes de vita Chriſti. Concordantia Euangeliſtarum: de paſſione Domini: multæ de diuerſis Sanctis orationes. Hiſtoriæ quoque de multis Sanctis: dialogus triplex, vnus ſcilicet inter Ieſum & Mariam, alter de exercitijs, alius de cruce: de inſtructione Nouitiorum: de commendatione charitatis: de humilitate: ſermones plures, & alia quędã. Obijt aũt anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo 7. Gerardus de Breda, multa ſacrarũ literarum eruditione mirandus, vitæ ſanctimonia præclarus, dulcis eloquio, ſentẽtijs plenus, tùm lingua, tũ penna cunctis opem ferre ſtuduit. Singulos namq; vt potuit, adhortatus eſt ad benè, grauiter, caſtigateq; viuendum, ad contemnenda fragilis fortunæ bona, ad virtutes æmulandas, ad ſuperba bona iugiter expetenda. Scripſit quoque (præter alia multa) vitam Domini noſtri Ieſu Chriſti inſigni rythmo. De ſacro quoque corporis eius ſacra-

Henricus Arnoldi.

Opera eius.

Gerardus de Breda.

Opera ei⁹.

ſacramento ſuauiter complura modulatus eſt. Itidem ſuper Pſalmo, Exurgat Deus, nobilem tractatum edidit. Porrò librum confecit, quem Miſericordem vocitauit. Henricus Loen Theologus percelebris, pietate, prudentia, cæteriſque virtutibus inſignis, eloquentia præditus, & omni ferè rerum cognitione ita ſupereminens, vt inferiores multos, paucos verò ęquales haberet, ſagaciter animaduertēs, ad ſuę profeſſionis onus maximè pertinere, talentum ſibi creditum cæteris impertiri, curauit diligenter id efficere, ne tanquam inutilis ſeruus inertiæ tandem condēnaretur. Itaque vitijs exterminandis, virtutibuſque propagandis plurimam operam impendit.

Henricus Loen.

Opera ei⁹.

Scripſit & multa poſteritati profutura, in quibus eſt expoſitio inſignis ſuper Dauidicum Pſalterium. Itidem commentarium in libros Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum. Similiter ſermones admodum laudabiles, quos anteà declarauerat. Denique alia non pauca ſcripſiſſe fertur. De hoc venerabili patre Boſtius ſcribens, dicit ſe aliquando eum vidiſſe Priorem domus Gratiæ iuxta Bruxellas, & comperiſſe tam ædificatorio abundare ſermone, vt ſecundus necdùm ei comparuiſſet. Laurentius pater celebris virtutibuſque ac literis affatim refertus, magno animarum zelo efferbuit, quas opere, lingua, calamoque Chriſto lucrari ſtuduit. Sed & tanta deuotione, & vitæ ſanctimonia præditus fuit, vt & diuinis reuelationibus fuerit dotatus. Siquidem à beatiſſima virgine & martyre Catharina (quam vnicè dilexit) crebriùs viſitatus, & roſa cœleſti vice quadam donatus eſſe refertur. Tanta inſuper munditia ac puritate fuit, vt mulierū colloquia, tanquam venena quædam, fugere ſoleret.

Laurentius.

leret. Scripſit autem inter alia de amore ſilentij *Opera ei⁹.* & ſolitudinis librum vnum. Item tractatum de ſertulo Domini noſtri IESV Chriſti,& alia quędam. Martinus de Lauduno Prior Vallis S.Petri, *Martinus de Lauduno.* vir in Scripturis diuinis egregiè inſtitutus, mirumq́ue in modum exercitatus, vita & conuerſatione deuotus, exhortatoriam, miræq́ue eruditionis plenam epiſtolam ſatis prolixam, diligenti ſtudio, mirabiliq́ue artificio, non ſolùm ex ipſis Sacræ Bibliæ ſententijs ſparſim admixtis *Opera ei⁹.* (quod multi feciſſe leguntur)ſed etiam ex meris ipſius Sacræ ſcripturæ verbis ſibi inuicem connexis (quòd neminem adhuc ita feciſſe reperi) decerpſit, in qua nouitium quendam Cartuſianum adhortatus eſt de perſeuerantia in cœpto propoſito habẽdã. De alijs autem eius ſcriptis nihil vidi. Ioannes de Lapide vir in diuinis ſcri- *Ioanes de Lapide.* ptis eruditiſſimus,& ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio præſtans, vita & conuerſatione præclarus, qui in alma vniuerſitate Pariſiẽſi laurea magiſtrali in præclara artium facultate donatus, multis annis rexit in eadem. Et poſt multa ſacrarum literarum ſtudia, interpretatiões ſubtiles, acutiſſimasq́ue diſputationes, quas partim habuit in famatiſſimo collegio Sorbonico (cuius habitator & ſocius fuit) doctorali dignitate in ſacratiſſima Theologorum facultate decorari meruit. Poſtmodum ſectam Realium primus ad Baſilienſem Vniuerſitatem tranſtulit, ibiq́ue plantauit, roborauit,& auxit, & inter præcipuos quoque Tiburgenſis ſtudij incęptores & auctores vnus fuit. Denique beneficia, opes, & honores pro Chriſti amore deſerens, Cartuſienſis effectus eſt. Scripſit multa præclara opuſcula in ſcientijs varijs. In Grammatica quidem, intro-

ductorium Grammaticæ, & Dialogum de arte punctuandi. In Logica, tractatum de propoſitionibus exponibilibus. Alium tractatũ de arte diſſoluendi ſophiſtica argumenta, & explanationẽ omnium librorum Logicæ Ariſtotelis. In Philoſophia explanationem librorum Phyſicæ ipſius Ariſtotelis: explanationem in libros Metaphyſicæ eiuſdem. In Theologia verò tractatum de ijs, quæ ad dignum ſacerdotem exigũtur. Reſolutorium dubiorum circa Miſſam occurrentium. Summarium paſſionis Chriſti. Sermones multos tàm ad clerum, quàm ad populum, orationẽs & epiſtolas varias. Multos prætereà diuerſorum authorum tùm Philoſophorum, tùm Sacrarum literarum libros per tractatus, & capitula diſtinxit, ſingulis argumẽta præmittens, quibus facilè agnoſci poteſt, quęnam in illis ſit ſcribentis intentio. Claruit in Baſilea ſub Alexãdro VI. Pontifice ſummo, anno Domini milleſimo

Vvernerus de Laer. quadringenteſimo nonageſimo quarto. VVernerus de Laer, vir diuinis Scripturis ſtudioſiſſimus, valdeq; eruditus, ingenio præſtans, vita & conuerſatione deuotus, edidit multa præclara opuſcula. *Opera ei⁹.* In quibus extat opus grande ſuper omnes epiſtolas Pauli, quod quatuordecim libros complectitur, & doctrina Pauli prænotatur. De vita quoq; Pauli libri ſeptem, de valore miſſarum liber vnus, de ſtudio Theologię liber vnus, de regimine Principum liber alius, faſciculus temporum, paradiſus conſcientiæ, ſermones multi, & alia complura. Floruit in conuentu Colonienſi ſub Alexandro ſummo Pontifice 6. anno Domini milleſimo quadringẽteſimo nonageſimo quarto. *Petrus Ruffi.* Petrus Ruffi maioris Cartuſiæ Prior ſecundus & triceſimus, pater inprimis venera-

nerabilis deuotione præcipuus, omnibus amabilis atque gratus, diuinarum, humanarumq́; literarum egregiè gnarus, Iuris vtriusque Doctor percelebris. Inter cæteras virtutes quas habuit fœcundiſſimè, benignitate & patientia mirum in modum præditus fuit. Etenim ſubditis ſuis, à quibus, imò omnibus, plurimùm amabatur, ſe inprimis benignum exhibebat, in quibus & pacem maximè dilexit. Omnibus quoque alijs, qui ad eum veniebant, miſericordiæ gremium aperuit, & afflictos potiſſimùm benignè ſuſcepit. Etenim nõ ignarus mali, miſeris ſuccurrere nôrat. Nôrat, inquam, quid aduerſa ſibi fortuna vellet. Tantis ſiquidem tribulationum, aduerſitatumq́ue procellis agitatus fuit, vt nihil ferè poſſit excogitari detrimẽti, quod pius hic pater expertus non putetur. Ipſa quoq; patientia tam firmas in eo radices egerat, vt perſecutiones omnes (quas à multis ſuſtinuit) patientiſſimè tulerit, nec perſecutores ſuos moleſtia vlla (quamuis faciliter potuiſſet) ſigno, verbo, aut facto vnquam affecit. Porrò in negotijs ordinis admodum diligens, prouidus, ac circumſpectus fuit, quæ & longa experientia edoctus, optimè tractare ſciuit. Nam & in multis domibus Prior, & in nõnullis prouincijs Viſitator fuerat, antequã Prioratum Cartuſiæ gereret. Ad hæc in ædificijs efficiendis, alijsq́ue externis negotijs tractandis, quàm ingenioſus, acutus, ſolerſque fuerit, teſtatur via illa, qua de ſancto Laurẽtio Cartuſiam itur, mirabili quidẽ ſtudio, induſtria, labore impenſisq́; multis per horrida, pericoloſa ac penè inacceſſa loca, per Alpes, per iuga rupiũ, per concaua vallium, non ſine multorum admiratione confecta. Et cùm tantis eſſet negotijs occupatus, *Opera eit.*

Pp 2 nihil-

nihilominus(quod mirum videri debet)ſui pręclari ingenij quædam monimenta reliquit,quãdoquidem ad inſtantiam ſuorum monachorum (quos vt pater filios diligebat)Pſalterium Dauidicum interpretatus eſt. Itidem & Cantica Canticorum expoſuit tam mira induſtria, ſuauique ſermonis ſtylo,vt legentium pectora & ſpiritali ſuauitate reficiantur, & ignito eloquio accendantur. Tandem hic pater deuotiſſimus poſt multos labores, poſt tribulationes varias, poſt grauem morbum, quo duobus annis ante obitum flagellatus atque purgatus inſtar tritici in area fuit, poſt ſacramenta demum Chriſtiano more ſuſcepta, fœlicem Deo ſpiritũ multis præſentibus ſuo Creatori cum multo fructu reddidit,poſteris exemplum patientiæ humilitatisq; relinquens, anno tertio poſt mille quingentos, qui & decenter ſepultus non ſine ſanctitatis opinione fuit.

Frãciſcus de Puteo.

Franciſcus de Puteo, natione Lugdunenſis,Prior maioris Cartuſiæ 33. iuris vtriuſq; Doctor præſtantiſſimus, & tàm diuinis quàm humanis literis nobiliter doctus,ingenio ſubtilis,promptus conſilio,rebus agendis aptus atque prouidus, & in practica iuris omninò detritus: vtpotè qui duorum Epiſcoporum,Valentię,ſcilicet & Gratianopolitani annos multos officialis fuit.Qui cùm circiter annum quinquageſimũ ætatis ageret, omnia quæ in mundo ſunt, vana fluxaque prudenter animaduertẽs, ea pro Chriſti amore prorſus deſtituit, ſacrumque religionis habitum in maiori Cartuſia (quam multis anteà beneficijs affecerat) deuotè ſuſcepit. Quẽ nihilominùs Cartuſianum effectum Gratianopolitanus Antiſtes (cuius Officialis, vicariuſque vndecim annos fuerat) tanto amore proſecutus eſt, vt

eſt, vt quaſdam poſſeſſiones, & eas quidem amplas, vt ſcilicet earum fructus quotannis perciperet quoad viueret, eidẽ aſſignauerit. Cùm autem horridum illum Cartuſiæ locum paucos annos incoluiſſet, eius Prior eſt effectus. Cui grandi ſarcinæ diligenter reſpondere, atq; Ordinem prorſus in ſua integritate conſeruare ſatagens, ſe in omnibus ſolicitum, paſtoremque pium ſtuduit exhibere, ſuasque ouiculas dulciter fouere, quas & paterno amore proſecutus, in pace ac tranquillitate regere ſolicitus fuit. Quapropter ab eis & amari, atq; honorari etiam promeruit. At quoniam maioris Cartuſiæ Prior, non tantum domus illius, ſed totius quoq; Ordinis generalis moderator. Ordinis negotia curare habet, hic omnium curam ſtrenuè geſſit, vt mirum videri queat, quo pacto vnus tanta moliri potuerit, quanta ab eo effecta cõſpiciuntur. Siquidem, vt aliqua tangamus, domum illam Sancti Stephani, in qua noſter Princeps Bruno fœlix migrauit ad Chriſtum, alienis manibus longiſſimo tempore occupatam, mira diligentia atque induſtria recuperare, Cartuſianoque Ordini aggregare & coniungere, ipſo iuuante (vt par erat) Ordine, ſtuduit. Ipſius quoque diligentia beatus Pater Bruno, cui multa deuotione addictus erat, multis anteà ſeculis neglectus, in Sãctorum numerum per Apoſtolicam ſedem repoſitus eſt. Domus inſuper maioris Cartuſię fortuito incendio magna ex parte conſumpta, longe meliùs quam antea fuerat, eius induſtria, ac impenſis Ordinis, inſtaurata eſt. Alia denique permulta, partim pro maiori domo, partim pro toto Ordine, decenter ab eo (opitulantibus patribus, qui cum eo victitârunt) effecit. Quibus *Opera ei⁹.*

animaduerſis ſatis mirum eſt, quo pacto aliquid ſcribere potuerit. Scripſit nihilominùs multa, è quibus ſubiecta feruntur. Inprimis nouiſſima Cartuſiani Ordinis ſtatuta, quæ paſſim tertia compilatio nuncupatur, quæ ex varijs generalis capituli ordinationibus anteà factis, magna ex parte conflata eſt, quò ſcilicet totus ordo in ſuo tenore magis ac magis perſeueraret. Deinde vitam beatiſſimi Patris noſtri Brunonis aperto ſermone edidit. Adhæc luculentam in Pſalterium expoſitionem ex multis doctorũ (in quibus nouellos quoſdam inſeruit) ſententijs, inſtar apis argumentoſæ decerpſit. Denique innumeras penè epiſtolas extemporarias ad varios, præſertim Cartuſiani ordinis alumnos, miſit, quarum & bonam partẽ non dictando, ſed propria manu exarando incredibili labore ſcripſit. Fuit enim, ſuprà quàm credi poteſt, laboris patientiſſimus. Alia autem eius ſcripta, ſi quæ ſint, ad notitiam noſtram necdùm peruenére. Tandem poſtquàm Cartuſię domum octodecim annis rexiſſet, & multis morbis ante finem vitæ longo tempore cruciatus fuiſſet, nuper rebus humanis exceſſit, mẽſe ſcilicet Septembri, quo iſta à nobis ſcripta ſunt, anno viceſimo primo poſt mille quingentos. Cæterùm de alijs vel mortuis, vel viuentibus nihil certi referre poſſim, vtpotè qui præter Margaritam philoſophicam à venerabili Patre Gregorio Friburgi Priore adhuc viuente conflatam, nihil ſcriptorũ vel habere, vel videre (quamuis ſolicitè quæſiuerim) adhuc potui. Itaque ſi mihi forſan aliqui ſuccenſeant, putantes meo ſilentio iniuriam ſibi illatam fuiſſe, illud afferam, quod ſacer Hieronym. in prologo de viris illuſtribus, hoc modo deprom-

Tertia cõpilatio ſtatutorũ Cartuſ.

Margarita Philoſophica.

deprompſit: Si qui tamen (inquit) de ijs, qui vſque hodiè ſcriptitant, à me in hoc volumine prætermiſſi ſunt, ſibi magis quàm mihi imputare debebunt, cęlantes ſcripta ſua. Neque enim de ijs, quæ non legi, noſſe potui. Et quod alijs forſitan ſit notum, mihi hoc terrarum angulo, fuerit ignotum. Certè cùm ſcriptis ſuis claruerint, non magnoperè noſtri ſilentij diſpendio ſuſpirabunt. Non igitur quiſquam vel inuidiæ, vel negligentiæ meipſum incuſet, quippe qui libenter ſcriptores omnes pro decôre ordinis in præſentiarum afferrem, commemorarem, celebrarem, ſi mihi per facultatem liceret. Itaque receptui canentes, conficiamus, eos planè vel inuidos, vel imperitos eſſe, qui Cartuſianum gregem tùm inertiæ, tùm inſcitiæ incuſant, taxantque iugiter. Ex ſuperioribus enim liquet, multos fuiſſe illuſtres, qui ſuis copioſis ſcriptis ab vtroq; vitio Cartuſianum ordinem egregiè diluerũt. Sed quoniam liuor ipſe, qui vix aut nunquam contentus euadere poteſt, adhuc Cartuſianum gregem infeſtare forſan non deſiſtet, afferens plures fuiſſe impensè doctos Cartuſianos, qui nihil ſcripſerunt, eaq; de re negligentię atq; ignauiæ Cartuſianũ Ordinem hac parte arguendum eſſe, vt ab inertia atque deſidia patres ipſi vindicentur: inpræſentiarum afferre certũ eſt, cur multi egregiè docti nihil de literis memorię prodiderunt.

CAPVT VIII.

Ponuntur cauſæ, quibus multi Cartuſianorum egregiè docti nihil ſcriptorum confecerunt, nec tamen propterea & eos, & Cartuſianum ordinem taxari debere.

CAuſas igitur allaturi, dicamus inprimis, nonnullos humilitatis gratia à ſcribendi munere abſtinuiſſe. Tam paruam enim æſtimationem de ſe quidam patres habuêre, vt quamuis multa ſcirent, ſe tamen nihil ſcire arbitrarẽtur. Hæc autem humilitas (fateor) rara eſt, quandoquidem plerumque ſciolos permultos offendas, qui de ſeipſis immensè ſentientes, ſcriptitãt quæ ſæpenumerò non capiunt, cùm tamen docti admodùm prudenteſque viri ægrè ad ſcribendum proſiliant. Itaque verum eſt illud Horatij:

Horatius.

Scribimus indocti, doctiq; poëmata paßim.

Verùm quoque illud eſt quod dici vulgo ſolet: ſcientiam æqua lance diſtributam eſſe, quod ſcilicet qui multùm habeant, parùm ſe habere opinentur: qui verò parùm conſecuti ſint, ſe multũ aſſecutos exiſtiment. Sed iam alteram cauſam tãgamus, dicentes multos inanem gloriam formidantes nihil ſcriptorum edidiſſe. Tam periculoſa enim ac fraudulenta hæc beſtia putatur, vt vel optima quæque depaſcere diſperdereq; ſoleat. Itaque huius beſtiæ timore quidam correpti, nihil ſcribere auſi ſunt, animaduertentes, ſecuriùs eſſe ijs, qui necdum ſublimẽ vitæ perfectionem aſſecuti ſunt, tacere, quàm laborũ ſuorum fructum per inanem gloriam faciliter turpiterque perdere. Inſuper (vt cauſa alia detur) nonnulli putantur hanc prouinciam non obijſſe, quòd venam ſatis aptam ſe non habere animaduertebant. Fieri enim poteſt, vt quis apprimè doctus ſit, & tamen id quod ſentit, ſatis aptè cõſequi nequeat. Boni enim Scriptoris officium inuentionem, diſpoſitionem, illuſtrationem, fæcunditatemque exigit, quibus lector affici ſolet. Inuen-

Ad bonũ Scriptorẽ quæ pertineant.

Inuentione ſiquidem acri lectoris ingeniũ acuitur, diſpoſitione iuuatur memoria, illuſtratione allicitur ſpiritus, & demùm fœcunditate reficitur. Hæc autem omnia ſi quis (certè mediocriter) præſtare non poteſt, potiùs abſtinere quàm ſcribere debet, quãdoquidem (vt in quæſtionibus Tuſculanis ait Cicero) mandare quenquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis. Neque tamen Ciceronis more, qui omnia ad eloquẽtiam refert, & interdum infœcundas, atque abhorrẽtes à veritate ſententias habet, exactam quærimus elocutionem, ſed clarum aptumq; ſermonem, quãtum aperta veritatis declaratio flagitat. Igitur vt cœptum proſequamur, animaduertentes Cartuſiani nonnulli, ſatis aptam ad decenter ſcribendum venam ſe non habere, tacere maluerunt, quàm ſciolos quoſdam imitari, qui omnia penè quæ ſomniant, ſtatim literis mandant, ita tamen confusè, barbarè, ac ineptè, vt nihil fędius inueniri queat. Sed quartam cauſam afferentes, dicamus, nonnullos à ſcriptis conficiendis temperaſſe, quòd pijs deuotiſque officijs incumbere maluerunt, qui ſcilicet ſe talibus magis affici, copioſiuſque refici ſentiebant. Horum enim tota cura fuit, deuotionis ſuauitate animum paſcere, & in orationibus, meditationibus, contemplationibuſque aſſiduis inceſſanter verſari. Qua in re nõ negauerim, aliquos id genus homines forſan deluſos fuiſſe, qui animaduertentes, Cartuſianam vitam contemplatiuam eſſe, forſitan arbitrati ſunt, ſemper contemplationibus eſſe vacandum. Quod ſi locum habeat in his, qui ad ſcri-

Cicero.

An Cartuſianis ſẽper contemplationi vacandũ ſit.

ſcribendum inepti ſunt, nõ tamen de his, qui induſtriam opportunitatemq; habẽt rectè ſentiri poteſt. Siquidem huius generis homines Cartuſianis exercitijs operam ita dare debẽt, vt etiam ſcriptis reponendis interdum incumbere habeant, quando commodè fieri poteſt. Primum igitur potiſſimum eſt ab eis curandum, ſed alterum prorſus negligendum non eſt. Porrò, vt aliam cauſam proferamus, nõnulli obedientia impellente alijs negotijs occupati, non potuêre ſimul ſcribendis libris operam nauare. Siquidem ex eis multi fuêre Priores, qui & ſpiritaliũ, & temporalium curam gerentes, non valuerunt quicquam literis mandare, quod ad poſteros tranſmittere poſſent. Enimuerò tam grandis eſt paſtoralis cura regiminis, vt totum hominem ſibi vẽdicet, nec ſinat ob varias diſtractiones, caſuſq; frequenter emergentes animum ſatis collectum trãquillumq; eſſe, quod tamen in re, de qua agitur, maximè opus eſſe non dubitatur. Denique multi varijs detrimentis ac modis impediti non potuerũt otio tam negotioſo vacare. Siquidem nonnulli mala valetudine, debilitate, alijſq; incommodis affecti, non potuerunt id munus obire. Quomodo enim potuiſſent cum graui languoris pondere, pondus quoque ſcribendi ſufferre? Non enim parua ſarcina, non paruulus labor eſt, grande aliquid, præſertim quod poſteritate dignum ſit, proprio marte conficere. Non igitur mirum eſſe debet, ſi cum languoris ordiniſq; pondere, ſcribendi onus debiles ferre non potuerunt. Alij verò ſanitate fruẽtes, propter librorum penuriã nihil arduũ efficere valuerunt. Quis enim ſine copia librorum, quicquã cedro dignum, & demorſos ſapiens vngues, moliri potuit

tuit vnquam? Nemo planè, niſi forſan peculiari numine imbutus (quæ rariſſima auis eſt) ille fuerit. Deniq; nonnulli de doctorũ grege poſtquã Cartuſianum ordinem profeſſi ſunt, nõ diu vixerunt, ea de re non potuerunt quicquã grande poſteritati relinquere. Ad ſcribẽdum enim tum artificioſè, tum copioſè, diutina vita op⁹ eſt. His igitur cauſis permulti de Cartuſianorum grege nihil, vel parùm literis mandauerunt. Quod & doctis innumeris non Cartuſianis, eiſdem de cauſis contigiſſe putatur. Putatur nihilominus, & rectè quidem, etiam innumeris, (præſertim ſecularibus) non iuſtis cauſis idipſum eueniſſe. Alij enim turpi inertiq; otio languentes, alij cumulandis beneficijs plùs debito intenti, alij proceſſibus litibusq; agitandis nimium dediti, alij congerendis opibus tractandisque negotijs ſupra modum occupati, alij demum voluptatibus, delitijs, alijsque vanitatibus indulgentes, nihil literarum ad poſteros tranſmiſerunt. Quibus profectò retinaculis non putamus vllos Cartuſianos à ſcribẽdo fuiſſe impeditos, ſed ea potiùs, quæ inprimis diximus, in cauſa fuiſſe. Cæterùm cùm iam ſatis Cartuſianum gregem ab inſcitia, atque, inertia, ſeu deſidia vindicauerimus, ad reliqua tranſeamus oportet. Cartuſianæ igitur vitæ prærogatiuas ſeriatim proſequentes, dicamus eam altiſſimam eſſe. At verò cùm altum dicatur interdum profundum, interdum verò ſublime atque excelſum (nam & mare altum, & cœlum quoque altum dicitur) vtroque altitudinis modo Cartuſianam vitam altiſſimam dicere intẽdimus. Eſt enim altiſſima, profunditate humilitatis, eſt altiſſima quoque ſublimitate & auſteritatis, & perfectionis.

Cartuſianam vitã altiſſimã eſſe.

CAPVT

CAPVT IX.

Oſtenditur, Cartuſianam vitam cæteris eſſe altiſſimam profunditate humilitatis. Item altiſſimam altitudine aſperitatis, denique altiſſimam ſublimitate perfectionis: vbi & ſubditur, cur non eſt inſtar aliarum multiplicata.

Oblocvtor.

TVæ Cartuſianæ vitæ altitudinem rationibus aptis deprimere, eamq; inprimis profunditate humilitatis altiſſimam non eſſe, conficere certum eſt. Nihil enim Cartuſianis multis ſuperbius, nihil arrogãtius inueniri poteſt. Nõne quidam ex tuis ſcioli egregios ac doctiſſimos quoq; viros deſpicere ſolent? Nonne de ſe mira ſentiunt præſumũtq; ſupra modum quidã inflati arrogantesque Monachi? Sed vitam tuam cæteris non eſſe aſperiorem (quod tamen ipſe prætendis) nullo negotio confici poteſt. Siquidem ita laxata eſt, vt iam nulla vitæ rigidioris veſtigia apud vos reperiantur, ſed laxa ſunt omnia, ſunt craſſæ pitantiæ, ſunt vina copioſa eaque defœcata, ſunt & cætera id genus permulta, quæ vitam non ſolùm aſperiorem, ſed nec aſperam quidem eſſe ſinunt. Denique eam non eſſe perfectionis ſublimitate altiſſimam, multiphariam oſtendi poteſt. Inprimis illa religio, quæ ad docendum prædicandumque inſtituta eſt, proculdubio perfectior eſt, quòd & Prælatorum vitæ ſimilior ſit, & illuminare ſit maius, quàm lucere. Deinde religio illa, quæ pauciora habet temporalia bona quàm Cartuſiana, perfectior cenſeri debet, vtpotè quæ minores habeat curas animum diſſipantes, & faciliùs rebus diuinis, perfectio-

fectionique religionis incumbere poſſit. Adde quòd religio illa, quæ nec in particulari, nec in communi quicquàm habet, perfectior dicenda eſt, quippe quæ maiorem paupertatem amplectatur. Denique ſi tam perfecta eſſet (vt ais) iampridem à plurimis ſuſcepta, & per orbem diffuſa fuiſſet. At verò multiplicata non eſt Cartuſiana religio, quòd imperfecta, imò verò inepta ſit. PETR. Tuis nugis reſpondere cupientes, oſtendamus inprimis Cartuſianam vitam humilitatis profunditate altiſſimam eſſe. Humilior enim cæteris eſt quoad cæremonias religioſas. Nulla enim alia religio tam humiles (quod ex ſequentibus magis eluceſcet) cæremonias nouit. In veſtimentis quoque altiſſimam tenet humilitatem. Siquidem indumenta Cartuſiana cæteris abiectiora eſſe non dubitantur, quod & fieri Cartuſianis ſtatutis indicitur, quibus ita cautum eſt. Cùm enim ad omnes Monachos, tùm maximè ad nos, humilitatem attritionemque pannorum, & vniuerſorum quibus vtimur vilitatem, paupertatem, & abiectionem, certum eſt pertinere. Itaque in zonis, aut cultellis, nec argentum, nec pretioſum, ſeu curioſum quicquam apponi debet, non debet, inquã, birretum rotundum ferri, nec chirotecæ de corio albo geſtari, nec demũ alia hoc genûs, quæ ſimplicitati ac humilitati vitæ non conſentiunt, in vſu haberi. Porrò in ædificijs, vtenſilibus, ac cæteris id genûs, ſiue ad cultum diuinum, ſiue priuatum vſum pertineant, altiſſimam ſeruat Cartuſiana vita humilitatem. Non enim ornamenta aurea vel argentea, præter Calicem in Eccleſia habet. Non ciphos, godetos, aut coclearia argentea vſpiam probat. Non tapetia, cuſſinos pictura-

Ca. 16. pri. part. an. §. 5.

Ca. 1. ſecũda par. no §. 5. Ibi. §. 8.

32. 2. ar. an. §. 1.

1.2.no. §. 7. 8. 3. Ter. cōp. 5. cturatos, vel alias curioſos admittit. Non deni-
que picturas aut imagines curioſas ſiue in tēplis,
ſiue in cellis recipit, ſed è diuerſo reprehendit,
vtpotè ſimplicitati, humilitatiq; propoſiti Car-
tuſiani derogantes. Quòd ſi dixeris, in nonnul-
lis Cartuſianis domibus non ſolùm imagines pi-
cturasque admodum curioſas, ſed etiam ędificia
ſupra modum ſumptuoſa ac magnifica eſſe: di-
cimus ordinem ipſum Cartuſianum huiuſmodi
curioſa grauiter reprehendere, admonereq; ſo-
lere, vt ea, ſi fieri citra ſcandalum poſſit, radan-
Ca. 1. 2. part. no. §. 7. 3. Ter. Cōp. 5. tur atque tollantur. Tantum abeſt, vt talia com-
mendet. Eſt (fateor) quædā domus in Lombar-
dia nuper extructa, quæ ita magnifica eſt, tantū-
que à Cartuſiana humilitate abhorret, vt demi-
rati ſint frequenter ordinis patres, quo pacto ea
ſit aliquando ad Ordinem admiſſa. Verùm ad
fugiendam Principum indignationem (quæ fa-
cilè concitari poſſet, ſi eis pias domos ſumptuo-
sè extruere volentibus, quicquam aduerſaretur)
interdum de vitæ aſperitate ac ruſticitate quic-
quam remittendum eſt. Denique tantam Cartu-
32. Secū-da par. an. §. 32. 21. emſ. par. 2. ſiana vita ſeruat humilitatem, vt plus cæteris ea
fugiat, quæ in ſæculo alta glorioſaq; putantur, &
vitæ ſimplicitati ac humilitati aduerſari ſolent,
cuiuſmodi ſunt honores, gradus, dignitates, be-
neficia, & cætera id genus. Non enim Principum
curas ſectantur, vt vel officia, vel dignitates au-
cupentur. Non curiam Romanā adeunt, vt pin-
guia conſequantur ſacerdotia, quibus lautè ſplē-
dideque viuant, & à clauſtrali diſciplina ſeipſos
ſegregent. Non denique publica gymnaſia pe-
tunt, vt gradus honore donati, magiſtri vocen-
32. 2. par. an. §. 23. tur. Magiſtri enim, doctoris ac domini nuncu-
pationem abhorrent. Itaque illi ipſi, qui docto-
res olim

res olim in ſeculo fuerũt, more cæterorum domini vel fratres vocitantur. Qui, inquam, nobiliſſimo ſanguine fuerunt geniti, aliorum inſtar & nuncupantur, & tractãtur, niſi forſitã aliquid peculiariter eis tribui ratio ipſa ſuadeat. Sed iam ad altitudinẽ auctoritatis accedamus dicentes, Cartuſianã vitam cæteris rigidiorẽ eſſe. Quod facilè conficietur, ſi tota vitæ ipſius aſperitas in medium adducta fuerit. Etenim Cartuſiani ſectator propoſiti iugem ſolitudinem velut carcerem quendam, aſſiduumq; ſilentium obſeruare habet, quippè cuius præcipuum ſtudium & propoſitum eſt, ſilentio & ſolitudini cellæ vacare. Nihil autem (quod & ſtatuta Cartuſiana dicunt) *Ca.9.2. par.an.ſ. 16.* laborioſius in exercitijs diſciplinæ regularis arbitramur, quàm ſilentium, ſolitudinem, & quietem. Quod D. Auguſtinus probat, cùm inquit, *Auguſt.* amicis huius mundi nihil eſſe laborioſius, quàm non laborare. Deinde (vt cætera breuiter tangamus, & fimbrias noſtras non dilatemus) Cartuſianus &, debet & ſolet mordax cilicium, ac lumbare canabinum iugiter ad nudam carnem geſtare. In algido ſtraminco, duroque lecto ſolus dormire, à carnibus perpetuum abſtinere. In Aduentu, quadrageſima, ſingulisque ferijs ſextis ac nonnullis quibuſdam vigilijs præcipuis, nunquàm lacticinijs vti. Semel in hebdomada vnam abſtinentiam, hoc eſt, ieiunium in pane & aqua (quod Hieronymus fortiſſimũ appellat) facere, niſi de peculiari gratia quicquam tribuatur. Ab Exaltatione ſanctæ Crucis, vſque ad Paſcha (diebus capituli demptis) ſemper ieiunare, eoque tempore nocturnas ac prolixas vigilias obſeruare. Porrò Cartuſiani velut in carcere tetro poſiti, ſuorũ penè ſenſuum ac membro-

brorum vſu deſtituti vſque adeò videntur, vt eis illa Pſalmiſtæ verba quodam ſenſu adaptari
Pſal. 113. poſſint: *Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt*, & quæ ſequuntur. Iugi etenim ſilentio ora ita clauſa habent, vti loquendi vſum amiſiſſe videantur. In cella quoque recluſi, non ſolùm vanitates intueri, ſed nec ipſum quoque cœlum frequenter ſuſpicere ſoleāt. Non ſolent, inquam, auribus quicquam niſi diuinas laudes haurire, non odorare fragrantia grataque aromata, non palpare mollia atque carnalia, non denique ad votum ambulare, ſed quaſi cellæ parietibus affixi, ac obedientiæ vinculis compediti, in cellæ habent anguſtia permanere. Taceo diuini officij prolixitatem, nuditatem corporis, aliaque id genûs, quæ illis cum alijs religioſis sũt communia. Quibus animaduerſis, haud dubium eſt, Cartuſianam vitam cæteris arctiorem, aſperioremque eſſe. Quod & teſtantur multi ſummi Pontifices, quemadmodum videre eſt in literis eorum ſuprà recitatis. Hæc autem cum ita ſe habeant, non tamen propterea putandum eſt Cartuſianum Ordinem vel crudelem (vt canes quidam oblatrant) vel importabilem, quod delicati nonnulli arbitrantur, penitus eſſe. Siquidem ita omnia temperata ſunt, vt Cartuſiana vita forti ludus, debili pondus, mediocri ſarcina facilis exiſtat. Quòd igitur inter argumẽtandum contendebas, Cartuſianam vitam laxatam fuiſſe, reſpondemus quidẽ multa fuiſſe addita, quæ principo non obſeruabantur, nonnulla quoq; (præſertim ad victum ſpectantia) fuiſſe mutata, atque
Primi rigoris vitæ Cartuſ. temperata, ſed propterea vitam ipſam non eſſe laxitatis rurſus arguendam. Siquidem mutatio huiuſmodi, ac primi rigoris mitigatio iuſtis de cauſis

cauſis effecta eſt. Inprimis quidem, vt vita ipſa portabilis efficeretur, quod ſanè ſi factum non fuiſſet, nulli vel certè rariſſimi eam ſuſcepiſſent, imò nec ferre potuiſſent. Itaque breui anachoreticum propoſitum (quod ægrè ſuſcitatum fuerat) à rebus humanis exulaſſet. Deinde par erat, vt propter additionem multorum factam, quæ melior ſanè ac honeſtior viſa eſt, aliquid de corporali exercitatione (quæ ad modicum valet) remitteretur. Non enim priſtinum onus cum huiuſmodi additionibus rationabiliter ferri potuiſſet, maximè cum humanæ vires temporis lapſu fragiliores effectæ ſint, ea de re non additione ponderis, ſed alleuiatione potiùs opus fuit. Denique ad vitanda pericula mitigatio huiuſmodi, ſiue commutatio quædam effecta eſt. Longa enim experientia docuit, multum rigorem (præſertim quoad victualia) periculoſum eſſe ſolere. Facit enim interdum quoſdam ſemiſtultos, facit & aliquando nonnullos planè demẽtes, facit denique aliquos nonnunquam furioſos. Ad vitanda igitur hæc, aliaque id genus detrimenta, mitigatio quædam in victualibus facta eſt, quæ nõ laxitas, ſed commutatio rationabilis potiùs dicenda eſt. Non tamen negauerim, quoſdam remiſſos ac delicatos laxitatis arguẽdos eſſe, quippè qui huius temperamenti rationabiliter facti, limites nimis prætergrediantur. Verùm nimia quorundam carnalium licentia nõ conficit, propoſitum ipſum nimiæ laxitatis taxandum eſſe: vtpotè quod ſi tribus ſecularibus viris diſtributum partitumque eſſet, eos apud mortales magnificos multæque æſtimationis redderet. Cæterùm ad aliam huius vitæ altitudinem, perfectioniſque ſublimitatem tranſeamus, dicentes, Cartuſia-

mitigatio cur facta.

1. Tim. 4.

... ſ. vitam cæteris perfectiorem eſſe.

tuſianam vitam cæteris religioſis digniorẽ perfectioremque eſſe. Quod & authoritatibus & rationibus cõficere certum eſt, Authoritate inprimis Iuris Pontificij, quod omnibus religioſis, etiam mendicantibus, facultatem impertit tranſeundi ad Ordinem Cartuſianum. Quod vniuerſaliter (ne dicam peculiariter) ius ipſum minimè concederet, ſi Cartuſianus Ordo cæteris altior non eſſet: quandoquidem deſcenſus fieret, & in via Dei retrocederetur, niſi Cartuſiana religio omnium altiſſima foret. Deinde authoritate Canoniſtarum, qui illam putant altiorem religionem, quæ arctiorem rigidiorẽq; viuendi modum tenet. Quod Ioannes Andreæ peculiariter aſſerit in ca. ſanè. extra, de re. & trãſ. ad reli. in nouella. Denique hoc ipſum confici poteſt authoritate epiſtolæ ad fratres de monte Dei, in qua de Cartuſiana vita ita habetur. Altiſſima eſt profeſſio veſtra, cœlos trãſit, par angelis eſt, Angelicæ ſimilis puritati. Aliorũ eſt, Deo ſeruire: veſtrum, adhærere. Aliorum eſt Deum credere, ſcire, amare, reuereri: veſtrũ eſt ſapere, intelligere, cognoſcere, frui. Sed iam authoritatibus aliquid rationũ addamus, inprimis tamen ſupponentes, religionem aliquam alia digniorẽ, altiorem, ſeu perfectiorem, bifariam dici poſſe. Primò quidem modo ex parte finis, & hæc quædam excellentia abſoluta eſt atque præcipua. Altero verò modo ex parte medij ſiue exercitij: & hæc quædam differentia reſpectiua eſt, atque ſecundaria. Primò igitur modo illa religio præſtantior cẽſenda eſt, quæ ad finẽ abſolutè potiorem ordinatur. Eſt autẽ finis religionis potior, quando vel maius bonum eſt, vel plura eiuſdem generis bona cõplectitur. Secundò autẽ modo,

Quibus modis religio vna alteri præſtat.

religio illa dignior eſt, quæ meliora exercitia habet, hoc eſt, maiora (diſcretè tamen temperata) & ad finem aſſequendum aptiora. Non enim maior exercitiorum copia digniorem efficit religionẽ, niſi & temperata ſint atq; diſcreta, & ad finẽ conſequendũ decenter proportionatam. Dicamus itaq; his ſuppoſitis, Cartuſianã vitam secũdo modo, hoc eſt, ex parte exercitij cæteris omnibus altiorem ſeu perfectiorẽ eſſe. Siquidẽ exercitia rigidiora, arctioraq́; habet, quẽadmodũ paulò antè probauimus, quæ ita tamen tẽperata ſunt atq; diſcreta, vt nihil magis. Quod etiam oſtendimus, cum de Cartuſiana Regula ageremus. Quapropter reliquum eſt oſtendere, eam quoq; ex parte finis digniorem eſſe. Quod vt aptius fieri poſſit, animaduertendum inprimis eſt, duo eſſe religionum genera: vnum contemplatiuum, alterum actiuum. Sed quoniam duplex eſt actionis genus: vnum quod extrarijs rebus incumbit, alterum quod ex cõtemplatione proficiſcitur: ea de re trita ſectantes veſtigia, tria religionis genera ponamus. Primum eſt earum, quæ contemplationi iugiter vacant, cuiuſmodi ſunt religiones propriè monaſticæ. Secũdũ genus eſt earum, quę in exterioribus actionibus verſantur atque occupantur, vt ſunt illæ quę ad ſuſcipiendos peregrinos vel redimendos captiuos inſtitutæ ſunt. Tertium genus eſt earum, quæ actioni contemplatiuæ deputatæ ſunt, cuius generis ſunt religiones ad prædicãdum, docendumq́ue ordinatæ. His prænotatis, ſeriatim oſtendamus, Cartuſianam vitam cæteris religioſis altiorem eſſe. Et primùm quidem nihil negotij eſt oſtendere, eam cæteris omnibus, quæ ſimplici cõtemplationi vacant, perfectiorẽ eſſe,

Tria religionum genera.

quandoquidem diuinæ contemplationi arctiùs (quod Alexander tertius teſtatur) intẽdunt Carturſiani, habentque exercitia ad ſublimitatẽ contemplationis aſſequẽdam aptiora, videlicet perpetuum ſilentium, aſſiduam cellæ ſolitudiniſq; obſeruantiam, vitam aſperiorem, loca temporaque oportuniora, & demùm alia id genus, quæ ad maiorem vitæ contemplatiuæ perfectionem facere videntur. Quantum verò ad vitam actiuam, quæ extrarijs actionibus incumbit, nulla hæſitatio eſt: cum extra omnem controuerſiam Cartuſiana vita longè præſtantior huiuſmodi actiua eſſe non dubitetur. Quod & ab omnibus ingenuè conceditur, & ex Euangelio apertè conficitur, vbi dicitur: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Reliquum eſt igitur probare, ipſam Cartuſianam vitam illis religionibus, quæ actioni contemplatiuæ deputatæ ſunt, abſolutè perfectiorem, altioremque (cæteris paribus) eſſe. Inprimis vita illa præſtantior eſt, quę ſuapte natura cœleſti vitæ propinquior ac ſimilior eſt. Cùm enim omnis religioſa vita ad illam aſſequendam (vt media ad finem) ordinetur, palam eſt eam, quæ viciniùs accedit, digniorem eſſe: cùm dicat Topicorum tertio Ariſtoteles, mediorum ad eundem finem ordinatorum, quod ei propinquius eſt, id melius eſſe. At Cartuſiana vita propinquior ac ſimilior eſt ſupernæ vitæ, quàm huiuſmodi actiua, de qua nobis ſermo. Igitur & perfectior cenſenda eſt. Deinde vita illa melior putanda eſt, quæ meliorem habet finem, nobiliuſque obiectum, quod & nobiliori modo attingit. Nam, vt in Topicis idem Ariſtoteles ait, eorum quæ ad diuerſos fines ordinantur, quod ad finem ordinatur meliorem, melius eſt.

Luc.10.

Ariſtotel.

Et

Et rurſus: quorũ finis eſt melior, ipſum eſt melius. Sed meliorem nobilioremq́; finem (de peculiari ac proprio nunc intendo) habet Cartuſiana vita, quippe quæ circa diuinitatem, perfectioneſque eius tanquam finem obiectumque potiſſimùm ſuæ contemplationis, purè ſublimiterque verſetur, cùm tamen illa actiua in eruditione occupatur. Igitur dignior exiſtimanda eſt. Inſuper vita illa perfectior eſt, quæ propter ſe eligitur, quam ea quæ propter aliud. Vt enim idem Ariſtoteles ibidem docet, Bonorum honorabilium, quod eſt propter ſe eligendum, melius eſt eo, quod propter aliud eligitur. Aſt vita Cartuſiana propter ſe eligibilis eſt, vtpotè quæ nec in altera quidem patria auferetur, ſed conſummabitur. Illa verò actiua propter aliud, ſcilicet proximorũ indigentiam duntaxat eligenda eſt. Tolle alienam neceſſitatem, & iam nõ erit doctrina opus. Adde quod in cœleſti vita nõ manebit hæc actiua vita, quãdoquidem non dicet ibi vir proximo ſuo: cognoſce Deũ, oẽs enim cognoſcent eum à minimo vſque ad maximum. Porrò vita illa (cæteris paribus) dignior reputãda venit, quæ fruitioni Dei vacat, quàm quæ in vſu proximi verſatur. Fruitio enim Dei omnem, cęteris paribus, vſum proximi exuperat: ſed Cartuſiana vita potiſſimùm fruitioni Dei incumbit: Igitur alteri præferenda eſt. Addo quòd doctrinæ alienæ incumbens, deſcendit. Ea de re non eſt contemplatiuo viro (quando præſertim ſublimiter contẽplatur, proptereaq́; aſcendit) nec pręferendus, nec æquandus. Deniq́; plura bona habet Cartuſiana vita, vtpotè cõtemplatiua, ſolitariaq́; ad vitæ perfectionem magis conducentia, quàm quęcunq́; actiua. Siquidẽ ea eſt certior, perſpicacior,

Luc.10.

Ierem.31.

 verior,

verior, feruentior, intimior, deuotior, purior, ſuauior, humilior, ſimplicior, timoratior, gratior, obſequentior, meritis eſſentialibus fœcundior, iucūdior, pretioſior, pulchrior, permanētior, purgatior, ſecurior, quietior, familiarior, finalior, cœleſtique vitæ propinquior, ac ſublimior. Eapropter abſolutè melior, dignior, altior, ſeu perfectior cenſenda, cæteriſq; anteferenda eſt. At quoniam ratiunculis quibuſdam oppoſitum aſſerere niſus es, reſpōſionis aliquid afferendum eſt. Quod igitur inprimis obijcis, vitam actiuam Prælatorum vitæ ſimiliorem eſſe, dicimus primùm, Prælatorum vitam mixtam eſſe, nec actiuam (niſi ineptè) dici debere. Siquidem (pro D. Gregorij ſententia) Prælatus eſſe debet actione præcipuus, & contemplatione ſuſpenſus. Deinde dicimus, Cartuſianam vitam ſimiliorem in eo eſſe, quod in Prælatorum vita abſolutè potius eſt. Hoc enim eſt contemplationis ſublimitas. Si igitur illa actiua, quæ prædicationi incumbit, ſimilior ſit in aliquo, idipſum tamen minus eſt. Adde quòd nec ex officio, nec eſſentialiter cōpetit vitæ religioſæ prædicationis opus, ſed ex munere ac priuilegio duntaxat. Itaque cùm ad vitā ipſam ſpectet accidentaliter, nō debet propterea vitę cōtemplatiuæ abſolutè præferri. Quòd deinde ais, maius eſſe illuminare, quàm lucere, reſpondemus, id verū eſſe poſſe particulariter: quando ſcilicet illuminare & lucere eiuſdem ſunt generis, & per ſe hoc faciunt, & cætera demum paria ſunt, quod in propoſito locum nō habet. Adde quòd Cartuſiana via tantùm exemplis, quantùm aliæ verbis, ſpiritaliter illuminat, quod & experiētia monſtrat, & Summi Pontifices, alijq; viri præſtantes teſtificātur.

Diluūtur rationes ſuperius adductæ.

Quod

Quod inſuper argumentaris de paupertate: Reſpondemus primùm, moderatam rerũ ſiue mobilium, ſiue immobilium poſſeſſionem, nihil prorſus perfectioni religiôis officere. Non enim propterea religioſi (ſi cætera diſcretè ordinata ſunt) vlla ſollicitudinis cura premuntur. Peculiariter autem de Cartuſiana religione dicimus, in ea paruam moderatamque rerum copiam eſſe, pro quibus tractandis vnus procurator præficitur, qui omnium ſtrenuè curam gerens, ſuo labore iugem cæteris quietem parit. Non enim cæteris monachis conceſſum eſt de negotijs huiuſmodi ſe intromittere, quippe qui prorſus abſtinere ſuis ſtatutis iubentur, quibus ita cautum eſt. Quòd ſi Prior cauſa recreationis cuiquam ex Monachis exeundi de cella licentiam dederit, vel ad importabile tædium releuandum, vel ad periculoſam aliquã tentationẽ ſedandam, vel ad genus aliquod morbi grauiſſimi mitigãdum, de diſpoſitionibus & negotijs, totiusque domus cura, nulla ſe curioſitate intromittet. Non enim expedit habitatori cellæ noſſe huiuſmodi, cùm etiam totius domus paci contrarium eſt. Itaque nulla (vt diximus) cura Monachi, præſertim Cartuſiani, propter moderatam rerum affluentiam afficiuntur. Vnus enim duntaxat curam gerere habet. Cui nihilominùs laici in adiutorium dantur, ne nimia ſollicitudine prægrauatus, quæ ſolitariæ vitę ſunt officia prætermittat. Quibus animaduerſis, palam eſt, Cartuſianos minori ſollicitudine affici ſolere, quàm cæteros religioſos. Qui enim amplas poſſeſſiones habent, multùm in negotijs tractandis & officijs ac beneficijs ambiendis diſtrahuntur. Qui verò mendicam vitam agunt, multa ſollicitudine

44. Pri. par. ax. §. 8.

dine pro petendis ac congerendis vitæ neceſſarijs(ne dicam ſuperfluis)vexātur. Alius enim ad quærendam ſtipé,alius ad procurādam veſtem, alius ad vinum,frumētū,cęteraq; id genus congerenda, alius ad petendas pro libris, gradibus, alijsq; ſimilibus pecunias anxius eſt.Nō ergo ſuā quiſpiam præferat religionem,quòd minoribus ſollicitudinibus pro temporalibus bonis afficiatur. Sed nec præferre ſtatum quoque ſuum poſſunt,qui nihil in communi habere dicūtur.Eſto enim paupertas illa ſit arctiſſima, non tamen abſolutè cæteris altior eſt. Nonne Chriſtus altiſſimam tenuit paupertatem, qui tamen loculos habuiſſe non dubitatur? Quem obſecro putas pauperiorem eo, qui nihil prorſus habet, nec habere quicquam cupit? Nonne paupertas de eſſentialibus votis vnum eſt? At verò quæ eſſentialia ſunt,inquantū huiuſmodi,nec augeri,nec minui quidem poſſunt.Deniq; ſi illa paupertas arctiſſima religionem ſecundum quid perfectiorem efficeret, non tamen abſolutè, quod & D. Thomas cum ſuis ingenuè fatetur. Sed dices forſan, religiones actioni contemplatiuæ deputatas, etiam contemplationi vacare,eaq; de re præferendas eſſe. Dicimus,eas nec potiſſimū,nec iugiter, nec ſublimiter contemplationi vacare. Etenim ſtudia quibus incumbunt, inter exercitia intraria contemplatiuæ vitæ infimum locum obtinent. Adde quòd ipſam contemplationem ad actionem referunt, quæ(cęteris paribus)abſolutè minor contēplatione eſt.At rurſus dicis,eos plùs Eccleſiæ Dei ꝓficere. Negamus inprimis eos plꝰ proficere ſolere. Deinde ſi forſan hoc faciant, non tamen abſolutè, ſed ſecundùm quid meliores putari debere. Merentur enim interdū plus acci-

Ioan.12.

Pauperrimus omniū quis.

accidentaliter. Verùm contemplatiua, cæteris paribus, meritis eſſentialibus ſęcundior eſt. Denique quando neceſſitas flagitat, vtilior eſt actio contemplatione, imò verò contemplatio ipſa per accidẽs in eo caſu noxia eſſet. Eſt enim fruitio Dei interdum propter vſum proximi deſtituenda. At verò ſicut conficere ex hoc non poſſis, vſum proximi (cæteris paribus) diuina fruitione perfectiorem ſimpliciter eſſe, ita nec actiuam vitam (cuiuſcunq; ſit generis) abſolutè cõtemplatiua digniorem dicere potes. Quod denique ſubnectis, ſi Cartuſiana vita perfectiſſima eſſet, iampridem & à multis ſuſcepta, & per orbem diffuſa fuiſſet: Reſpondemus primũ, ſi pauci eſſent Cartuſiani, te potius propoſitum ipſum commendare debuiſſe, cùm ea quæ perfectiora ſunt, rariora pauciora que eſſe ſoleant. Reſpondemus & aliter, Cartuſianam vitam per orbem ipſum diffuſam multiplicatamque inprimis eſſe. Quod & authoritate & experientia confici poteſt. Authoritate inprimis ſummi Pontificis Martini V. hoc modo perpulchrè de Cartuſiana vita dicentis: Fons paruulus qui creuit in fluuium, & in lucem ſolemque conuerſus, in aquas plurimas redundauit. Cartuſienſis eſt vtiq; Ordo prælucidus, quia in ſui ortus exordio paruus & humilis abiectione habitus, tenuitatis ſubſtãtia, humilitatis profeſſione, ac numero profeſſorum, ſub fontis ſimilitudine non indignè deſcribitur, cui diuerſarum illi proprietatum conformitate reſpondens, non immeritò comparatur. Hic enim fons eſt hortorum irriguus, cæteras irrigans religiones & ordines, ac exemplis ſalutaribus ſcaturiens. Hic eſt fons amęnus, varietate virtutum pręclarus, munditie, puritate, pie-

An actio abſolutè vtilior ſit contemplatione.

Martinus 5. Papa.

tate patens, indeficiens ſanctitate. Horum claritate meritorum illuſtratus, ita nomẽ fontis ampliauit, vt fluuius eſſe cenſeatur. Cuius profeſſio laudabilis de virtute in virtutem progrediens, vt Deum deorum in Syon videat, vniuerſalis Eccleſiæ lætificat ciuitatem. In qua per meritorum euidentiã claręlucis ſplẽdorẽ adeptus, quaſi ſtella matutina refulget in medio nebulæ mũdi huius. Huius ſiquidem ordinis ſacra religio à ſuæ inſtitutionis auſpicijs quaſi deſerta, & inuia, paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris & honeſtatis fructus parturiens, ramos ſuos, ramos quidem honoris, & gratiæ generationes germinans religionis ſynceritatem, & auſteram vitæ continentiam ampliauit. Eapropter exultat iam in multitudine numeroſa ſpectabilis, quæ olim in ſolitudine deliteſcebat. Vides vt Cartuſianus Ordo, qui principio paruulus erat, nunc mirum in modum multiplicatus ſit. Quod & experientia probat. Nullum enim regnum, nulla natio, nullaque Prouincia Chriſtiana eſt, in qua domus Cartuſianę extructæ non videantur. Enimuerò Cartuſianus Ordo ſeptem & decem Prouincias habet in diuerſis regnis ac nationibus ſitas. Videlicet Gebennenſem Prouinciam, in qua eſt Cartuſia maior. Item prouincias Prouinciæ, Aquitaniæ, Cathaloniæ, Caſtellæ, Burgundiæ, Franciæ, Picardiæ, Theutoniæ, Anglię, Alemanię ſuperioris, Alemanię inferioris, Rheni, Saxoniæ, Lombardię propinquioris, Tuſcię, & demùm Lombardiæ remotioris. In quibus multæ ſunt Cartuſianæ domus. Itaq; per totum orbem Chriſtianum Cartuſienſes diffuſi ſunt. At quoniam ipſa Cartuſiana religio nõ ita multiplicata eſt, vt quędam aliæ, ne propterea (quod

pra-

prætendis) minoris æſtimetur, afferamus quas ob cauſas ita diffuſa non eſt. Inprimis nullos pueros recipiũt Cartuſiani, ſed nec iuuenes quidem aut adoleſcẽtes, qui annos viginti necdùm attigerunt, eam ob rem pauciores habent, quàm ſi pueros admitterẽt, quibus plena ſunt alia clauſtra. Enimuerò cùm ad ætatem illam peruẽtum eſt, pauci ſunt (aliorum comparatione) qui mundiales vanitates, delitias atque honores iam deguſtatos, deſerere velint, cùm è regione pueri, nullam adhuc earum rerum experientiam habentes, facillimè ad religionẽ alliciantur. Cùm igitur Cartuſiani nec pueros, nec iuniores admittant, nec aliquorum inſtar, mare & aridam circumeant, vt faciãt vnum proſelitum, nec ſuas quoq; reliquias prædicent, nec demùm ſua præconia in cathedris referant: mirum eſſe non debet ſi inſtar aliquorum multiplicati non ſint. Deinde Cartuſiani non facilè acceſſum præbent his, qui ſuo aggregari conſortio geſtiunt, ſed probare cupiẽtes, an ſpiritus ex Deo ſint, & priſcorum quoque anachoretarum veſtigia ſectantes magnas illis difficultates facere ſolent. Hinc fit, vt pauciores ad eos accedant, quandoquidem multi, qui principio feruentiores ſunt, tandem lapſu temporis frigeſcunt, tantasq; moras faſtidiunt. Porrò Cartuſiana vita nõ tam multos fouet alumnos, quòd cæteris rigidior & aſperior ſit. Ea enim cauſa pauciores cultores habet. Siquidem huius temporis homines ita ſe palpare, amareque ſolent, vt quæ dura ſunt & humilia, vix ſectari velint. Adhæc multa tentationũ, impedimentorumque copia non ſinit Cartuſianos, inſtar quorundã, multiplicari. Cùm enim quiſpiam ſeculum deſerere, & ad melioris vitæ frugem

1. Ioan. 4.

gem ſe conuertere parat, ſi fortè Cartuſianā aſperitatem ſubire deſideret, mox aſſunt dœmones eius molimina varijs fantaſmatibus perturbantes. Accedunt quoq; & mundiales homines, qui Cartuſianorum rigorem ante oculos depingentes, interdum maiora, quàm re ipſa ſint, verbis ſuis onera faciunt. Denique aliarum cultores religionum eos, qui ſeculo valedicere geſtiunt, ad ſe allicere geſtiẽtes, aut Cartuſianis inuidentes, Cartuſianum propoſitum deprimunt, deturpant, damnant, modò ipſum minimè probatum aſſerentes, aliquando crudelem ac inhumanum vocantes, interdum arduum nimis, & importabilem aſſerentes, & alia denique huiuſmodi permulta mentientes, quibus tamen temeritatibus nullus eſt, qui obſiſtat: Nullus, inquam, qui Cartuſianos in cellis latitantes tueatur, cum alij ſeipſos manibus, pedibusq; defendant. Hinc fit, vt qui ſeculi tumultus fugere volunt, magna cum difficultate in quietum ſolitudinis receſſum ſe recipere poſſint. Adde quòd tanta ſolet eſſe tentationum vehementia, vt vix vnquam aliquis Cartuſianam ſarcinam ſuſcipiat, niſi aut voto aſtrictus, aut vehementi deuotionis

Exemplū. feruore ſuccenſus ſit. Noui ego quendam, qui cùm ſeculo valediceret, & ad Cartuſianum clauſtrum contenderet, tantis tentationum fuiſſe procellis agitatum, vt ſi optio data illi fuiſſet vel ſubeundæ mortis, vel ſuſcipiendæ Cartuſianæ ſarcinæ pro Chriſto, mortem ille potiùs delegiſſet. Non igitur quiſpiam paruipendat Cartuſianos, quòd non ſint vſque adeò multiplicati, vt alij nonnulli, ſed potius commendet non vulgariter, quandoquidẽ ea, quæ perfectiora, melioraque ſunt, rariora eſſe conſueuerunt. Denique

non eſt multiplicatus inſtar quorundam Cartuſianus Ordo, quòd hoc tempore nequeant, niſi ægrè admodum, fundari Cartuſianæ domus. Inprimis nullam poſthàc domum admittere Cartuſiani patres decreuerũt, niſi decenter & ædificata & dotata ſit. Quod quantæ difficultatis nũc exiſtat, nemo penè eſt qui neſciat. Deinde ad fundandum cõuentum (cui poſſeſſionibus opus eſt) inter cætera nunc exigitur admortizatio, quam Principes vix facere volunt. Exigitur & compoſitio cum Epiſcopo, Curatoque loci, quæ quantæ molis ſit hac tempeſtate, ſatis ipſa experiẽtia paulò antè teſtata eſt. Enimuerò cum quidam ex noſtris iuſtis cauſis compulſi, decreuiſſent, ex ſuis bonis domum vnã ædificare, & iam omnia penè ædificia ad Cartuſianum conuentũ neceſſaria (præter Eccleſiam) decenter conſummaſſent, ita ſunt à quibuſdam Eccleſiaſticis impediti, vt tam pium opus (prô dolor) hactenus infectum permanſerit. Tentata eſt via compoſitionis frequentiſſimè, ſuntq; oblata plurima ſuprà quã par eſſet. Pro denario enim vno (ſi forſan deberi videretur) tres oblati ſunt. Sed quid? Eccleſiaſtici ipſi, nomen quidem pietatis habentes, ſed rem ipſam Cartuſianis non exhibentes, nullis iuſtis ſuaſionibus flecti potuerunt. At fronte perfricata, obdurataq; ceruice, pio operi ſemper obſtiterunt. O ſi nunc adeſſent vetuſti ſanctiq; Prælati, qui non tantùm pia huiuſmodi opera fieri ſinebant, ſed ea quoque ſuis impenſis extrebant, extructaque bonis paternis dotabãt, quid dicerent? Nonne degeneres iſtos magnis conuitijs onerarent, qui ſuaſionibus ineptis potiùs quàm ſanis conſilijs audientes, tam piũ opus impedire nõ trepidârunt, quod tamen ſolo conſenſu

ſenſu citra iacturam penitus vllam conſummari potuiſſet? Vbi, quæſo, honor Dei? vbi amor Chriſti? vbi religionis fauor? vbi zelus animarum? vbi gehennæ timor? vbi ſolicitudo ſalutis? vbi boni nominis cura? vbi demũ cõſideratio æquitatis? Dicite, precor, an deceat ſeruum Dei litigare? Litigaſtis tamen hactenus, nullamque viam niſi litium acceptare voluiſtis. Dicite inquam, an liceat proximis facere, quod vobis fieri non velletis? Feciſtis tamen, violaſtiſque iura quodam modo naturæ. Dicite denique, an piũ, vtileque opus (ex quo præſertim nullum cuiquã detrimentũ prorſus affertur) impunè poſſit impediri? Impediſtis tamen, callidisq; artibus curaſtis, ne finem hactenùs, haberet, quod tamen ſi completum fuiſſet, vobis commoditatẽ multam, perpetuum decus, famamq; perennem peperiſſet: Quod, inquam, Deo gloriam plurimã, animabus ſalutem, patriæ vtilitatem, pauperibus leuamen, & omnibus denique gratiã plurimam attuliſſet. Verùm iſtos (qui talparum more, terram ſoli fodere, nulloſq; vicinos, qui poſſeſſiones habere queant, admittere velle videntur) miſſos faciamus, & ad reliquas quæ ſuperãt Cartuſianæ vitæ prærogatiuas accedentes, dicamus, eam puritate, ſecuritate, perſeuerantiaque laudabili præſtantiſſimam eſſe.

2. Tim. 2. *Matt. 7.*

CAPVT X.

Oſtenditur, vitam Cartuſianam cæteris puriorem, ſecuriorem, & in laudabili perſeuerantia præſtantiorem eſſe: vbi & tanguntur cauſæ quatuor, quæ huiuſmodi perſeuerantiam faciunt, & à diſſolutione vitam ipſam præſeruant.

OBLOCVTOR.

DIcamus & nos, Cartuſianam vitam earum rerũ, quæ dictę ſunt, nihil certè ſublimius habere. Inprimis puritatem non habet præſtantiſſimam. In quo enim huiuſmodi vita cæteris purior ſit dicenda, non video. Deinde nec ſecuritate quidẽ prętantior eſt, vtpotè quæ ſit mortalis vitę periculis aliarum inſtar obnoxia: quinetiam grauioribus tentationibus pulſari ſolere creditur. Denique nec perſeuerantia quoq; laudabili cæteris anteferenda venit, quod multifariam oſtendi poteſt. Siquidem Ordo ipſe non ſolùm poſt ſuum exordium ſtatim deſtitutus eſt (quod primo libro ſatis diximus) ſed etiam circa annum Domini ſeptuageſimum nonũ ſuprà mille trecẽtos diuiſus fuit. Diuiſus, inquàm, annis triginta & ſuprà, quo tempore vna pars Vrbano VI. adhærebat, altera verò Clementi ſeptimò. Subinde vitam ipſam hactenus in ſuo tenore minimè perſeueraſſe, ſatis confici poteſt ex ijs, quæ Curatus quidam Exerci ſuo in ſpeculo affatim poſuit, vbi retulit vitia permulta, quæ in Cartuſiana vita fuerat contemplatus. Porrò multæ ſunt Cartuſianæ domus quæ paruæ dicũtur, in quibus vt parua eſt copia monachorum, ita & exigua, vel penè nulla obſeruantia regularium inſtitutionũ: cur, quæſo, non propterea tota ipſa vita meritò diſſoluta cenſebitur? præſertim cũ ſtatuta veſtra lapſum in Ordine factum, quærantur grauiſſimè. Ad hæc multa non tantũ in paruis, ſed in magnis quoq; domibus paſſim reperiri ſolẽt, quæ vitæ ipſius perſeuerantiã certè laudabilem, eſſe non ſinunt. Nonne, vt cætera ſilentio prætereãntur, ibi reperitur feruẽs obedien-

dientiarum deſiderium, vtpotè quas ex tuis permulti ambiunt, ſitiunt, & ad eas, vt equus ad equas, hinniunt? Nonne & murmur ingratum ibi frequentiſſimè comperitur? Nonne & odioſa ingratitudo, quæ tùm diuinorum, tùm humanorum beneficiorum tuos efficit immemores, quibus propterea per vocem cœlitus emiſſam improperatum eſt, atque dictum, ingrati, ingrati? Nonne & impatientia, correctionis intolerantia inuenitur, vſque adeò vt ſi quiſpiam vel à Superiore decenter correctus, imò (quod mirum eſt) verbo ſolo reprehẽſus fuerit, nunquàm poſteà correctorem ſyncero amore proſequatur, ſed machinas omnes, quibus nocere poſſit, iugiter excogitet? Quid plura? Nonne & rixę, diſſenſiones, odia, detractiones etiam ibi feruent, quæ tamen poſtmodùm nulla digna pœnitudine expiantur? Denique ibi offendere eſt multam inuidiam, quæ ſi viderit quempiam vel à ſuperioribus peculiariter amari, vel in pretio haberi, vel officio aliquo donari, miſerè liuidum ipſum diſcruciat. Quod mirandum magis foret, niſi magnos, doctos, religioſoſque penè omnes (prę ſertim egregios) inuidia ipſa interdum verbis, nonnunquam ſcriptis, aliquando verò factis perſecuta eſſet. Falleris igitur, ſi putes tuos Cartuſianos ab huius beſtiæ telis immunes eſſe. Sed quid verbis opus?

Dic mihi, ſi noſti veterum monimenta virorum,
Quis fuit inſana tutus ab inuidia?
Si neſcis, liuor doctos ac religioſos,
Perdidit, & celebres depulit arce patres.
Liuor edax heremos, & clauſtra latentia torſit,
Torſit & immeritos beſtia fœda viros.
Beſtia ſæua viros, & famam lædere nunquam

Deſtitit, & mores rodere ſæua pios.
Non igitur dicas immunes Cartuſianos:
Nempe ſuum virus liuor vbique iacet.

PET. Etiam ne carmine vitam Cartuſianam carpere iuuat? Nonne iam ſatis ſuperque eam ſoluta oratione laceraſti? Fortè putas, hoc pugnandi genere te ſuperiorem euadere poſſe. Verùm caſſo labori incubuiſſe videberis, vbi tuis & verſiculis, & ratiūculis reſponſum fuerit. Quod efficere molientes, Ordinemque ſeruantes, dicamus inprimis, Cartuſianam vitam puritate excellentiſſimam eſſe. Siquidem illa duo, in quibus vitæ puritas cōſiſtit, videlicet vitiorum impuritatem, cauſaſque eorum deuitare, & ſummæ puritati (quæ Deus eſt) propinquare, magis Cartuſiana vita obſeruare putatur. Enimuerò tanta eſt illi puritatis cura, vt quæ ad aliquid obſcænum inducere queant, magis ac magis propellere ſoleat. Itaque nec carnes edere (vtpotè quæ ſeminarium libidinis ſunt) nec earum quoque nidorem haurire (non enim intra ſepta Cartuſiana decoquuntur) nec demum mulieres ſuos limites intrare ſinit. Meminit enim quod à Poëta quodam prudenter dictum eſt: Vritque videndo fœmina. Quòd ſi vrit videndo, hoc eſt, dum videtur, quid obſecro factura eſſet, ſi audiretur, ſi mutua familiaritas haberetur, ſi demum tangeretur? Non ergò permittit fœminā vllam ſua prorſus limina terere. Quod & Guigo noſter in ſuis conſuetudinibus ſtatuit, hoc modo dicens. *21. §. 1. 2.*
Mulieres terminos noſtros intrare nequaquàm *26. ſecundæ part.*
ſinimus, ſcientes nec ſapientem, nec prophetam, *an. §. 3.*
nec iudicem, nec hoſpitem Dei, nec filios, nec ipſum Dei formatum manibus protoplaſtum potuiſſe blandicias euadere, vel fraudes mulie-

um. Salomon, Dauid, Loth, & qui acceperunt ſibi vxores quas elegerant, & Adam, in mentem
Eccl. c. 13. veniant. Nec poſſe hominem aut ignem in ſinu abſcondere, vt veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas plantis illæſis, aut picem tangere nec inquinari. At verò ne fortè ſtatutorum cenſura paruipenderetur, niterenturque multi in vetitum, curauêre Cartuſij patres aliâs de remedio prouideri opportuno. Itaque ad inſtantiam eorũ ſummus Pontifex Iulius II. inhibuit, ne mulieres intra ſepta Cartuſiana vnquam admitterẽtur. Eſt igitur in hac parte Cartuſiana vita omniũ puriſſima. Sed & altera parte puriſſima eſſe videtur, vtpotè quę ſit plus omnibus contemplationi dedita, eaque de re cæteris purior ſit. Contemplatiuam enim vitam puriùs, atque propinquius Deo accedere (cæteris paribus) dubium non eſt. Sed iam vitam ipſam ſecuritate præſtantiſſimã eſſe conficiamus. Inprimis enim à ſecularibus negotijs (in quibus tractãdis innumera piacula committi ſolent) remotior eſt. Itidem à cõmercijs, ſocietatibusq; humanis, quæ multos ad vitia trahere, perdereque aſſueuerunt, elongatior eſſe non dubitatur: quinetiam vt tutiùs ſe habere queat, à ſuorum conſortio fratrũ paſſim ſeipſam ſegregat. Porrò ab honoribus, delitijs ac voluptatibus (quæ hominem frequẽtiſſimè à rectitudinis ſtatu deijcere, & varijs obruere periculis ſolent) abſtractior eſſe videtur. Adde quòd maiora habet adiumenta contra periculoſa carnis dœmonisque tentamina, quæ licèt prorſus exterminari nequeãt, poſſunt tamen minora fieri ſuperarique viriliter. Itaque licèt carnem repugnantem, dęmonemq; oppugnantem patiatur, ſi ſuis tamen armis vti

velit,

velit, poterit has quoque machinas facilliùs expugnare. Deniq; ſi pro fragilitate humana fortè periculum aliquod inciderit, promptiora, melioraque antidota habet, quibus euadere & in priſtinum gradum ſe reparare queat. Eſt igitur cæteris ſecuritate præſtantior. Quòd autem dixiſti, eam vitę huius periculis obnoxiam eſſe, fatemur quidem, ſua eam pericula habere, pro quibus vitandis ſollicita eſſe debet. Dicimus nihilominùs, nō tanta illi adeſſe, quanta in alijs reperiri ſolent. Non eſt igitur abſolutè prorſus ſecuriſſima. Talis enim ſecuritas in hac vita quærenda non eſt. Seipſum enim falleret, qui hoc modo ſecurum ſe eſſe, aut vellet, aut crederet: ſed comparatiuè ſecuriſſima eſſe putatur. Cæterùm oſtendamus tertio loco vitam Cartuſianam iugi laudabilique perſeuerantia præſtantiſſimam eſſe. Qua in re primum oſtendere curabimus, vitam ipſam diſſolutam non eſſe, ſed hactenus in obſeruantia perſeueraſſe. Deinde afferemus, quid huiuſcemodi perſeuerantiæ cauſa fuerit. Primum itaque aggredientes, oſtendamus inprimis, vitā ipſam in ſuo ſemper vigore perſeueraſſe, authoritate ſummi Pōtificis Alexandri quarti in hunc modum Cartuſianam perſeuerantiam pulchrè efferentis atque dicētis: Theſauro virtutum ſic præclara veſtra religio ſuū ſemper aſtrinxit affectum, quòd habetur & in conſpectu Regis æterni placita, & in oculis hominum gratioſa. Ipſa quidem vt columba mitis & humilis, & electa Domini ſpecialis, pulchra per totum aſpicitur, omnem à ſe rugam deformitatis excludens, vigilantibus illis, qui paternæ ſolicitudinis in ea gerunt officium, quòd ibidem nullæ poſſunt vitiorum

Eximia laus Ordinis Cartuſ. à ſummo Pontifice, Alexandro 4.

 ſpinæ

ſpinę ſuccreſcere,ſed ipſa florum honoris & fructuum honeſtatis immarceſſibili polleat vbertate.Propter hunc etenim ſanctæ operationis effectum, nunquam Ordo veſter officio alienæ viſitationis vel correctionis indiguit, ſed de ipſo aliquibus alijs reformationis beneficium ex prouidentia Sedis Apoſtolicæ iam prouenit. Cùm itaq; nos,qui ex huiuſmodi virtuoſis actibus in Domino exultamus, claris agnoſcamus indicijs, dictum Ordinem eſſe alijs rectæ vitæ ſpeculum,& ſalutiferæ cõuerſationis exemplũ, quòd ipſe ſicut olim, ſic & in poſterum ab illis duntaxat Prioribus & fratrib⁹ idoneis,quos vos filij priores ad hoc duxeritis deputandos, & à nullo alio,viſitari poſſit aut corrigi,authoritate præſentium duximus ſtatuendum. Quibus in verbis apertè vides, Cartuſianam vitam nec diſſolutam,nec deformem,ſed potiùs alijs rectę vitę ſpeculum eſſe.Cui aſtipulatus Benedictus eius

Benedictus 13. nominis tertius decimus, perſeuerantiam Cartuſianam hoc modo aſſeruit. Sacri Cartuſienſis Ordinis perſeuerantiam, & augmentum ſynceris zelantes affectibus, ad illa libenter intendimus, per quæ religionem ipſam ac perſonas ſub eadem degentes,fauoribus attollamus gratioſis, & muniamus libertatibus opportunis. His con-

Martinus 5. ſenſit Martinus V. in Concilio Conſtantienſi Papa electus, qui & ipſe Cartuſianæ vitæ perſeuerantiam commendans,ita inquit. Sacri Ordinis Cartuſienſis perſeuerantiam & augmentum ſynceris zelantes affectibus,quæ ad ipſius & perſonarum ſub eo degentium fauorem prouidè facta ſunt, vt illibata perſiſtant, libenter opportunis confirmationibus roboramus. His omni-

Gerſon. bus accedẽs Ioan. Gerſon doctor celeberrimus,

in

in Tractatu de non eſu carnium, de Cartuſianis loquens, ſic ait. Apud eos reperitur, ſicubi in Eccleſia quicquam veſtigij reliquerit prædicāda illa priſcorum Patrum deuotio, admirabilis feruor, & ſua propemodum incredibilis continentia. Ex his vides, Cartuſianam perſeuerātiam ſic comprobari. At fortè obijcis, & ais: Iampridem cùm hæc dicerentur, quæ adducta ſunt, cōficere poterant Ordinem ipſum in ſuo tenore viguiſſe, nunc autem minimè. Itaq; vt hunc abs te ſcrupum auferamus, protinus à nobis afferatur & authoritas, & experientia. Authoritas quidem ſummi Pontificis Iulij Papæ 2. nuperrimè defuncti, ſuis in litteris ita dicētis. Ad fructus vberes, quos Cartuſienſis Ordo in agro militantis Eccleſiæ plantatus, velut arbor bona produxit hactenus, & producit, conſiderationis noſtræ oculos extendimus: & attendimus, quòd dicti Ordinis profeſſores mortui mundo, ſed Chriſto (qui eſt vera vita) viuentes, pro vniuerſali ſalute fidelium inceſſanter ad Dominum preces effundunt, dignum & congruum exiſtimamus illa prouidè concedere, per quæ illius profeſſores omni diſſentionis & inobedientiæ fomite ſemoto, ſynceris valeant Domino mentibus inſeruire. Ex quibus vides Cartuſianum Ordinem vberes in Eccleſia fructus adhuc producere ſolere. Cui aſtipulatus author Roſeti, poſtquā de aliorum Ordinum lapſu tetigit, ſic de Cartuſiano inquit. A qua euagatione, quia celebratiſſimus ille ſe ordo Cartuſienſis & reliquis occaſionibus tactis ſibi præcauit, adhuc in ſuo primitiuo flore quotidiè efflorेſcit. Quod & ipſa experientia te poterit plenius edocere. Eapropter in re tam aperta diutiùs laborandum non eſt, ſed

Iulius 2.

Ioannes Mauburnus Can.

potiùs huius perſeuerantiæ cauſas in medium afferre opus eſt. Quæ ſanè quatuor paſſim aſſignari ſolent, hoc verſiculo contentæ.

Per ſil, ſol, ca, vis, ſtat ſemper Cartuſia vis.

Vel ſic vt paſſim dicitur,

Per ſil, ſol, ca, vi, Cartuſia permanet in vi.

Hoc eſt per ſilentium, per ſolitudinē, per capitulum (ſubaudi generale) & per viſitationes, in ſuo tenore ac integritate perſeuerat virtus Cartuſiana. Hæc igitur ſunt quatuor rotæ, quibus in ſuo tenore ac perſeuerantia laudabili voluitur Cartuſianæ vitæ curſus. Hoc tamen loco aduertendum eſt, Cartuſianum Ordinē multos annos ſine Capitulo generali ac viſitationibus floruiſſe. Siquidem capitulum ipſum generale (quod in maiori Cartuſia quotannis celebrari conſueuit) multo tempore poſt Cartuſianæ vitæ exordium incœpiſſe conſtat. Initium etenim habuit tempore quo Baſilius prioratū gerebat, qui quidem maioris Cartuſiæ Prior octauus circa annum Domini quinquageſimum primum ſuprà mille centū floruiſſe legitur. Ea de re per legitimam ſupputationē liquet, ſeptuaginta annos, & ſuprà, Ordinem Cartuſianum perſeueraſſe, antequàm generale capitulum inſtitueretur. Ergo illi primi, vetuſtique Patres duobus alijs adminiculis, ſtatum ſuum in laudabili tenore perſeueranter conſeruauerunt, ſcilicet arcta ſolitudine, perpetuoque ſilentio, quibus iugiter obſeruandis cum tanto timore, tanta deuotione, tantaque diligentia incumbebant, vt eis prorſus ad vitam debito in tenore ac officio retinendam ſufficerent. Quæ & profectò nunc ſatis eſſent, ſi maiores ſuos poſteri ad vnguem referre curarent. Cæterùm qui poſteà ſucceſſerunt,

runt, animaduertentes defectu correctionis humanæ multa licentiùs admitti ſolere (præſertim cùm nonnulli verum Dei timorem ante oculos non habentes, futurarum pœnarum metu à noxijs non temperent) formidantes quoque, ne duo illa, ſcilicet ſilentium & ſolitudo, quæ diligentiſſimè obſeruata primos Cartuſianos in officio continuarent, poſteritati non ſatis eſſent: duo alia prouidè addenda cenſuerunt, ſcilicet generale Capitulum & Viſitationes, quibus ſaltem premerentur, qui aliâs ſeipſos cohibere non vellent. Itaque conſentientibus domibus, quæ iam extructæ fuerant, fauentibusque præſulibus in quorum diœceſi domus ipſæ ſitæ erant, generale capitulum ob tenorem, confirmationem, vtilitatem, ſtabilitatemq; totius Cartuſiani propoſiti inſtitutum eſt, quod & ipſius Ordinis, animarumque curam gereret, & propoſitum in ſuo tenore, laudabilique perſeuerantia conſeruaret. Cuius & modus ſeu forma, qua celebrari deberet, data eſt, & per ſummum Pontificem confirmata. Denique in ipſo capitulo deputari ſolent Viſitatores, qui capituli ipſius authoritate fungentes, domos Ordinis (quando opus eſt) ſtudioſè ac ſolicitè viſitare debeant. Ipſarum autem viſitationum faciendarum forma (quæ ſanè prudentiſſimè facta eſt) etiam ab ipſo generali capitulo data legitur. Quæ cum alijs per capitulum ipſum ſtatutis, ac prouidè ſtatuẽdis, per Innocentium IV. aliosque ſummos Pontifices confirmata eſt. Hæc autem cùm ita ſe habeant, nihilominùs quidam ſciolus iampridem capituli generalis authoritatem carpere veritus non eſt, quibuſdam ratiunculis contendens, ipſum curam

Inſtitutio Capituli generalis & Viſitationum.

Viſitatores.

An Capitulum Generale curam habeat animarum.

animarum Ordinis non habere. Si enim (vt ait) generale capitulum totius Ordinis curam gereret, conſequens eſſet, ipſum eſſe ſponſum, & Ordinem ſponſam. Siquidem vbi animarum cura eſt, ibi ſpiritale matrimoniũ eſt. Vbi autem matrimonium, ibi ſponſus ſit, & ſponſa, opus eſt. Hæc autem abſurda eſſe, multa conficiunt. Inprimis vniuerſitas nõ poteſt eſſe ſponſus vnius. At verò capitulũ generale vniuerſitas eſt Priorum tempore capituli in maiori Cartuſia congregatorum. Deinde domus eadem Cartuſiana, duorum ſponſa eſſet, videlicet Capituli generalis, & Prioris, qui curã illius peculiariter gerens, haud dubiè ſponſus eſt. Hoc autem ineptum eſt. Porrò cùm tres aut quatuor dies quotannis ſolùm duret capitulum ipſum, duntaxat curatus eſſet trium aut quatuor dierum, quod ridiculũ eſt dicere. Nam ſine morte, ceſſione, vel depoſitione nullus curatus tam parũ durat. Adde quòd nec reliquo tempore anni capitulum ipſum curam Ordinis gerit, vtpotè quod non ſit curatus, nec curari quoque officia facit, quæ ſunt purgare, illuminare, perficere. His itaque alijſque ratiunculis olim niſus eſt ſciolus ille conficere, generale capitulum nec curam ordinis habere, nec illud quoq; aptè dici poſſe. Quibus breuiter reſpondentes, dicimus inprimis, non omnẽ illum dici poſſe curatum, qui curam gerit, ſi capiatur curatus pro ſacerdote Parochiali ſiue Plebano, vt paſſim accipi ſolet. Quòd ſi generatim capiatur pro omni eo, qui ſpiritalem ſubditorum curam gerit, ſatis dici poteſt generale capitulum eſſe Curatum. Nam & Epiſcopus totius ſuæ diœceſis curatus dicitur. Nec abſurdum putari debet, ſi hoc modo eiuſdem congregationis duo

cura-

curati eſſe dicantur: vnus quidem generalis, alter verò peculiaris. Deinde dicimus, hoc cõſequens nullum eſſe, ſi capitulum generale curam gereret, igitur ſponſus eſſet. Non enim omnis ille ſponſus dicitur, qui curam gerit. Hoc enim nomen pro communi vſu, maioribus Prælatis duntaxat tribui ſolet, cuius rei gratia annulum in digito geſtare cõſueuerunt. Tales enim propriè connubiũ ſpiritale contrahunt, quippè qui ſpõſam ſuam à ſe propria authoritate repellere nequeunt: ea de re inter eos matrimonium (quod ſuaptè natura indiſſolubilitatem ſonat) contrahi quodam modo dicitur. Quòd ſi ſpõſi nomen etiam minoribus Prælatis (hoc eſt, curatis) tribuatur, eodem modo de ſponſo ſicut & de curato diſtinguẽdum erit. Erit, inquam, dicendum, vniuerſitatem eſſe ſponſum, generatim vocabulum ipſum capiendo, & eandẽ eſſe ſponſam duorum, loquendo ſpiritaliter, quod mirandũ non eſt, cum ſacræ literę eum dicant Chriſti patrem, matrem, fratrem, ſororemque eſſe, qui eius voluntati morem gerit. Quòd autem poſtmodum arguitur de duratione, aliiſque id genus, dicimus: Eſto generale capitulum, quò ad perſonas, in quibus ſubiectiuè eſt eius authoritas, aliquãdo realiter ceſſet, ſicq; deſinat eſſe: tamen quantùm ad ipſam pertinet authoritatem, nec mori, nec ceſſare vnquàm virtualiter certè ſolet. Semper enim virtus eius alicubi manet. Manet, inquam, in Priore Cartuſiæ, qui vices eius gerit ſemper. Manet & in viſitatoribus per capitulum ipſum deputatis. Ea de re ſemper æquiualenter gregis ſibi commiſſi curam gerit capitulum ipſum: quo etiam modo Curati, ſeu Prælati, officia nõ per ſe, ſed per ſubiectos ſibi vicarios (qui

Sponſi nomen quibus conueniat.

Matt. 12.

ab eis capiunt authoritatem) exercent. Quibus animaduerſis, non fuit ab illo ſciolo ita temerè carpenda generalis capituli authoritas, quæ ſuis terminis contenta, potius extollenda fuit. Non denique vellicanda poteſtas, ſed poteſtatis abuſus, ſi quis forſan admiſſus fuerit. Enimuerò ſi & generale Capitulũ, & viſitationes in forma ordinis decenter fiant, nihil æquius, nihilq; aptius ad conſeruationem ordinis excogitari poteſt. At verò ſi contrà fiant ineptè, ſi perſonarum acceptio ibi locum habeat, ſi affectionibus magis quàm ratione regantur negotia, ſi animosè taxentur], incartenturque vel abſentes, qui non meruerunt, ſi optata reſponſio iuſtè petentibus denegetur, ſi negotia dimittantur intacta, quæ expeditionem efflagitabant, ſi prudentum viſitatorum ordinationes mutentur leuiter, & ediuerſo imprudentium, indoctorum, atque affectatorum leuia geſta foueantur, ſi exauctorentur ſine cauſa probi aptique priores, ſi è regione ſcioli, inepti, ac ambitioſi vel præficiantur, vel præfecti foueantur, ſi non liceat dicere vel ſcribere verum, vt decet, ſi qui ad alta adipiſcẽda idonei videntur, inuidis doloſiſque machinis impediantur, ſi peruerſis perditiſque monachis falſa mendaciaque ſcribentibus fides leuiter adhibeatur, ſi denique propria voluntas potius quàm æquitas negotia regat, nihil infœlicius atq; ineptius inueniri poſſet. Faxit Deus, vt hæc, aliaq; id genus permulta, nullum vnquam locum in Cartuſianis ſeptis ſibi vendicent. Sed iam ad diſſoluendas obiectiones, quę perſeuerãtiam Cartuſianam oppugnabãt, accedentes, dicimus inprimis, diuiſionẽ illam, quæ ſchiſmatis illius tẽpore contigit, non conficere diſſolutionẽ Cartu-

Capitula & Viſitationes quæ.

Soluuntur rationes in principio Capitis adductæ.

Cartuſienſis Ordinis,ſed tẽporis illius calamitatẽ,quæ ita miſera fuit,vt omnium,quæ antè fuerãt,peſſimũ difficillimũque ſciſma quadraginta annos ſit perpeſſa. Adeò enim ſubtilè perplexũque illud fuit: vt vel doctiſſimi viri non poſſent diſcutere,cui parti ſatiùs adhęrendum foret.Nõ igitur mirum eſt, ſi Cartuſiani ſimplices ac timorati diſcernere non valerent, quid in negotio tam inuoluto, ac tenebroſo faciendum eſſet.Non mirum,inquam,ſi vna pars, vni: altera verò alteri adhæſit.Hoc enim ſine deformitate Cartuſiani propoſito fieri potuit. Non mirum deniq; ſi huiuſmodi ſciſſura quicquam Ordini Cartuſiano nocuerit, cùm longè maiora detrimenta toti clero ac Eccleſiæ intulerit. Nam & ſcandala ſuſcitata ſunt plurima,& ruinæ animarum ſubortæ, & demum hæreſes pullularunt, quòd non eſſet cenſura,atque diſciplina,per quã talibus obuiã iretur. Et nihilominus vnitus Ordo fuit poſt concilium Piſanum, antequam plenũ fieret in Eccleſia Dei concordium, quod in concilio Conſtantienſi factũ eſt.Quòd autẽ poſteà profers in medium quendam Exerci curatũ,qui iampridem ſuo in ſpeculo multa poſuit, quæ perſeuerãtiæ Cartuſianæ aduerſari vidẽtur: reſpondemus inprimis,quoſdam eſſe alienæ vitæ exploratores, qui in moribus alienis conſiderandis ita curioſè occupãtur, vt & grãdia ſcelera ſua negligãt, & aliena (quantumuis parua) videant,grandioraque faciãt.Sed obſecro, quibus ſimiles ſunt huiuſmodi obſeruatores, niſi inconſiderato Aſtrologo, qui cùm ambulando non ad ſe,ſed ad aſtra ſuſpiceret, in foueam decidit? Quibus,inquam,conferẽdi ſunt, niſi leuibus hiſtrionibus,qui in domibus habitare non valent,

In alienæ vitæ exploratores.

Simile.

valent, quòd in eis nihil foco frigidius ſit: Sic enim iſti alienorum morum exploratores, dum in ſuæ conſcientiæ domo habitare nequeunt (quòd nullus ſit ibi vel amoris, vel deuotionis ignis, ſed algida ſunt omnia) iugiter aliena penetralia adeũt. Quibus denique comparari poſſunt aptius, quã ſuperbis hypocritis, *qui* (pro Saluatoris noſtri ſententia) *trabem ſuis in oculis nõ videntes, in alienis feſtucam intuentur*? Enimuerò ſecularis inexpertus de ſarcina religionis (præſertim aſperioris, qualis eſt Cartuſiana) diſſerens, eamque vituperans, & inconſideratus, & leuis, & ſuperbus, & præſumptuoſus eſt. Siquidem nullus ad carpendum aptus eſt, niſi qui periculum fecerit, onusq; ipſum longo tempore proprijs humeris geſtarit. Igitur, vt reſpõdeamus ad hominem: Se ineptum, arrogantem palàm oſtendere videtur, quippè qui negotium turpiter agitauit, quod nunquam intellexit (ſola enim experientia hoc ipſum edocet) qui, inquã, falcem poſuit in meſſem alienam, & iuxta commune dictum, velut clericus de armis locutus eſt. Debuerat potiùs ſibi incumbere, ſuſceptamque animarum curam, quæ totum hominem flagitat, ſollicitè gerere, & grauiora, quæ in ſuo ſtatu reperiuntur vitia ac ſcandala, ſuis ſcriptis inſectari, non autem monaſticam vitam ita licenter deturpare. Ergo pro labore ſuo habeat illud Euangelicum: *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc eijcies feſtucam de oculo fratris tui.* Et illud: *Medice cura teipſum*. Reſpondemus nihilominùs & aliter: Propter dicta huius contemplatoris non eſſe Cartuſianam vitam deformitatis arguendam, cùm author ille non aſſerat vera, quæ in eo ſpeculo retulit, nec in Ordine inueniri aſtruat, ſed

Matth. 7. (margin, beside "ris noſtri ſententia")

Matth. 7. / Luc. 4. (margin, beside "Hypocrita… eijcies")

ſed more Ciceronis ſe agere, quod ipſe profitetur, aſſerat. Vt enim Tullius ipſe de Rhetorica ſcribere volens, perfectum Oratorem deſcripſit, ſeu finxit, cuius tamen exemplar nunquam ſe vidiſſe proteſtatus eſt: ita & Curatus iſte (vt ipſemet ait) volens de Cartuſianis moribus diſſerere, quatenus taxatis malis, probi magis eluceſcerent, quendā voluptuoſum, tenellum ac delicatum Cartuſianum (qualis in mente eius verſabatur) depingere curauit, qui ſi in vno totus inueniri nequiret, in multis tamen ſucceſſiuè forſan deprehendi poſſet. At verò quis dixerit, propter inanem, ac prorſus inutilem huiuſmodi imaginationem, Cartuſienſis Ordinis perſeuerantiam rectè argui poſſe? Nemo planè, niſi delirus. Reſpondemus & alio modo: Conuentum illum, quem in ſuo ſpeculo nominat Speculator ipſe, forſitan tunc temporis à Cartuſiano rigore defeciſſe, & ibi multa ex his, quæ ſcripſit, inuēta fuiſſe. Verùm continuò non potuerunt ſanè illa toti Ordini aſcribi, nec conſequenter diſſolutionis taxari. Reſpondemus adhuc & alio pacto: Ibi leuia multa ab eo fuiſſe depromta, quæ nec relatione quidem digna ſunt, tantum abeſt, vt diſſolutum Ordinem conficiant. Quis enim neſciat, mortalem vitam à vitijs permultis, quæ quotidiana dici ſolent, immunem non eſſe? At verò proptereà ſtatum aliquem vehemétiùs taxare, deformitatiſq; arguere velle, hominis eſt ridiculi, ac prorſus inſipientis. Non enim negari poteſt, multa huiuſcemodi venialia in quouis ſtatu (quantumcunq; perfecto) inueniri ſolere, quæ ſicut negligenda omninò non ſunt: ita nec nimis ſolicitè ac ſuprà modum curari debent. Verùm, vt diximus, non eſt eam ob rem ſtatus quiſ-

quiſpiã diſſolutionis incuſandus. Quærere enim in hac mortalitate homines Angelis ſimiles, & à vitijs penitus immunes ſtolidi hominis indiciũ eſt. Exigere quoque à monachis ea, quib⁹ ſe obnoxios minimè fecerunt, vel etiam quæ obſeruata, rationis vſu eo. viduarent, hominis eſt ſanam mentem non habentis. Denique nõ negarim, nõnullos eſſe malos proficiẽtes monachos, ſed aliorum cõparatione paucos, qui ſuis perditis diſſolutiſq; moribus (quantũ in ſe eſt) diſſolutum ſtatũ faciunt, & cur ita putetur à leuibus inuidiſq; in cauſa ſunt. Ea enim eſt leuiũ hominũ conditio, vt ea, quæ vel ab vno fiunt, toti cõmunitati aſcribãt. Potuit ergo Speculator ille vnũ vel paucos de reproborum numero contemplari, quorũ perditos mores deſcribere voluit. At verò demens ille eſſet, qui vel totam congregationem, vel Ordinem totum propterea lacerare auderet. Itaque ſi Curatus ille inani cura agitatus, totũ Ordinem taxare propterea tẽtauit, planè nihil faciendus, ridẽdus, ſubſãnandus explodenduſq; penitus eſt. Quid plura? Cùm author ille obſcænis ſenſibus, ac inſolẽtibus verbis vtatur, & deniq; liber totus fumoſus, tenebroſus, ineptus, inutiliſq; putetur, potius reiectione quã lectione dignus cenſeri poteſt. Quicunque ergo forſitan leges, non propterea Cartuſianum Ordinem, ſed perditos quorũdã malè proficiẽtium mores duntaxat incuſandos putes, quos & probi Cartuſiani inprimis deteſtantur, & cũ magna mentis anguſtia patiuntur. Verùm non fuerant propterea tot tantaque ab illo ſpeculatore congerẽda. Ab illo, inquam, presbyterulo religionis plane ignaro, ac Satyrico ſuprà modum viro, qui potiùs, quàm Ordo Cartuſianus, tota

tota Anticyra dignus eſt. Sed de his iam ſatis. Quòd autem ſubinde contendis de paruis domibus: Primùm reſpondemus, eos, qui paruis in domibus habitant, quò ad ea quæ ſinguli Cartuſiani obſeruare debent, aliorũ inſtar, qui magnas domos incolunt, planè aſtrictos eſſe. Quis enim eos (obſecro) immunes reddidit? Nonne ita veſtri, ita paſci, ita ſibi de omnibus prouideri totis votis flagitant, quemadmodũ ſi maioribus in domibꝰ victitarẽt? Ita ſanè, & eo amplius. Nõ eſt ergo cur in hac parte obligationem diſſimulent. Cui ſi fideliter reſponderint, & multa laude digni ſunt, & maiorem quoque, quàm illi qui magnis in domibus ſunt, gratiam conſolationemque merentur. Tantùm abeſt, vt taxari iuſtè queant: quod tamen ſuperbi quidã monachi faciunt, non intelligentes de quibus loquuntur, aut quid affirment. At verò in his, quæ paucitas efficere non ſufficit, excuſabiles ſunt paruarum domorum cultores, quemadmodum eſt, totum diuinum officium alta voce decantare, & alia id genûs facere, quæ pauci obſeruare paſſim non poſſunt. Faciant igitur in hac parte, quod vires ferre queunt, & nulla profectò incuſatione digni erunt. Quod ſi facere noluerint, veri monachi non ſunt: ſed prꝗuaricatores, ſed inutiles, ſed ſuperflui, vani ac miſeri, totaque Anticyra digniſſimi. Itaque videant, qui eiuſmodi ſunt, qua conſcientia fundatorũ bona abſumant, quo pacto ſempiternam ſalutem ſperare poſſunt, quo denique modo coram Deo apoſtatæ non ſint, quando præſertim nec ſtatuta ceremoniaſque obſeruare, nec votis reſpondere, nec demum vitam (vt decet) Cartuſianã agere volunt, ſed iugiter pertinaciterq; detrectant. *Monachi inutiles ac præuaricatores.* *Apoſtatæ.*

Deni-

Denique cùm paruis in domibus, ſicut & in magnis pro maiori parte, Cartuſianè viuatur, non erit propter aliquos inſtabiles ac ineptos diſſolutionis criminanda: quandoquidem & probi viri in eis victitant laudabiliter, qui tædioſum magnarum domorũ pondus ferre non poſſent. Adde quòd pauci ſint aliarum comparatione huiuſmodi paruæ domus, ob quas, ſi diſſolutæ eſſent (quod abſit) non deberet totus ordo deformitatis taxari. Deteſtantur (fateor) nonnulli has paruas domos, qui & eas funditus dirutas eſſe vellent. At verò idipſum nec poſſibile, nec rationi conſentaneum eſſe arbitrãtur cęteri: quãquam ſi pauciores eſſent, non eſſet magnoperè curandum. Denique conqueruntur (fateor) ipſimet Cartuſiani de lapſu, qui in victualibus pręſertim ac curioſitatibus apud quoſdã factus eſt, ne ſeipſos palpare videantur, ſed deuios reuocare, ac ſtatum in ſuo tenore fouere ſatagant. Verùm ex hoc non conficias, Cartuſianũ ordinem inſtar aliorum collapſum eſſe, aut etiam ita alteratum, vt planè diſſolutus rectè dici queat, præſertim cùm ſtudeat iugiter errata caſtigare, & malos à ſuis temeritatibus cohibere. Sed alia tangamus. Quòd denique multa depromis, quæ perſeuerantiam Cartuſianam improbare videntur: non inficior, quoſdã & ambitionis, & murmurationis, & aliorum id genûs vitiorum tentationibus agitari, interdumque ſuperari. Non inficior, inquam, probis quoſdã malos eſſe permixtos, quod & in omni hominum conditione reperire poſſis. Siquidem, vt ſacer Hieronymus ait: In omnium ſtatu & gradu optimis mixta sũt peſſima. Cui & Auguſtinus aſtipulatus, bene ad propoſitum inquit: Ex quo Deo ſeruire cœpi, quo-

Bonis malos sẽper eſſe permixtos. Hieron. Auguſt.

quomodo difficilè ſum expertus meliores, quã qui in monaſterijs profecerunt: ita non ſum expertus peiores, quam qui in monaſterijs ceciderunt. Nec propterea tamẽ (quod Caſſianus Collatione 18. inſit) peruerſos atq; execrabiles quoſque, ſanctorum virorum numero inſertos latitare miremur, quia dum in huius ſeculi area cõculcamur, atque conterimur, neceſſe eſt etiam paleas, igni perpetuò deputandas, inter electiſſima frumenta miſceri. Denique ſi vel Sathan inter Archangelos, vel Iudam inter Apoſtolos, vel Nicolaum prauiſſimum hæreſeos inuentorem inter Diaconos reminiſcamur electos: hoc, quòd nequiſſimi homines ſanctorũ ordini deprehenduntur inſerti, mirum eſſe non poterit. Vides vt bonis mali in quibuſuis etiam electis congregationibus inſerti reperiantur. Quod & Gregorius in Homilia latè proſequitur, dicens: Quouſque namque hic viuimus, neceſſe, vt vitam præſentis ſeculi permixti peragamus. Tunc autem diſcernimur, cùm peruenerimus. Boni enim ſoli nuſquam ſunt, niſi in cœlo, & mali ſoli nuſquam ſunt, niſi in inferno. Hęc autem vita, quæ inter cœlum & infernũ ſita eſt, ſicut in medio ſubſiſtit, ita vtrarumq; partium ciues cõmuniter recipit. Et paucis interpoſitis ſubdit: Sic in tritura areæ grana ſub paleis premuntur: ſic flores inter ſpinas oriuntur, & roſa, quæ redolet, creſcit cum ſpina quæ pungit, &c. Hæc Gregorius. Ex quibus omnibus apertè vides malos cum bonis commixtos eſſe, adeò quidem, vt dici illud poſſit: *Non eſt domus, in qua nõ iaceat mortuus*. Sed hoc loco forſan quæras, cur ita mali bonis permixti ſunt? Reſpondemus, id multis de cauſis effici ſolere. Inprimis vt habeãt boni quo

Caſſianus.

Actor. 6.
Apoc. 2.

Gregor.

Exod. 18.

Mali cur bonis cõmixti.

exerceantur, ne torpeant, & malos patienter ferendo, magis proficiant. Qui enim malos æquanimiter non tolerat, ſe non ſatis iuſtum eſſe planè oſtendit. Nam vt Gregor. ait: Quiſquis malos non tolerat, ipſe ſibi per intolerantiam ſuam teſtis eſt, quia bonus non eſt. Abel enim eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet. Non igitur fuit quiſquã bonus, quem malorum prauitas non probauit. Vt enim ita loquar, ferrum animæ noſtræ nequaquã perducitur ad ſublimitatẽ acuminis, ſi hoc non eraſerit alienæ lima prauitatis. Sed alteram cauſam tangamus, dicẽtes malos bonis miſceri, vt mali ipſi prorſus inexcuſabiles ſint, qui ſi cum ſcorpionibus habitarent, ſe excuſari debere forſan prætenderent. Sed quo pacto excuſationem mererentur, cùm ſcriptum ſit: *Cùm ſancto ſanctus eris, & cum electo electus eris?* Igitur & maiore obiurgatione digni ſunt, & maiorem ſibi gehennam parant, qui cum bonis habitantes, peruerſi eſſe non erubeſcunt. Porrò malorum cum bonis mixtio fit, vt intelligamus, in hac vita omnia (quod iam diximus) mixta eſſe, & non propterea culpandam eſſe congregationem, quod in ea mali quidam ſint. Non enim propter Iudam minus eſt reputatus Apoſtolorum chorus. Denique videre eſt, nec nauem ſine ſentina, nec optimam quamque domũ ſine cloaca eſſe ſolere. Quid enim aliud eſt malus inter bonos, quàm quædam dedecoris ſentina, infectaque latrina, omnes domus ſordes in ſe recipiens? Miſera igitur planè conditio, modiſque omnibus fugiẽda. Sed ad inſtitutum reuertentes, dicamus nec ſtatum, nec cõgregationem aliquam propter malorum permixtionem rectè carpi poſſe. Quod & Chryſoſtomus ſermone quo-

Gregor.

Pſal. 17.

Statum propter malorum commi-

quodam teſtatur in hunc modum: Si videris ſacerdotem indignum, nō ob id ipſe calumniari ſacerdotium debes. Neque enim calumnianda res, ſed ille ſolùm meretur onerari conuitijs, qui tāto bono abutatur. Non enim ſi Iudas proditor fuit, hoc Apoſtolicę profeſſionis crimen, ſed vnius tantum viri mēs improba fuit. Et multi quidem medici carnifices ſunt, qui pro medelis venena propinant, nec tamen artem vitupero, ſed qui arte ipſa iniquus abutitur. Et nautæ complures nauigia merſerunt, nec ars nauigandi tamen, ſed eorum peruerſa voluntas iure damnanda. *Neceſſe quidem exoriri ſcandala,* inquit ſalutare verbum Dei, *veruntamen væ homini illi, per quem ſcandala naſcentur.* Hæc Chryſoſt. Vides ergo, vt non ſit ſtatus propter malos quoſdā bonis commixtos inſimulandus. Sed nec propter quotidiana ſeu venialia piacula, ſtatus quoque damnandus eſt. Nec demùm propter grauiora à bonis quandoq; admiſſa, modò palàm arguantur, & iuſta pœnitudine diluantur. Quibus animaduerſis, non eſt, cur ſtatum Cartuſianum diſſolutionis arguere, vel eius perſeuerantiam improbare debeat. Hoc enim ratiunculæ tuæ nullo modo conficiunt. At quoniam verſiculis quibuſdā inter arguendum vſus es, aſſerens Cartuſianos inuidię morbo obnoxios (quod de quibuſdam peruerſis, ſed paucis, non inficiamur) eam ob rem etiam tibi carmine reſpondere (ne hoc genere nos ſuperaſſe videaris) hoc modo certum eſt.

xtionem non rectè carpendum. *Chryſoſt.*

Matt. 18.

Inuidiam fateor paſſim ſua tela mouere,
Et grauius magnos pungere ſæpe viros.
Pungere ſæpe viros dictis factiſq; malignis,
Et famam ſcriptis commaculare ſuis.

 Sic

Sic igitur feruens, ſic concitat omnia liuor,
Linguam, labra, manus, pectora, terga, pedes.
Hæc exempla ſatis, ſatis hæc documenta probarunt
Multa quidem: ſic eſt, Liuor vbiq; nocet.
Sed Deus omnipotens liuorem perdet, & ipſum
Qui fuit inſanæ deditus inuidiæ.

Cæterùm iam ſatis Cartuſianæ vitæ prærogatiuas ac excellentias diſſeruimus, eam ob rem certum eſt receptui canere, & exercitia vitæ ipſius tranſire, ſi primùm tamẽ præſtantias ipſas à quodam breuiter tactas in medium attulerimus. Sic enim de vita Cartuſiana paucis agens, inquit: Tu immediata Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ filia es prædilecta. Tu ſpecioſiſſimis priuilegiorum monilibus per eandem matrem præfulges exornata. Tu à tempore primæ inſtitutionis tuę, nulla macula per deformitatem noſceris vitiata. Tu de fonte puriſſimæ veritatis diuinarum Scripturarum, Doctorumque ſanctorum, & Orthodoxorum Patrum immutabiliter hactenùs dulcedine es irrigata. Tu animabus defunctorum tuæ charitatis abũdantes orationum eleemoſynas pia miſeratione ſemper es elargita. Tu veteris, & noui teſtamenti fluenta ſingulis annis integrè auribus filiorum tuorum legendo dignoſceris impertita. Tu in ſemitis incedens naturæ, quæ non deficit in neceſſarijs, nec abundat in ſuperfluis, mediocritate ſemper fuiſti cõtenta. Tu oſtiolum tuum, ne pedes mulierum illud terãt, & puritatis margaritam perdas, hactenùs ſanctè clauſum tenuiſti tuta. Tu fide pudicitiæ, quam cœleſti ſponſo iugi cellæ incluſione immaculatam ſeruas, exultas decorata. Tu theſaurum pretioſum paupertatis, cum alijs eſſentialibus religionum votis inuiolabiliter ſeruando, meritò ab om-

Commendatio vitæ Cartuſianæ.

ab omnibus es collaudata. Tu tam in capite quã in membris æquali & rationabili portione, ſine perſonarum acceptione, neceſſaria diſtribuere, prout cuique opus eſt, hactenùs es comprobata. Tu propter altiſſimum creatoris tui amorem, & carnis attritionem, carnium eſum iuſtè (omnibus mirantibus) abdicando, ſtrictiùs es arctata. Tu veſtiũ aſperitate, & ciliciorũ duritia, Chriſti paſſionis imitando veſtigia, carnem ieiunijs, vigilijs, & orationibus cum ſuis concupiſcentijs crucifigendo, propter ſpem vitæ æternæ continuè es afflicta. Tu in ſilentij quiete, & ſolitudine cellæ creatori tuo cubiculum cordis tui per dulces meditationum deuotiones & contemplationes, indeſinenter præparare delectabiliter es aſſueta. Tibi euagandi per ſeculum, ob tui cuſtodiam, ſtabilitatis voto aſtricta, facultas eſt interdicta. Tibi à cella in cœlum facilis patebit ingreſſus, dummodò cellæ vnius diligens obſeruatrix fueris: cœleſtiſque aulæ (diuinæ largitatis munere) vt ſponſi faciem iugi fruitione videas in perpetuum, pro quo omnibus, quæ ſunt mundi, renuntiaſti, aperietur porta. Sed iam ad ſpiritalia vitæ ipſius exercitia accedamus.

QVARTVS TRACTATVS SECVNDI libri, in quo agitur de exercitijs ſpiritalibus Cartuſianæ vitæ, præſertim ad diuinum cultum Officiumque pertinentibus.

CAPVT I.

Quibuſdam præmiſſis obiectionibus, tanguntur generatim tria, quæ vniuerſaliter ad diuinum officium decentor exoluendum exiguntur.

Oblocvtor.

Exercitia ipſa, quæ in perſoluendo cultu diuino vos Cartuſiani obſeruatis, facilè eſt improbare. Siquidem nec pſallendo, nec proferendo, nec legendo debitum modum tenetis. Quòd enim pſallendo modum non obſeruetis, liquidò conſtat: quòd interdum lentè, aliquando præcipitanter, frequentiſſimè verò diſcorditer ac indeuotè cantare, ac turpes caudas facere ſoleatis. Deinde nec proferendo quoque. Etenim quendam proferendi modum, partim aliorum vſui, partim verò grammaticæ regulis diſſonum obſeruatis, vtpotè aio, & aiunt, triſſyllabum facientes, cùm tamen Priſcianus diſſyllabum eſſe affirmet. E diuerſo autem Euge triſſyllabum, quod tamen diſſyllabū eſſe probat, cum ait: Euge tuum bellè eſt. Itidem caſia profertis, ac ſi per z ſcriberetur. E regione verò multa profertis cum ſimplici ſ ſcripta, ac ſi cum dupli-ci ſſ ſcripta forent, vt reſurgo, proſequor, & cætera id genus multa. Porrò nec legendo debitum modū obſeruatis. Siquidem malè accētum facitis, vtpotè mediam Symonis corripientes, cum tamen produci debeat, & alia multa id genus dicentes. Addo quòd multa in libris veſtris, præſertim in Biblijs habetis, quæ & legitis, à communi textu, ſeu ritu diſſidentia. Qua de re mirum non eſt, ſi decentem legendi modum nō tenetis. Verùm qua temeritate (quęſo) præſumitis quicquā ſacris in literis variare, & nouellam Scripturam inducere? Vultiſne & vos erroribus aditum præbere, & Græculos quoſdam imitari, qui cornicum oculos conficere, & ea quæ iamdudum probè facta ſunt, peruertere ſua inſania tentant? Pet. Tuis obiectionibus reſpondere cupien-

cupientes, primum afferenda putamus ea, quæ ad diuinum officium decenter perſoluendum exiguntur. His enim prælibatis, obiecta faciliùs diſcutientur. Primum aggredientes, pauliſper in ipſo limine ſiſtendum cenſemus adhortandi gratia. Adhortandi, inquam, vt officium diuinum laudabiliter exoluatur. Hoc enim fieri debere iuſtæ cauſæ flagitant. Inprimis hoc diuina iubet authoritas, quæ ait: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.* Præcipit & hoc Eccleſiaſtica cenſura, quemadmodum (vt cætera prætereantur) Extra de cele. Miſſarum, c. Dolentes habetur, vbi ità dicitur: Diſtrictè præcipimus in virtute obediẽtiæ, vt nocturnum officium pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter & deuotè. Porrò hoc ipſum inſtituerunt, pariterque mandârunt Patres religionum fundatores, qui & modum diligenter tradiderũt, quo id fieri poſſet. Accedunt autoritatibus & rationes: vtpotè ꝙ homo debitũ creatori ſuo famulatum impẽdere debet, quòd multis quibus obnoxius eſt, habet reſpõdere facereque ſatis, quòd præcipuũ religioſi officium eſt cultum diuinum decenter exoluere, & id genûs multa, q̃ breuitatis amore prætermittũtur. Denique poſſent bona multa, quæ diuinũ officium laudabiliter perſoluentibus cõferuntur, & è diuerſo mala plurima, quæ aliâs cõtingunt in præſentiarũ afferri, ſed ad alia properandũ eſt. Itaque afferamus ea, quę ad diuinũ officium decenter exoluendum, obſeruanda ſunt. Hæc autem generatim quatuor eſſe videntur: ſcilicet diligens præparatio, religioſa corporis reuerentia, debita mentis vigilantia, & demum apta cantûs diſciplina. Quorum tria prima vniuerſaliter in offi-

Iere.48.

officio diuino ritè perſoluēdo exiguntur. Quartum verò peculiariter obſeruandū, quādo pſallendum ſiue cantandum eſt. Itaq; de tribus primis hoc capite proſequamur. Primum enim, ſcilicet diligētem præparationem obſeruari debere, monſtrat authoritas. Authoritas, inquàm, ſacræ Scripturæ, quæ Eccleſ. 18. ad hoc ita hortatur. *Ante orationem præpara animam tuā, ne ſis quaſi homo tentans Deum.* Cui aſtipulati omnes ſancti Patres, qui de modo perſoluendi cultus diuini meminerunt, præparationem eſſe præmittendā cenſuerunt. Quod & exemplis ac ſimilitudinibus aptis conficitur. Enimuerò videre eſt, patronum, qui cauſam acturus eſt, anteà diligentiſſimè voluere, quid pro ſuo cliente dicturus ſit. Similiter & reum tribunalibus præſentandum anxia cura veſtigare, quæ iudicem ad miſericordiam flectere poſſent. Itidem & pauperē ſtipem petiturum ea præmeditari, quæ diuitum animos emollire queāt. Deniq; & Muſicos coram principe melodiam dicturos, ſolere inprimis non negligenter chordas tendere, ſuaq; inſtrumenta aptare, vt ſuauiùs concinant. Quid igitur Monachus pro ſuis alieniſq; delictis oraturus, eleemoſynamque à ſuperis petiturus, & demum coràm cœleſtibus aſtantibus aliquid melodiæ ſpiritalis reſonaturus efficiet? Ineptus planè cenſebitur, ſi decenter ſe non parauerit. At verò (ne quid lateat) huiuſmodi præparatio multa flagitare putatur. Primùm quidem, vt ea diſcantur, quæ ad ipſum officium decenter exoluendum neceſſaria ſunt. Horum ſiquidem ignorantia, vtpotè turpis ac noxia, modis omnibus euitāda eſt. Quis enim (obſecro) eſt, niſi ignauus & demens, qui officij ſui peritiam habere negligit? Et nihilominùs

Eccleſ. 18.

Ad debitā præparationē quæ requiruntur.

ominùs tamen miſeri quidam, & Monachi, & Clerici ſatis hoc non curant. Quos in ſua Rhetorica grauis Doctor Guilielmus Pariſiẽſis increpat, dicens: Magna prorſus & execranda ſtultitia, ignauia & negligentia clericorum, qui cum officio orandi conſecrati ſint & addicti, addiſcere tamen & ſcire non curant, qualiter id ſit exequendum. Cui ſimilis ignauia in nullo hominum genere inuenitur. Hæc ille. Faxit Deus, vt ignorantia ipſa (quæ cunctorum mater errorum à canonibus dicitur) Cartuſianos non inficiat. Eſſent enim planè reprobãdi, vtpotè qui in ſuis inſtitutis optimè habeant ea omnia, quæ ad diuinum cultum decenter perſoluendum requiruntur. Videant igitur illi ipſi, qui nec in cantu, nec in pſalmodia, nec in cæremonijs, nec alijs demùm id genus ediſcendis, vllam operam dare volunt, ſed ſua potius deſideria ſectantes inaniter viuunt, aut curioſis, nullique profuturis ſtudijs incumbũt, aut certè negotiolis quibuſdam, tartareis deluſi dolis, ſeipſos occupant, ea quæ neceſſaria ſunt prætermittẽtes. Sed reliqua tangamus. Ad dignam quoque præparationem exigitur vitæ ſeu mentis puritas, ſi gratum ſuperis obſequium eſſe debeat. Itaque ſi forſan conſcientia piaculi lætalis conſcia ſibi ſit, opus eſt, vt diligenti pœnitudine primùm expurgetur, ſi fructum perennem ex oratione referre cupiat. Hinc Auguſt. ſic admonet. Munda cubiculum cordis, intus eſt qui exaudiat. Et Iſidorus de ſummo bono. Purgandus eſt itaq; primùm animus, & à temporalium rerum cogitationibus ſegregandus, vt pura acies cordis ad Deum verè & ſimpliciter dirigatur. Hęc ille. Poteſt (fateor) ad multa valere diuini cultus ſolutio, aliâs effecta.

Guilielm⁹ Pariſienſis.

Auguſt.

Iſidorus.

Verùm obſequium ipſum eſſe meritorium non poterit, ſi ex charitatis radice non proficiſcatur. Ergo de ſui profectus augmento Monachus ſolicitus, ſuam inprimis animam emaculet, ſi ſordida ſit. Sic enim pluris erit momenti vnica oratio Dominica, quàm pſalmodia multa. Porrò ad congruam præparationem faciendam non erit poſtponenda conſideratio eorum, quæ vel dicenda vel agenda erunt. Si enim cuilibet negotio admodum oportuna ſit conſideratio (quemadmodum pulchrè ad Eugenium Papam ſcribens, D. Bernardus oſtendit) dubium non eſt, eam operi ſeu cultui diuino aptiſſimam eſſe. Ea de re grauiter inſimulandi ſunt, qui ob debitæ præparationis defectum palam multa in diuino officio errata frequenter admittunt. Denique ad debitam præparationem ineptum non erit, alias cogitationes inprimis reijcere, & oratiunculam quoque aliquam præmittere, vt ſcilicet diuinæ gratiæ auxilio ea habeantur, quæ auxilio eſſe poſſunt, & refellantur quoque ea, quæ debitæ ſeruitutis penſum impedire valent, cuiuſmodi ſunt variæ cogitationes, quę orantibus occurrere ſolent, niſi primùm longiùs propellantur. *Caſſianus. Collat. 9.* Quicquid enim (vt apud Caſſianũ Iſaac inquit) ante orationis horam anima noſtra conceperit, neceſſe eſt, vt orantibus nobis per ingeſtionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Ex præcedenti enim ſtatu mens atque animus in ſupplicatione firmatur. Itaque (vt antè ibidem præmittit Caſſianus ipſe) primũ ſolicitudo rerum carnaliũ generaliter abſcindenda eſt. Deinde nullius negotij, cauſæve non ſolùm cura, ſed memoria quidē peni-

penitus admittenda. Detractiones, vaniloquia ſeu multiloquia, ſcurrilitates quoque ſimiliter amputandæ. Iræ (præ omnibus) ſiue triſtitię perturbatio funditùs eruẽda. Et ea quæ ſequuntur. Quæ profectò ad vnguem obſeruauit S. Hugo Lincolnienſis antiſtes de Ordine Cartuſiano aſſumptus, qui cùm Cartuſię procurator eſſet, cappam ſuá in eius ingreſſu dimittere ſolebat, ſuis cogitationibꝰ dicẽs: Hic cũ cappa manere, quoad vos officio expleto reſumã. Quem vtinam omnes imitaremur, & mentis euagationem nimis frequentẽ cohiberemus. Sed reliqua proſequamur, & in ſumma conficiamus, ad debitã pręparationẽ exigi inprimis ſcientiam eorum quę exiguntur. Deinde defœcandũ à vitijs animũ: poſtea adhibendã conſiderationem debitã. Denique & orationem his coniungendã eſſe. Quibus præmiſſis, ad publicã orationem properandũ erit, nec teſtudineo more incedendũ. Sunt enim qui vbi ſonũ epulantis audiũt, alacres ſunt & diligentes. At verò poſtquam ſonum orantis accipiunt, mox (neſcio quo pacto) torpentes fiunt, & quaſi ad tormenta traherentur, triſtem vultum aſſumunt. Non amat Deus coacta mœſtaque obſequia. Sed iam alterum afferamus principale, quod ad diuinum cultum (vt decet) perſoluendum flagitari diximꝰ, quod eſt religioſa corporis reuerentia. Etenim in timore (qui reuerentiam parit) ſeruiendum eſſe Domino, Propheta ait, cùm inquit: *Seruite Domino in timore*. Sed & cum authoritate, alia multa cõficiunt, reuerentiã in cultu diuino obſeruari debere, quãdoquidem illic præſens eſt diuina maieſtas, quę pſallẽtes circumſpectat. Fateor quidem, vbiq; Deum eſſe præſentem, de quo Secundus Philoſophus ſic

S. Hugo Lincolniẽſis antiſtes.

Religioſa corporis reuerẽtia.

Pſalm. 2.

ſic ait: Deus eſt lux indeficiẽs, manus omnia cõtinens, oculus inſopitus, ſpiritus vbiq; totus, cui peruium eſt omne ſolidum, cui obſcura claret, occulta patent, cui muta reſpondent, cui ſilentiũ loquitur, & mens ſine voce confitetur. Verùmtamen quodam peculiari modo ipſis orantibus adeſt, quod D. Bernardus hoc modo teſtatur cũ ait: Licèt ſemper à domino videamur, in oratione tamen etiam præſentamur, & oſtendimus nos quaſi facie ad faciem cum Deo loquentes. Eſt igitur corporis reuerentia ob ſpecialem diuinæ maieſtatis aſſiſtentiam obſeruanda, obſeruanda quoque eſt, propter Dominici corporis, & Reliquiarũ præſentiam, propter Angelorũ (qui ibi adeſſe, & orantes iuuare creduntur) honorem, propter loci ſanctimoniam, denique propter rei ipſius dignitatem. Etenim tanta res eſt officium diuinum, vt multa cum reuerentia prorſus ſolui debeat. Tantaq; illi cura impendenda, vt omne aliud negotium ſit propterea prætermittendũ. Quod D. Bernardus ſuper Cãtica, Sermone quadrageſimo ſeptimo pulchrè declarat, cũ inquit: Ex regula noſtra nihil operi Dei præponere licet. Quo quidem nomine laudum ſolennia, quæ Deo in oratorio perſoluuntur quotidiè, pater ideò benedictus voluit appellare, vt ex hoc clariùs aperiret, quàm nos operi illi vellet eſſe intentos. Adde quòd pro communi dicto maledictum ſit negotium, propter quod intermittitur diuinum officium. Itaque modis omnibus elaborandum eſt, vt reuerenter ac dignè diuini cultus penſum domino reddamus. Hoc enim vbi diligentiùs obſeruatur, cũcta alia proſperè ſe habent. Vbi verò cõtrà, infauſtè omnia ſuccedunt. Nec iniuria planè. Quo enim pacto

Bernard.

Corporalis reuerentia, quare obſeruanda.

Bern. ſup. Cant. ſer. 47.

te vel honore, vel beneficio dignaretur Deus, cuius officium nulla reuerentia proſequi geſtis? Nonne obſecro in ſeruitio mortali principi exhibendo plurimum reuerentiæ obſeruari ſolet? Cur igitur qui te magni principis Dei famulum voce profiteris, reipſa ſimiliter non facis? Eſt ergo in cultu diuino debita reuerentia obſeruāda. Quod fiet, ſi cærimoniæ debitæ (de quibus Cartuſianis in ſtatutis diligenter cautum eſt) obſeruentur, ſi vagationes oculorum cohibeantur, ſi corpus teneatur immotum, ſi incompoſitæ, leuesque vitentur membrorū agitationes, vt ſcilicet ſtabilitatem cordis referat corporis ſtabilitas, ſi deniq; nulla fratribus moleſtia (quantum fieri poterit) inferatur. Hæc ſi non feceris, de illorum grege cenſeberis, quos Hugo de Sancto Victore carpit, cùm inquit: Sunt mente vagi, attoniti oculis, habitu diſſoluti, plana parietū proſpicientes perluſtrant, aliud cantant, aliud cogitant. Cæterùm diſcutiamus tertium præcipuum, quod ad decentem diuini cultus perſolutionem exigi prædiximus, quod eſt debita mentis vigilantia, quàm Apoſtolus inſinuat, cùm ait: *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente*. Cui aſtipulatus Auguſtinus, fratres ſuper hoc admonet, cū inquit. Pſalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Hanc autē mentis vigilantiam in duobus conſiſtere putamus, ſcilicet intentione recta, & attentione debita. Quæ quidem licet ſoleant ſæpè confundi, & à multis pro eodem ſumi, hic tamen diſtinctè ac propriè capere libet: quæ diuerſitas ex ſubiectis patebit. Itaque dicamus ad diuinum officiū decenter perſoluēdum, bona intentione opus eſſe. Ex intentione enim opus vel bonū, vel malum effici

Ad debitam corporis reuerentiā, quæ exiguntur.

Mentis vigilātia.
1. Cor. 14.
Auguſtin.

Intentio bona.

effici ſolet. Intentionem aût bonam nunc vocamus mentis affectionem, qua finem bonum deſtinantes, apta ad ipſum media eligimus atq; ordinamus. Non enim ad bonum opus boni finis deſtinatio duntaxat ſufficit, ſed ſimul exigitur recta mediorum electio, decensq; in finẽ ipſum ordinatio. His enim duobus vnà cōuenientibus, oculus ſimplex eſt, de quo Dominus in Euangelio loquitur, cùm ait: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totũ corpus* (operationis ſcilicet) *lucidum erit.* Loquitur & Ambroſius, cùm inquit: Affectus tuus operi tuo nomen imponit. Loquitur quoq; Bernardus ad Eugenium dicẽs, ad bonum opus exigi, vt veritas ſit in electione, & charitas in intentione. Et Serm. 40. ſuper Cantica in hunc modum ait. Duo quidem in intentione (quã faciem animæ eſſe diximus) neceſſaria requiruntur, res, & cauſa, id eſt, quid intendas, & propter quid. Ex his ſanè duobus animæ decor vel deformitas iudicatur. Et ſubdit: Si, verbi cauſa, intendat quis animum inquirendæ veritati, atque id ſolo veritatis amore, nonne is tibi videtur & rem, & cauſam habere honeſtam? Hæc ille. Itaque ſi vtrunque deſit, ſcilicet cauſa ſiue finis, & res ſiue medium honeſtum, opus planè vituperabile dicetur, quia in operantis intentione, & res, & cauſa reproba inuenitur. Si verò alterum deſit, ex parte opus deforme euadet. Ergo intendere non in Deum, ſed in ſeculum, ſecularis animæ vanitas putatur. Intendere verò quaſi in Deum, ſed non propter Deum, hypocritæ planè ſimulatio eſt, quę licet ad Deum reſpicere videatur, omne tamen meritum ab anima exterminat. Intendere verò duntaxat vel maximè propter vitæ præſentis neceſſaria, vel diffidentis, vel puſillanimæ

Matt. 6.

Ambroſ.

Bernard.

mentis

mentis videtur eſſe imperfectio: intẽdere verò in aliud quàm in Deũ, ſed tamẽ propter Deum, actiuæ vitæ opus eſt non vſquequaq; perfectæ. Deniq; intendere in Deum propter ipſũ ſolùm, otium ſanctũ ac perfectũ eſt contemplantis animæ. Cui ſanè qui vacat, fœlix eſt. Cęterùm his de intentione prælibatis, propoſito applicantes dicamus, intentionem bonam ad cultũ diuinum laudabiliter perſoluendũ neceſſariã eſſe, vt ſcilicet bonum ipſum opus, bene fiat. Eſt enim pro cõmuni dicto remunerator Deus nõ nominum, ſed aduerbiorũ. Et fatuas virgines in Euangelio legimus, quæ lampades, hoc eſt, continentiam, ſiue opera de genere bona fecerunt, ſed quia oleum bonæ intentionis non habuerunt, reprobatæ ſunt. Recta igitur intentio neceſſaria eſt. Quam profectò qui nõ habent, ſed inanis glorię vel cupiditatis deſiderio ſuccẽſi, diuinis officijs vacant, ſyncerè diuinũ cultum non perſoluunt, ſed ſimulatam atque ſophiſticam ſequentes deuotionẽ, nihil æterno præmio dignũ efficiunt. Ergo diligentiſſimè curandum eſt, vt recta habeatur intentio, vtpotè quæ ſua virtute totã orationem gratã, præmioq; dignam efficit. Qua de re toti orationi vel præmittenda eſt, vel certè principio aſſumẽda. Sed iã de attentione agam⁹, quã habendã diximus, & in cultu diuino multis de cauſis amplexandam putamus. Inprimis quidem propter eius reuerentiã, quem orãtes alloquimur. Quis enim cũ domino terreno loquitur, & ad ea nõ attendit quæ dicit? Quis, inquam aliquid operis efficit, & nõ aduertit ad opus ipſum quod facit? Debet igitur orãtis animus verbis cõſonus eſſe, ne in morẽ ſimiarum labia mouere, & labiaticam orationem facere videatur. Dein-

Matt.25.

Recta intentio quã neceſſaria.

Deinde attentio habẽda eſt, vt faciliùs vberiuſque à ſuperis conſequamur quod rogamus. Siquidem, vt Auguſt. ait: Potiùs ad vocem cordis quàm corporis aures Dei intendunt. Eapropter monet in regula, vt cùm Deus oratur, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Similiter & B. Cyprian. probè hoc ipſum ita hortatur. Quãdo ſtamus ad orationem, incumbere ad preces toto corde debemus, nec quicquam tũc animus, quàm id ſolùm cogitet, quod precatur. Quæ enim ſegnitia eſt, alienari & capi prophanis cogitationibus, cùm Deum precaris, quaſi aliud quidem magis debeas cogitare, quam quod loqueris? Quomodo audiri te à Deo poſtulas, cùm teipſe non audias? Vis Deum memorem eſſe tui cùm rogas, quando tu ipſe tui memor nõ es? Itidem D. Bernardus ſerm. 47. ſuper Cantica pulchrè admonet, hoc modo dicens: Vos moneo, dilectiſſimi, purè ſemper, ac ſtrenuè diuinis intereſſe laudibus. Et ſequitur ad propoſitum. Purè, vt nihil aliud dum pſallitis, quàm quod pſallitis, cogitetis. Nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas & otioſas, vitãdæ ſunt & illæ (illa duntaxat hora, & loco illo) quas officiales fratres pro communi neceſſitate quaſi neceſſariò frequenter admittere compelluntur. Sed nec illa quidem profectò recipere tunc cõſuluerim, quę fortè paulò antè in clauſtro ſedentes, in codicibus legeratis, qualia & nunc me viua voce diſſerente ex hoc auditorio Spiritus ſancti reportatis. Salubria ſunt, ſed minimè illa ſalubriter, & prudenter inter pſallendum ipſi reuoluitis. Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debeas, obtuleris. Ne tamen huiuſmodi verba te ſcru-

Auguſt.

Cyprian.

Bern. ſup. Cantica.

ſcrupuloſiorem faciant, vide quid dicat Gerſon in lib. de ſolicitudine Eccleſiaſticorum. Vbi cõcludit, ſolam materiã orationis potiſſimùm cadere ſub præcepto, non ita formam, vel finem. Sed reliqua proſequamur. Habenda denique attentio eſt, propter ſuauitatem deguſtandã, mentemque paſcendam. Oratio enim cibus eſt cordis. Hinc Bernardus ait: Cibus in ore, pſalmus in corde ſapit. Qui ergo attendere negligit, debitam Superis reuerẽtiam non exhibet, orationem mutilam, & principali parte deiunctam facit, minusque efficacem, atq; exaudibilem reddit, ſe quoque ſpiritali ſuauitate internaque refectione viduat, pœnæ ſe obnoxium facit, proximos non iuuat, vt decet, & demùm lætitia magna quodam modo tartareos hoſtes afficit. Vide quot quantaque mala oratio diſtracta efficere ſoleat. Hoc autem loco aptè diſſeri poſſet, quænam attentio exigatur, ſcilicet ad verba, vel ad ſenſum, vel ad finem ſiue Deum, ac rem ipſam quæ petitur. Itidem quando ipſius attentionis defectus (qui & euagatio cordis, & diſperſio mẽtis vocatur) noxius eſt. Inſuper à quo procedit: denique quid remedij adhibendum eſt, vt mens in attẽtione retineatur, & arceatur vagatio. Sed quoniam hæc paſſim à doctoribus tacta ſunt, & nimiam digreſſionem facerẽt, ſi plenè referrentur: eam ob rem miſſa ea faciẽdo, pauca quædam admonuiſſe ſufficiat. Inprimis quidem, vt ſtudeat monachus aduertere ad ea, quæ dicuntur. Ad hoc enim humana nos præcepta directè ac potiſſimùm ligare putantur. Deinde vt nullam ſcienter admittat notabilem, inutilemq; mentis euagationem, nec opus interim aliquod faciat, quod attentionem ſecum non patiatur. Cur no-

Ioã. Gerſon. Lib. de ſolit. Eccleſ. ſub finem.

Bernard.

Ad attentionẽ quæ faciant.

tabilem inutilemq; dixerim diſtractionem, nõ miretur quiſpiã. De parua enim euagatione non ita curandum eſſe, prudentiſſimus quiſq; intelligit. De vtili quoque, præſertim ſi ad repellendã immiſſionem, ſeu tentationem aliquã grauem, quæ errantẽ nimium fatigat, probè ordinetur, non reprobanda videtur, vel certè non contemnenda: Hoc enim prudentes viri aliquando faciunt, quando cum alijs conuentualiter canẽtes, aliter tentationem grauem reijcere nõ poſſunt. Pauliſper enim aliquid cogitant, quò aptiùs fœditas illa propelli queat, ſed mox ea repulſa ad attentionem ſe conuertunt. Porrò quando ſe inutiliter diſtractum, orans ipſe ſentiet, protinus ad ſe redeat, & vagis, impertinentibusque omiſſis, ſeipſum recolligat. Hæc enim vitare diuino ſtringitur præcepto, ne forſan conquerantur, & ſecùm ita dicat: Quis ad attentionem habendam me aſtrinxit? Denique ſolicitus ſit in principio, cultu diuino ſe munire, & ad prælium, quod ſibi à dœmone imminet, viriliter accingere & præparare. Siquidem experientia ipſa docet, dœmonem tum accedere. Qui totis viribus ardet, cerebrum varijs & penè violentis fantaſmatibus agitare, impedire, attentionem & fructum orationis diſperdere. Qui nec bis paſſus repulſam, abſcedit, ſed nõnunquam longo tempore, vtpotè toto primo nocturno, aliquando verò toto ſeruitio ita orantis animam perturbat, vt penè cœptum negotium miſſum facere impellat. Eſt igitur contra machinas huiuſmodi principio obſiſtendum, viriliterque in certamine perſeuerandum, à quo & tandem recedit hoſtis, dum fortiter contra eum decertatur.

CAPVT

CAPVT II.

Peculiariter agitur de his, quæ ad debitum cantandi, ac pſallendi modum exiguntur.

IAM expeditis tribus, quæ ad diuinum officium ritè perſoluendum exiguntur, vniuerſaliter, iam de quarto, quod peculiariter exigitur ad officium diuinum cum cantu perſoluẽdum, agamus, hoc eſt, de apta cantus ſeu cantandi diſciplina. Enimuerò Monachus, cui cantare incumbit, ſpeciatim multa obſeruare habet, quæ ſi priuatim diuinum perſolueret officium, ita ab eo neceſſariò obſeruanda non forent. Ad cantandum igitur ſtrenuè, & religiosè, multa ſeruare opus eſt, quæ noſtris, hoc eſt, Cartuſianis in ſtatutis breuiter tanguntur, & partim à Diuo Bernardo ſuper Cantica deprompta ſunt, in hunc modum, vbi ita ſuos adhortatur. Vnde vos moneo (dilectiſſimi) purè ſemper ac ſtrenuè diuinis intereſſe laudibus. Strenuè quidem, vt ſicut reuerenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis. Non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis & remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonantes, ſed virili, vt dignum eſt, ſonitu & affectu voces Sancti ſpiritus depromentes. Hæc autem, & alia quæ exiguntur, & è diuerſo ea, quæ vitanda ſunt in pſallendo, latiùs proſequentes, dicamus ad ſtrenuum religioſumque pſallendi modum exigi inprimis, vt alacriter cantetur, & lætanter. Hilarem enim cantorem diligit Deus. At contrà nonnulli triſtitia, impatientia, vel melancholia affecti, quam habent cordis amaritudinẽ, etiam

Apta cantandi ratio.

Ca. 39. pr. part. an. §. 2.

Serm. 47.

2. Cor. 9.

foris produnt, qui profectò non ſunt muſica in luctu, ſed luctus in muſica. Verùm ſicut muſica in luctu, ita & luctus inept⁹ in muſica turpis eſt. Cantandum igitur eſt exultanter, nō ſolùm corde (quòd Apoſtolus monet cùm ait, *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino*) ſed & alacritas etiam quidem voce ac ſignis oſtendenda eſt.

Epheſ. 5.

Hoc ſiquidem modo cantandum inſinuat Regius vates, quando nos iubilare monet, dicens: *Et in pſalmis iubilemus ei.* Eſt enim iubilus lætitia ſe exteriùs exprimens. Deinde pſallendum eſt diligenter ac vigilanter, non pigrè aut ſomniculosè. Palàm enim eſt, pigra obſequia terreno principi non placere. Quomodo igitur ea cœleſti Domino grata putabimus? Excitanda eſt igitur deſidia, & timoris ac ſolicitudinis ſtimulo agitanda, ne more ſegnis aſelli in itinere torpeſcat: depellenda quoque ſomnolentia. Nam vt Bernardus ſuper Cantica ait, Pſallentibus dignāter admiſceri ſancti Angeli ſolent. E diuerſo autem qui ſomno preſſi dormitant, Angelorū pręſentiam non merentur. Quòd idem Bernardus deflebat, cùm dicebat: Doleo proinde, aliquos veſtrûm graui in vigilijs deprimi ſomno, nec cęli ciues revereri, ſed in præſentia principum, tanquam mortuos apparere, cùm veſtra ipſi alacritate permoti, veſtris intereſſe ſolennijs delectentur & gaudeāt. Vereor ne veſtram quandoque deſidiam abominantes, cum indignatione recedant. Hæc ille.

Pſal. 94.

Bernard.

Somnolentia in diuino cultu vnde procedat.

At verò cùm nonnulli frequenter, alij rarenter, alij parua, alij multa ſomnolentia potiri ſoleant, aduertenda proinde eſt ipſius ſomnolentiæ cauſa pariter & duratio. Interdum enim ſomnolentia ex nimia refectione proficiſcitur, aliquando ex nimia præcedēte vigilia,

gilia, quæ ſi fiat ineptè, vtputà quando non itur dormitum opportuno ſtatutoque tempore, ſed illuſione dœmonis præter horam vigilatur, culpabilis eſt. Si enim citra culpam contingeret, putà alicuius indiſpoſitionis, vel neceſſitatis occaſione, ſecùs eſſet. Nonnunquàm verò ipſa ſomnolentia ex quadam incuria, atque negligentia procedit, cùm ſ. pro virili non reluctatur ei, ſed ſinitur ſerpere, & ſenſus vincere non repugnantes. Adde quod dœmonis illuſione atque opera ſopore interdum afficiantur monachi inertes, quod exemplo quodam aliquando oſtēſum eſt, quando S. Macharius quoſdam vidit paruulos AEthiopes per Eccleſiam diſcurrētes, atq; monachis pſallentibus variè illudentes, adeò quidē vt ſi duobus digitulis oculos cōpreſſiſſent, mox dormitaret. Si verò intra os digitum poſuiſſent, ſtatim oſcitaret. Quo exemplo liquet, temporē cultus diuini ſomnum dœmonis inuidia procurari ſolere. Itaque aduertenda eſt ſomnolentiæ cauſa (vt diximus) eiuſque duratio. Si enim diuturnè monachus dormitârit, diuino officio non ſatisfacit. Quòd ſi culpa ſua ſomnolentiam inciderit, quæ longa notabiliſque fuerit, non ſolùm officium repetere, ſed & pœnitudinem agere debet, quòd ſcilicet conuentum non iuuerit, quòd fratres ſcandalizarit, quòd demum officium, vt decebat, nō perſoluerit. Vocaliter enim ac conuentualiter (niſi excuſetur) exoluere tenetur. Videant proinde dormitantes Monachi, qui ad fabulas ſunt peruigiles, & ad matutinas, vigiliaſque ſomnolenti, quàm rationem reddituri ſunt. Sed alia proſequamur. Ad modum canendi religioſum ac debitum prætereà exigitur, vt plenè ac integrè, nō diminutè fiat. Non enim præſcin-

Machar.

denda ſunt verba dimidia, nec integra transglutienda. At ſunt nõnulli, qui vt lucius piſciculos, ita & lato gutture verſus integros deglutiunt. Vellentne (obſecro) non integram, vel diminutam pitantiam ſibi dari, cùm non Domino faciunt, quod ſibi fieri volunt? Inſuper, vt alia tãgamus, cantandum eſt viriliter, non autem remiſsè, languidè, ac muliebriter. Quidam enim remiſsis, & quaſi fractis vocibus cantantes, & balba (iuxta Perſium) de nare locuti, muliebre quiddam ſonantes, grauem cæteris fratribus moleſtiam inferunt. Alij verò, quaſi febre vel morbo graui laborarent, vocibus parcũt, & neſcio quid tenuiter ſubmurmurantes, vix{à ſocijs ſibi vicinis audiuntur. Sed & interdum mẽbra extendunt, frequenter oſcitant, & os, quod pſalmo plenum eſſe deberet, vento implent, qui licet ad potandũ fortes ſint atq; potentes, ad pſallendum tamẽ infirmi ſunt & imbecilles. At verò cũ iſtos (nec iniuria) remiſſos taxamus, quid (precor) de illis dicemus, qui muti ſunt in choro, & clamoſi in colloquio? Muti, inquam, ſunt ac taciti, vt vix ſumma labra mouere, vel cantare videantur. Enimuerò qui vocẽ fraudulenter ſubtrahũt, & alijs cãtãtibus, ſine rationabili cauſa tacent, vel quia indignati cantare nolunt, vel alijs rebus, putà lectioni, ſe tũc occupãt, cũ cauere tenentur, vel demũ languidos aut impotentes ſe ſimulant, cũ tamẽ reuera potẽtes ſint, tales ſuperos offendũt: vtpote quibus ſui debiti penſũ nõ reddũt, ſeipſos quoq; Eccleſiaſticę, cõmuniſque orationis fructibus (qui multi ſunt) miſerè viduant, ſocijs inſuper iniuriã faciũt: quippe qui vocem ſuam ſubtrahentes, eos grauamine indebito afficiunt, & deniq; fures quodãmodo ſunt & latro-

In eos qui vocem à choro ſubtrahunt.

& latrones. Fures, inquam, vtpotè qui debitū labiorum à ſacro furantur officio: latrones verò, quia nihil ſuffragantes eis, quorum bona comedunt, quodāmodo eos, & conſequenter ſeipſos, perimere credūtur. O ergo miſeri monachi, qui vocibus ſine cauſa parcunt, cùm viriliter canendum eſſe, Concilia ac decreta, Sanctorumq; patrum penè omnium dicta ac authoritates iubeant. Sed dicit mihi quiſpiā, cātare fortiter aut ſuauiter nō poſſum. Deinde ſatis eſt per meliora bona (cuiuſmodi ſunt internæ cōtemplationes) vocalē cantū compenſare. Cui ego: Non abs te petit Deus, vt ſupra vires quippiam facias, vt in cantu vel cerebrum, aut venas, ſeu præcordia tibi frangas, ſed vt pro virili pſallas. Non exigit, 3. Reg. 7.
inquam, vt ſuauiter moduleris, ſi tibi rauca, Exod. 25.
diſſona, vel aſinina vox ſit. Siquidem in templo domini erant vaſa aurea, & argentea, & in arca pili caprarum, atque pelles fuiſſe leguntur, & in organis paruæ videntur fiſtulæ, quæ magnoperè non reſonant. Et denique in auibus ſunt quæ nobis ingratè concinunt, cùm tamē omnia Deo grata ſint. Eà propter non te excuſes, ſi vocē extrahis. Canta vt potes, & qui voce chorum iuuare multùm non vales, vel ex paruo internoque cantu opitulari ſatage. Sed ne putes, alijs te modis ſatisfacere poſſe, tu qui cantare aſtrictus es. Falleris enim, ſi ita ſentis. Non enim tibi licet ob alia quæuis (etiam meliora) vocem ſubtrahere. Quandoquidem *melior eſt obedientia, quam victima*, & ingratum quoque 1. Reg. 15.
Deo eſt, quod offertur, eo neglecto quod debetur. Cæterum (ne ſcrupulus te torqueat) ſi quid paruum inter pſallendum omiſſum eſt, non proptereà abs te repetitio faciunda, ſed cū

alijs pergendum tibi potiùs eſt. Intentio enim pia iuuandi Conuentus, hæc paruula ſupplet. Quibus animaduerſis, vides quã indicta ſit monachis viriliter pſallendi neceſſitas. Sed ad reliqua properemus. Ad hæc pſallendum eſt grauiter ac rotundè, non autem pręcipitanter aut lentè, ſeu moroſè. Satis enim exploratum eſt, rebus omnibus modum eſſe adhibendum. Quod & Poëta teſtatur, cùm inquit:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Itaque vt bonus pſallendi modus teneatur, opus eſt extrema quædam vitare, ſcilicet præcipitationem, & lentitatẽ moroſam, quæ graui modo pſallendi aduerſatur. Quæ tamen vitia nonnulli committere ſolent. Sunt enim qui inſtar venatorum feras perſequentium currũt, & quaſi formidantes, ne inteſtina ſupra craticulam comburantur, citiſſimè properant. Sunt è diuerſo, qui tanta lentitudine incedunt, vt ſint teſtudine tardiores. Quam profectò moroſitatem, nimiamque protractionem ſancti Patres ac Doctores paſſim reprobant. Siquidẽ de conſe. di. v. c. Non mediocriter, Hieronymus dicit: hominem rationabiliter dignitatem amittere, qui propter immoderatam atque indiſcretam pſalmorũ vel officiorum decantationem, aut amẽtiæ, aut triſtitiæ notam incurrit. Nunquid (ait) verborum multitudine flecti Deus, vt homo poteſt? Non enim verbis tantùm, ſed corde orãdus eſt Deus. Quapropter melior eſt quinq; Pſalmorum decantatio cum cordis puritate ac ſerenitate, ac ſpirituali hilaritate, quàm totiùs Pſalterij modulatio cum anxietate cordis, atq; triſtitia. Cui
Benedict. aſtipulatus D. Benedictus in Regula, cenſet, in con-

conuentu omninò breuiandam eſſe orationem. Non quòd aliquid ſit ibi detruncādum, ſed vult vt vitetur nimia moroſitas, & grauis ſeruetur rotunditas. His conſentit Guilielmus Pariſienſis in Rhetorica dicens, multos in amentiam, & morbum melancholicum propter orationum prolongationes nimias incidiſſe. His denique accedit Dominus Gerſon, aliíque graues authores, qui tædium vel faſtidium à cultu diuino arcendum eſſe concorditer iubet. Videant igitur qui nimiam protractionem ſectantur. Quibus ſimiles ſint, ſi forſan rogites? Nempè pigris aſellis, qui propterà (ſi rectè cum eis ageretur) acri ſtimulo vrgendi, ac duris flagellis cędēdi eſſent, & ad mediocritatem tenendam optimo iure cogendi. Quid (obſecro) aliud faciunt limaces huiuſmodi, quàm ſuos fratres tædio multo afficere, iuuenes ac ſenes perimere, oleum perdere, cęreos inaniter conſumere, diſtractionibus viam parare (quæ ex mora ſuperflua copioſiùs oriri ſolent) & denique ſtatutis aduerſari ita dicentibus: Pſalmodiam non multùm protrahamus, ſed rotunda & viua voce cantemus: imò verò dominico (quod maius eſt) præcepto iubenti, ne orantes multùm loquantur, hoc eſt, ſuperfluis verbis, ineptoque prolixitatis modo rem neceſſariam petant. Sed aliud ſubnectamus. Ad debitum canendi modum exigi etiam putatur, vt religiosè, ſiue planè, ac ſimpliciter cantetur, non autem inaniter, ſeculariter, aut curioſè: quādoquidem boni Monachi officiū eſt, plangere potiùs, quàm cantare. Igitur fractio inundatioque vocis, geminatio puncti, & alia id genûs, quę potiùs ad curioſitatem, inanemque delectationem attinent, quàm ad religioſum ac ſimplicem cantum,

Guiliel-mus Pariſienſis.

Ioā. Gerſon.

39. prim. an. §. 3.

Ibid. §. 1.

Hierony. tum, prorſus vitanda ſunt. Quod ſacer Hieronymus in regula Sanctimonialiũ admonet, cùm inquit: Sit ſemper moderatus, quietus, ſuauis ſonus in vocibus, vt nulla pompa, nullaq; carnalis delectatio habeat locũ in diuinis præconijs. Sic moroſitas, ſic velocitas teneatur in modo, quod nec faſtidiũ nec impeditio linguæ poſſit oriri. Vides ex Hieronymi dictis quomodo ſimpliciter cantandũ eſt. Sed forſan hoc loco dices: Quo pacto mihi religiosè, ſimpliciterq; nunc pſallendum indicis, qui priùs me alacriter, viriliterque cantare iubebas? Deinde quomodo dicis, me ſuauiter cantare debere, cum meũ officiũ plangentis, quàm cantantis potiùs eſſe dixeris? Nonne ſuauiter ac delectabiliter cantãdum eſt? quomodo ergo ea, quæ delectationem pariunt, exterminas? Tibi reſpõdemus (ne forſan hi te ſcrupuli torqueant vehementiùs) cantûs ſimplicitatem non abigere, ſed ſecùm perpeti alacritatem virilitatemque decentem: verùm curioſitatem, vanitatemque arcere. Quis enim non videt, aliquid viriliter fieri poſſe, & tamẽ curioſitatis, ac noxiæ vanitatis nihil habere? Deinde dicimus, bifariam in cantu ſuauitatem quæri poſſe. Vno quidem modo, inaniter ac carnaliter: Altero verò modo, ſpiritaliter. Si igitur primo modo quiſpiam oblectetur, vtpotè quando ita cantus placet ei ſuauitas, vt de ſenſu verborum ac deuotione compunctioneq; mentis nihil curet, perperàm agit: quomodo canunt, qui potiùs hominibus, quàm Deo placere deſiderant. Sunt enim qui & vocis eleuatione, & cantus ſuauitate humanam duntaxat gloriam aucupantur. Etenim cùm ſoli fratres aſſunt, illi vel obmuteſcunt, vel exiliter canunt. Sin verò ſecularis aliquis (præ-

ſertim

ſertim ſplendidè ornatus) aduenerit, mox vocem leuantes, canentesque ſuauiter, ſupra cæteros audiri geſtiunt. Nonne iſti ſunt ſimiles illis negotiatoribus, quos de templo Dominus eiecit? Nonne, inquam, vendentes iſti videntur, qui cantãdi gratiam nummo vanitatis vendunt? Nonne & ementes, qui vocis modulatione humanam ſibi gloriolam comparare quærunt? Ita planè. Ergo in cantu delectari finaliter, ac potiſſimùm propter ipſam carnalem ſuauitatem, & (quod peius eſt) ob inanem gloriam, noxium eſt. Si verò quis ſpiritaliter oblectari cupit, vt alacriùs Deo laudes concinat, vt tædia (quæ interdum pſallentibus contingunt) alleuet, vt ſeipſum excitet, torporemque arceat, vt in officio diuturniùs perſeuerare valeat (quod ſine oblectatione facere nequiret) vt denique huiuſcemodi oblectamento fortior effectus, fortius quoque atque altius cantare poſſit, quatenus & audientes ad deuotionem excitentur, & de conuentu benè ſentiant, hoc ſanè facere poteſt, quem & nemo carpere audeat, niſi agreſtis, niſi rudis, niſi aſinus ineptus. Itaque ſanè poteſt delectatio & ſuauis ſonus in vocibus queri, modò ſpiritaliter fiat ac temperatè, bonoque fine, & prorſus relegetur pompa omnis, omniſque delectatio carnalis, & curioſa demum inanitas. Non igitur ſuauitas aut delectatio in cantu abſolutè vetita eſt, quemadmodum rudes quidam & agreſtes pro aſinino capite arbitrantur, quos interdum ſi cantantes audias, iuxta Perſianum dictum Arcadica pecora rudere credas, ita parùm ab aſellorum ruditu diſcrepant. Sed hos aſinos & Superis, & mortalibus ingratos, & à doctorum ſententia abhor-

Matt.12.

Spiritalis delectatio in cantu.

abhorrentes, dimittamus, & quod reliquum eſt ſubnectamus. Denique concorditer, ac vnanimiter, quantùm fieri poteſt, pſallendum eſt. Quod faciliter effici poterit, ſi illud obſeruetur fideliter, quod ſtatutis Cartuſianis hoc modo
99. prim. cauetur. Metrum & finem verſus ſimul intone-
a. 3. 4. 5. mus, & ſimul dimittamus. Punctum nullus teneat, ſed citò dimittat. Poſt punctum, bonā pauſam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præſumat, aut poſt alios nimiū trahere, vel punctum tenere. Simul cantemus, ſimul pauſemus, ſemper in auſcultando. Hæc ibi. Vides inter cætera, vt ad debitè pſallendum, ſit quoque auſcultandum. Non enim benè pſallit, niſi qui & voce & auribus cantat. Nec tamen auſcultandum eſt aliquorum more, qui ſemper auditores ſunt, nec quicquam voce depromunt. Hos enim auſcultatores ſiue mutos ſuperiùs reprobauimus. Sed ita voce cantandum putamus, vt etiam auribus pſallendum ſit, hoc eſt, ſociorum cantus (ne diſſonantia vlla reſonet) aduertendus eſt. Adde ad concordiam cantus obſeruandam, opus eſſe fideliter cantare, vt ſcilicet aliud aut aliter cantetur, quàm quod in libro habetur, ſed prorſus tam in verbis, quàm notis, obſeruetur quod ſcriptum eſt. Alioqui dulcis conſonantia ſeruari non poterit, quod tamen Carolus Magnus ſeruari ita volebat, vt deteſtaretur eos, qui diſcordarent, & igne, gladioque perſequeretur, qui aliter, quàm libri haberēt, canere præſumebant. Qua in re non poſſum ſatis eorum incuſare miſeriam ac inertiam, qui peritiā cantandi aſſequi nolunt, & propterea diſcordiam in cantu ſæpè faciunt. Hi profectò non exhortationibus, sed flagellis & pœnis cogendi eſſent.

eſſent. Quod & illis faciundum eſſet, qui pſallendi quidem artem habentes, ſed in vetitum nitentes, cum cæteris in cantu conſentire non curant, ſed interdum ita altè canunt aut ſubmiſsè, vt nullus cum eis fermè pſallere queat: cùm tamen ita moderatè cantio fieri debeat & intonari, vt omnibus congruat, ne ſcilicet baſſa ſit nimis, aut alta ſuprà modum. Quidam verò caudas ineptas faciunt, quibus totam cãtus harmoniam diſſipant, ſicque diapſalma, ſiue interpoſitum in cantando ſilentium impedientes, reſpirationem in medio verſuum fieri non ſinant. Alij denique ſuo capite cantum prorſus dirigere, ſuoque more cantare, & nulli cedere, ſed pertinaciter ſuum ſenſum tractari ac totis viribus tueri volunt. Sed, obſecro, ſi ſuam quiſque fantaſiam ſequi præſumſerit, quomodo ſeruabitur in pſallendo concordia? quomodo vnitas? quomodo dulcis grataque harmonia? Palàm eſt nec exercitum fortiter pugnare poſſe, niſi vnanimiter congrediatur. Nec boues aut equos currum aptè trahere, niſi vno impetu ferantur. Nec demum aliquid operis à multis fieri ſolere, niſi concordi virtute ſimul operentur. Sed diſcordes, turgidi, ſingulareſque monachi hæc minimè curant. Si enim curarent, concorditer ac proinde ſuauiter pſallerent. At verò horum omnium veſaniam fugientes, decenter pſallere curemus. Meminerimus tamen, potius corde, quàm voce eſſe cantandum, cùm voce duntaxat canere parui momenti eſſe putetur. Cæterùm iam ad diluendas obiectiones exercitia Cartuſiana improbantes accedamus.

Voce tantum, & non corde cantare, parui eſſe momẽti.

CAPVT

Capvt III.

Diſſoluuntur obiectiones in principio huius quarti Tractatus adducta. In quarum ſolutione cauda reprobantur: ſex documenta ad legendum apto interſeruntur: quo ad Bibliam excuſantur Cartuſiani: denique iuſtis de cauſis nullam aliam Biblia tranſlationem eſſe recipiendam conſicitur.

IGitur improbationes factas contra exercitia, quæ Cartuſiani in cultu diuino obſeruãt, diſſoluere conantes, fatemur inprimis, quoſdã lentè nimiùm, alios verò tumultuariè ac præcipitanter cantare, alios demùm odioſas caudas facere, ſed paucos eſſe comparatione aliorũ. Maior enim pars ſtatuta ſequitur, quibus huiuſmodi protractiones ac præcipitationes reprobantur. Quibus & nos aſſentientes, hos ineptos modos damnamus, dicentes (vt prædiximus) Eccleſiaſticã cantionẽ modeſtam ac moderatam eſſe debere, non autem præcipitatam ſeu tumultuariam, vel etiã nimis protractã. Sed & caudas moroſas ac nimias deteſtamur, prorſuſq; exterminandos caudatos eſſe putamus. Putabit & meo iudicio, quiſquis diligenter aduertere voluerit, quã iuſtis rationibꝰ ab omni religioſo cœtu profligandæ ſint caudæ. Enimuerò huiuſmodi caudæ protractæ atque moratæ ſatis per Cartuſiana
59. prima cu. 3. ſtatuta interdictæ ſunt. Aut enim omnes cantantes huiuſmodi prolixas caudas faciũt, & ſic pſalmodia multum protrahitur, nec rotundè cantatur, quod ſtatutis aduerſum eſt, aut aliqui duntaxat (quod vſu venit) & ſic ſimul ac concorditer non pſallitur. Non ergo fieri poteſt, vt (ſaluo iure ſtatutorũ) poſſit caudæ obſeruari prolixitas,

cùm

cùm etiam iubeát neminem poſt alios nimium trahere vel punctum tenere. Deinde huiuſmodi prolixiores caudæ Patrũ, doctorumq; omnium (qui de modo pſallendi ſcripſerunt) authoritatibus ac dictis reprobantur, quippè qui voluerũt, moderatam atq; diſcretã pſalmorum, officiorũque decãtationem eſſe, quã proculdubio, nimia caudarum protractio funditus impedit & conturbat, & prolixitatẽ nimiam ac ſuperfluam fouet & nutrit, quã quidem pręceptis diuinis ac humanis, ſanctorumq; Patrũ authoritatibus cõtrariam eſſe docuimus. Porrò hæc inepta caudarũ ſuperfluitas, rectæ rationi aduerſa eſt, quæ iubet omnibus modũ adhibere, cùm virtus in mediocritate quadam conſiſtat. Vt ergo nimia acceleratio rationi diſſona eſt, ita & prolixitas, quam ridiculæ caudæ efficiũt. Ad hæc odioſa hæc caudarum protractio à muſica diſciplina prorſus abhorret, quippe quæ moderatam æqualitatem flagitet. Prima ſiquidẽ rectè canendi præceptio eſt moderata æqualitas, ne imparibus ſpatijs, ac ſonis improportionatis cantus ſubſultet, ſed ſuis modulis proportionetur, quod tamen non fit, vbi caudarum prolixitas obſeruatur. Inſuper hæc ineptia prorſus diapſalma, ſeu interpoſitum pſallendo ſilentium confundit, funditusque de medio tollit, quod tamen, partim ob reſpirationem, partim verò propter cantus venuſtatem atq; harmoniam à patribus introductũ eſt. Poſtmodum nulla vel ratione, vel authoritate fulciri poteſt hæc caudarum ſuperfluitas. Qui igitur eam obſeruant, ſingulares ſunt, ac pręſumptuoſi ſuperbiq; reputandi, quippè qui ſuum iudicium præferre audeant, tantis patribus eam reprobantibus. Denique nihil penitus boni parit hęc caudarum

Ibid. ſ.

Ca. præced.

Diapſalma quid, & cur introductũ.

darum obſeruantia, ſed è diuerſo mala plurima parit. Parit ſiquidem ſcandalum audiétibus ſpe-ctantibusq́; extraneis, quos mirum non eſt propterea ſcandalizari, cùm audiant propter huiuſmodi caudas ſuauem cantus harmoniam diſſipari. Parit & tædium, moleſtiam, ac faſtidium, cæteris decenter ac rotundè pſallentibus, vt cõſtat. Si enim caudæ veſtium nimis prolixæ ſoleant pulueres concitare, oculiſque nocere, nonne & caudæ in officio diuino nimium prolixæ, etiam mentis oculis officere ſolent? Ita profectò. Nam propterea ſuſcitantur rixæ, contentiones, odia, rancòres, diſcordiæ. Parit inſuper ſanctis angelis aſtantibus, quandam (vt ita dixerim) triſtiam atque nauſeam. vtpotè qui videant, laudes diuinas ita miſerè propterea decantari. Parit denique dœmonibus lætitiam & tripudium. quippè quibus grata eſt in cantu diſſonantia, ex qua ſcilicet ſolent innumera detrimenta contingere. Quibus animaduerſis, videre eſt, quàm fugienda ſit nimia caudarũ prolixitas, quam & probi Cartuſiani deteſtantur, tantum abeſt, vt propterea Cartuſiana exercitia iuſtè capere queas. Iam verò ad alteram obiectionem, quæ de modo prenunciandi agebat, reſpondeamus, dicamuſque inprimis, quendam pronuntiandi modum in nõnullis dictionibus obſeruandum per Cartuſiana ſtatuta indici. Verùm qui diligenter luſtrauerit, comperiet linguæ Latinæ aduerſum non eſſe. Quod vt breuiter oſtendamus, peculia-
5.p.no.25. riter afferamus ea, quæ ipſis in ſtatutis ſuper hoc habentur. Dicunt enim ſtatuta ipſa, dictiones ſequentes per x remiſſum proferri debere: Exigo, exhibeo, exaro, exacuo, exhilaro, exacerbo, eximo, exardeſco, exaſcio, exacero, exautoro,

exen-

exentero,exhalo, exaſpero,exancoro, exartuo, exagito,exaggero,exoſſo,exubero, exoro,exonero,exopto, exhaurio, exuro, exorior, exinanio, exhortor, examen, hexametrum, examuſſim,exordium,exæquo,hexaplois, exæſtuo, exanimis,exactio,eximius,exactor,exiguus,exundo,exoſus,& exantlo. Deinde vocabula ſequentia, quamuis per vnicum ſ ſcribantur, per duplex debere pronunciari: Deſolor,deſigno,deſiſto,reſiſto, reſaluto, reſurgo, deſæuio, deſeruio, deſudo, præſentio, deſicco, reſartio: Mathuſale, Melchiſedech, Melchiſue, deſueſco, proſequor,& reſulto. Denique has dictiones, natium, litium, vectium, & abſynthium per t ſcribi ſonarique debere. En Grammatica Cartuſianorum,quæ à communis Grammatices regulis nihil abhorrens habere videtur. Præter verò ſtatutorum cenſuram proferũtur vocabula quædam,de quibus ſcilicet in eis nihil cautum eſt, ſed vſu quodam ita dicuntur. In quibus ſi forſan à communibus linguæ Latinæ præceptis aliquãdo abhorretur,nõn tamen proptereà carpendus eſt ipſe Cartuſianorũ vſus, quòd videlicet ab alijs multis paſſim ita obſeruetur. Quod enim de (aio) ſpeciatim calumniatus es, nihil officit. Siquidem bona pars eorum,qui ſe Latinos profitentur, aio,& aiunt triſſyllaba faciunt. De caſia verò,qui rectè ſentiunt,per vnicum ſ ſcribentes,per duplex proferunt. De euge verò,pignoris, & Simonis, quid dicam neſcio: diſſyllabum enim eſt Euge. Pignoris à doctis viris reprobatur, & Simonis media producta proferri debere,ars ipſa flagitat. Vnde & Laurentius Valla in de Donatione Cõſtantini taxat eos,qui mediam correptam faciunt. At verò non continuò

Ibid.26. *Ibid.27.* *Aio.* *Euge.* *Pignoris.* *Symonis.*

Vv deſti-

deſtituẽdum putamus vſum aſſuetum, nec à quoquam in conuentu ſecũ, quàm vſus habet, factitandum eſſe: vbi enim aliud Priſciani, aliud religionis habet regula, Priſciani inſtitutis prętermiſſis, obſeruantiæ regulari audiendũ eſt. Quod & Patrẽ Clareuallenſem dulcẽ Spiritus S. fiſtulã olim feciſſe dicunt, qui neſcio à quo imperito reprehenſus, & iuſſus vt lapidem media producta proferret, ſtatim obediuit. Qua in re videntur neſcio qui ſcioli grauiter inſimulandi, qui ſi interdum à correctore minùs rectè emẽdentur, incandeſcunt, obſiſtunt, altercantur, deſpiciunt. Deberent enim cũ Bernardo reprehenſori, quãuis aberranti, obedire, aut certè dulciter humiliterque ipſum errantem admonere. Sed ad inſtitutum redeuntes, dicamus, propter errata huiuſmodi, aliaq; id genus exercitia Cartuſiana non eſſe leuiter aut temerè vellicanda. Primùm quidem, quòd nõ ſoli hæc faciant. Deinde ꝙ pauca ſunt apud eos, & penè nulla, quæ à communibus præceptis exorbitent. Deniq; quòd vitia potiùs vitę q̃ linguę, & errata morum quam verborum latiùs à religioſis conſideranda ſunt, nec ita curanda, quæ in ſermone minus latinè dicũtur. Eade re Monachi non ſunt deſpiciendi, qui probã vitam agentes, ſed imperitam linguam habẽtes, barbariſmum vel ſolœciſmũ interdum cõmittunt. Vt enim Auguſt. inquit (quod & diſt. 38. c. Quamuis, refertur) licèt per ignorantiã Grãmaticæ artis aliquid vitioſum proferant Epiſcopi, vel Presbyteri, non tamen ſunt à ſcholaſticis deſpiciendi, quia morum vitia magis quàm verborum ſunt præcauenda. Et capitulo ſequenti ait: Sedulò monendi ſunt ſcholaſtici, vt humilitatem induti, Chriſtiana diſcant non cõtemnere, quos

Obediẽtia S. Bern.

Morũ potius quàm verborũ vitia præcauenda.

Auguſt.

re, quos cognouerint morum vitia magis, quàm verborum deuirare. Et infrà dicit, præponendas eſſe verbis ſententias, vt præponitur animus corpori. Si igitur nec deſpiciendi, nec irridendi ſunt antiſtites aut Eccleſiaſticorum miniſtri, cum barbariſmis vel ſolęciſmis Deum inuocantes, vel eadem verba quæ proferunt non intelligentes, ad quos tamen ſpectat ſufficiẽtem peritiam habere: quomodo (precor) Cartuſiani, propterea vel paruipendẽdi, vel exercitia corũ conuelli iuſtè poſſent? Non ſanè poſſent. Nec tamen propter hæc quiſpiam putet, ſcienter errare ſe licitè poſſe, vel etiam palàm & in conuentu errata huiuſmodi toleranda eſſe. Sunt enim, pro Auguſtini ſententia, vitia hæc verborũ corrigẽda. At verò ſi quis per inaduertentiam, vel ignorantiam aberret, nõ propterea deſpiciendus, ſed patienter tolerandus eſt, &, vt poſtea caueat, admonendus. Sunt (fateor) quidã maternæ linguæ vitio imbuti, quibus non ſatis eſt quòd ineptè proferant & indecenter, ſed alios quoque, qui benè proferre nôrunt, ad ſuam corruptelam ſectandam impellere conantur. Hi ſanè nec venia digni ſunt, nec tolerantia, ſed dura potiùs increpatione. Ineptum ſiquidem eſt, natalis ſoli errores, ineptoſq; modos nõ ſolùm fouere, ſed etiã cęteros ad eos ſectandos importunè adigere velle. Sed de his ſatis. Vides in ſumma, propter verborum errata, ſi admitterentur, Cartuſiana exercitia conuellenda non eſſe. Itaque ad aliam obiectionem, quæ modum legendi carpebat, accedamus, tangentes breuiter, quæ ad decentẽ legendi modum exiguntur, ſimulque oſtendentes, ea omnia decenter à Cartuſianis obſeruari ſolere. Inprimis ad decentem legendi

modum exigitur, lectorem ipſum ſufficientem legédi peritiam induſtriamq; habere. Ait enim Magiſter Sententiarum, de lectoribus agés: Qui ad hunc gradum prouehitur, literarum ſcientia debet eſſe inſtructus, vt ſenſum verborum intelligat, vim accentuum ſciat, diſtinctè legat, ne confuſione prolationis, intellectũ auditoribus auferat. Attendat quid indicatiuè, quid interrogatiuè legendum ſit, vbi ſit in oratione facienda diſtinctio. Hæc enim malè ſeruata, intellectũ turbant, & alios ad riſum prouocant. Auribus & cordi debet conſulere vox lectoris. Hæc Magiſter. Ex quibus planè vides, quæ ad lectoris officium pertineant. Quæ miſeri quidam lectores ita parùm curant, vt miſerabiliter pronuntiantes, ac ineptè legentes, quoſdam ad luctum & lamentationem compellant. At Cartuſiani ſtudent legendi officium decenter exercere. Cùm enim nouitij ſunt, diligenter à ſuo præceptore imbuuntur ad debitè legendum. Deinde ad debitum legendi modum, opus eſt, libros probè caſtigatos, fideles, authenticoſque habere. Non enim apta dignaque lectio eſſe poteſt, ſi quid legatur vel apocryphum, vel mendoſum. Eapropter ſacri Patres iamdudum ſub graui pœna conſtituerunt, nihil apocryphum, nihilque non probatum in ſacris officijs admittendum. Hinc Gelaſius Papa (quod diſtinct. 15. ca. Sancta Romana. habetur) multa Apocrypha numerauit, eaque reijcienda cenſuit, per hoc inſinuans, officia Eccleſiaſtica, electiſſima probatiſſimaq; eſſe debere. Quod & ſacer Hieronymus probè monuit, cum inquit: Caueas omnia apocrypha, & eorũ duntaxat tractatus lege, quorũ fides nota eſt, & pietas indubitata. Cui aſtipulatus D. Bene-

4. Sent. 24.

Gelaſius Papa.

Hierony.

nedi-

nedictus, iuſſit in regula nihil legēdum in vigilijs, niſi codices diuinæ authoritatis, & expoſitiones à nominatiſſimis, Catholicisq́; Patribus factas. Cui Bernardus non diſſentiens, quadā Epiſtola deſcribit, qualia eſſe debeant, quæ in communē Eccleſiæ audientiam venire debeant. Vtique (vt ait) nō nouella, ſed certa authētica, & antiqua, quæ & Eccleſiā ædificent, & Eccleſiaſticā redoleant grauitatē. Quòd ſi noua audire liber, & cauſa requirat, ea recipienda (ait) cenſuerim, quæ cordibus audientiū quò gratiora, cò vtiliora reddant, & eloquij dignitas pariter, & authoris, quorum ſenſa indubitata reſplendeāt veritatem, ſonent iuſtitiā, humilitatem ſuadeant, doceant veram æquitatē. Quæ etiā lumen veritatis mētibus pariant, formā moribus, crucem vitijs, affectibus deuotionem, ſenſibus diſciplinā. Itaq; apocrypha, dubia, & mendoſa ſunt ab Eccleſiaſtica lectura prorſus releganda. Quod & Cartuſiani fecerūt faciuntq; iugiter. Siquidem nullos admittunt libros, niſi authēticos atq; probatos, vtpotè Bibliā, quam integrè ſingulis annis in cōuentu perlegunt. Similiter doctores Eccleſiaſticos, aliosq́; paſſim receptos ac probatos, quos & correctos habere, & in ſua integritate ſemper conſeruare iubētur. Nulli enim de his omnibus, quæ ad diuinum officiū pertinent, ſine generalis Capituli conſilio, demere aliquid, vel addi tione ſeu alteratione aliqua licet immutare, ſed nec emendare quidem conceſſum eſt, niſi cum exemplaribus emendatis. Quòd ſi iudicio Prioris, & Monachorū diſcretorū error aliquis manifeſtus, ſeu aliquid quod mendoſum, vel emendatione dignum apparuerit, per Priorem prouidendum eſt. Vides igitur tantam curā eſſe Cartuſia-

Benedictus.

Bernard.

Quales libros legāt & admittant Cartuſiani.

3. ſecund. part. an. §. 1.

Ibid. 4.

Ibid. 6.

 tuſia-

tuſianis de libris authenticis habendis, conſeruandiſque, vt apocrypha, dubia, falſa, mendoſaque volumina prorſus neſciāt. Sed cęptum proſequamur, dicentes inſuper ad modum legendi opportunum exigi, vt legēda præuideantur. Vix enim probè legere poterit, qui lecturam ipſam antea non præuiderit. Hinc ſanctorum Patrum Canonibus olim conſtitutū fuerat, vt nemo in Eccleſia legeret, niſi priùs ab Archidiacono, vel *Concilium Toletanū.* Epiſcopo auſcultatus. Etenim vt Cōcilium Toletanum iuſſit (quod refertur extra, de Officio Archiadiaconi. c. Officium) Archidiaconus omne Eccleſiaſticū officiū præuidendo Lectiones, aut Reſponſoria in matrice Eccleſia dare debet & auſcultare, intantùm vt nullus Euangeliū, aut Epiſtolam, Reſpōſoria, vel quamlibet in Eccleſia lectionem legat vel cantet, donec auſcultetur ab ipſo. Quod ſanè Cartuſiani, quātum ad ipſos pertinet, diligenter obſeruare cōſueuerunt. Etenim recordationē faciunt, quoties in duodecim lectionū feſtis in Eccleſia legendum eſt. In qua ſinguli recordantes, hoc eſt, lectionem in Eccleſia dicendam præuidentes atque legētes, à Priore vel Præſidente auſcultantur. Hinc (fateor) recordationis conſuetudinē nonnulli ſuperfluam atque inutilem arbitrati ſunt. Verùm ſi profunda mente volutârint, hunc morem à ſacris emanaſſe Concilijs, ſanctiſq; Patribus, & multā proinde reuerentiam ſacris officijs prouenire, non putabunt huiuſmodi recordationem eſſe inanē, præſertim cùm hoc exemplo doceātur, qui alia ſunt in conuentu lecturi, quantam diligentiam in præuidēdis Legendis debeant adhibere. Qui igitur negligentes ſunt, planè magna ſunt criminatione digniſſimi. Eſtò eruditi ſint, aut etiam
ſcioli

ſcioli ſibi videantur. Nam Tullium, Quintilianum, aliosque viros eloquentiſſimos legimus, antequàm in publico perorarent, ſe priuatim inprimis exercitaſſe. Porrò vt reliqua tangamus, ad debitum legendi modum opus eſt, vt lector aptè pronuntiet. Eſt enim pronunciatio, debita geſtûs & vocis ad legendum, vel dicendum moderatio. Non enim voce duntaxat, ſed etiam geſtu fit pronunciatio. Quæ ſi decenter fiat, tantam vim ac dignitatem habet, vt quæ parua ac parùm culta ſunt, magna ſplendidaque efficere ſoleat: & è diuerſo abſque ea, terſa facundaque oratio, inſipida ac ruſtica eſſe videatur. Prima igitur ac præcipua bono lectori cura de apta pronunciatione eſſe debet. At quoniam in geſtu & voce eam conſtare diximus, eam ob rem opus eſt, vt apti geſtus in legendo obſeruentur. Itaque cùm ad lectorium, ſeu analopium tempeſtiuè, vt decet, ventum fuerit, decentia geſtus inprimis tenẽda eſt, vt ſcilicet ſit grauis modeſtuſque vultus, manus immobiles, cõpoſitiq; pedes. Deindè cùm benedictio petenda, atq; incipienda fuerit lectio, non manibus tenenda lucerna, non folia voluenda, non aſpicienda lacunaria, non vagis oculis luſtranda omnia, nõ facies aut barba perfricanda. Denique in lectura ipſa non frequenter oſcitandum, nec tuſſi nimia, vel ſputis crebris, aut emunctione, ſeu indecoro labrorum motu lectio deturpanda, nec deniq; alia vlla geſtus indecentia admittenda eſt, ſed membra omnia compoſitè ac decenter continenda ſunt. Quod ſtatutis Cartuſianis, quantum religio è pronunciationi ſufficit (vt de oratoria declamatione taceam) prudenter cautum eſt, quibus monachi monentur oculos ſemper & vbique, ma-

Pronunciatio.

37 prim. an. §. 11. 12 14.

ximè in Eccleſia, tenere, manus ſimul iūctas habere, tibias ac pedes debitè continere, non autē nimis extendere, diuaricare, vel etiam cancellare. Quantùm verò ad pronuntiationem vocis ſpectat, operæpretium eſt, diſtinctè, apertè ſiue intelligibiliter, moderatè, & æqualiter, ac dulciter cantare. Diſtinctè quidem, vt ſingulis literis ſuò ſono, ſuaque quantitate pronuntiatis, debita pauſa fiat. Fiat & accentus ſenſui conformis, ſeu correſpondens, & punctatim legantur omnia. Alioqui prolationis confuſio (vt ſæpiſſimè aſſolet) ſenſum auditoribus auferet. Legendum quoque apertè ac intelligibiliter, non autem lingua balbutiente, naſo reſonāte, aut cōfuſo murmure, ne fructus lectionis vel obſcuritate, vel ambiguitate prorſus euaneſcat. Moderatè inſuper, ſiue cum modo, ne ſcilicet altè ſuprà modū, vel baſsè nimis incipiatur, neve lentiùs aut acceleratiùs, vel etiam ſuprà vires in progreſſu cantetur, ſed pro loci commoditate, auditorumque multitudine ac diſtantia, & demum legentis capacitate modus ſeruetur. Quòd ſi fortè cantando vox ipſa (quod multis vſu venit) eleuetur, vel etiam deprimatur, erit (facta aliqua pauſa) decenter ac moderatè, alio tono proferendum, obſeruādumque, ne ſonis immoderatis poſtmodùm vox deprimatur, vel eleuetur nimiùm, ſed mediocritas in voce ſeruetur, vt nec altior ſit nimis ac ſonora, nec è diuerſo ſuprà modum remiſſa aut ſubmiſſa. Eſt igitur moderatè, & æqualiter pronuntiandum, vt nec ſubmiſſa voce ac depreſſa dicantur alta, nec è diuerſo altè dicantur ſubmiſſa, ſed moderatè, æqualiter & appoſitè dicenda omnia, & ſententijs adæquanda pronunciatio, pro rerum ac perſona-

ſonarum conditione,& ſenſuum varia qualitate. Denique ſuauiter ſemper pronuntiandũ eſt, quò ad eius fieri poterit. Siquidẽ pronũtiatio ipſa nec agreſtis eſſe debet, nec rudis, nec acerba, ſeu acutis exclamationibus violenta, quæ lectoris pectus lædat, vocem corrumpat, & auditorũ aures obtundat, ſed ſuauis ac dulcis, & cum quadam grauitate ſonora, quæ auditores alliciat, afficiatque. Sed hactenus de apta pronuntiatione tam geſtûs quàm vocis dicta ſufficiant. Iam verò cætera, quæ ad decentem legendi modum exiguntur, ſubijciamus, quæ ſunt, vt correctè & deuotè legatur. Correctè, inquam, ſiue caſtigatè, vt (ſecundum Hieronymum) ob colliſiones, & hiatus, ac barbariſmos, ad riſum non prouocentur angelici ſpiritus. Non prouocentur, inquam, audientes homines, dæmoneſque. Vitanda igitur eſt incorrectura in prolatione literarum. Vt ſcilicet vna pro alia non proferatur in quantitate ſyllabarum, in mala accentuatione dictionum, in combinatione orationum incongrua, & demum in omiſſione eorum, quæ in libro continentur, vel in additione aliorum quæ ibi non habentur. Sunt enim, qui interdũ vocabula quædam proferunt loco eorum, quæ in libro habentur, quod vel ex inaduertẽtia, vel cerebri turbatione, ſeu phãtaſiæ agitatione cõtingere poteſt. Sed vt finem his imponamus, ad decenter legendum operæpretium eſt (vt diximus) deuotè, & affectuosè legere, quatenus & auditoris intellectus inſtituatur, & affectus inflammetur: quæ duo ſunt finis Eccleſiaſticæ lectionis. Non enim lector inanem gloriam legẽdo, ſed compunctionem ſui alieniqúe cordis ac deuotionem quęrere debet. Quomodo enim a- *Lectionis Eccleſiaſticæ finis.*

lios accendere poterit, niſi ex affectu deuotæ compunctionis legerit? Vt ergo ſummatim omnia colligantur, lector Eccleſiaſticus peritiam ſufficiētē habere debet, debet & correctos authēticosq; libros habere, debet inſuper legenda præuidere, debet etiā aptā pronunciationē tam geſtu, quàm voce tenere, debet quoq; caſtigatè ſeu correctè legere, & demum deuotè & affectualiter omnia facere. Quæ ſex generalia benè legendi inſtrumenta qui præſtare non poterit, à lectura (ſi fieri poteſt) abſtinere debet. Siquidē pater Benedictus in regula, cantare aut legere non permiſit, niſi eos, qui officium ipsū implere ſufficerent, nec cēſuit quoq; per ordinē legēdum eſſe, ſed eos duntaxat legere voluit, qui ędificare poſsēt audiētes. At quoniā apud multos inſtitutū eſt, vt per ordinē in Refectorio legatur ea de re, qui ineptitudine vocis, vel ſenectutis, aut alijs incommodis aptè legere non poſſunt, lecturā alteri (quod fieri ſolet) commendare habent. Sed & ſi penitus ad hoc ſupportarētur, rectiùs gratiuſq; agi videretur. Quæ prædicta cùm apud Cartuſianos pro viribus obſeruentur, non eſt (mi Oblocutor) cur exercitia Cartuſiana propter legēdi modum iuſtè arguere poſſis. Quod autem in calce taxare voluiſti Cartuſianos, quòd vocabula quædā in libris ſuis præſertim in Biblia habeāt ac legant, quæ à cōmuni ritu exorbitent: reſpōdemus inprimis, Cartuſianos ipſos nullos habere libros Eccleſiaſticos, cum quibus ſcilicet diuina celebrātur officia, niſi à correctis, authenticiſq; exemplaribus, ac vetuſtiſſimis Eccleſijs deſumptos atque trāſcriptos, quos ita integros, incorruptoſque hactenus ſeruauerunt, vt nulli vnquam licuerit quicquam eis vel adde-

Benedict.

addere, vel demere, vel corrigere, vel mutare. Qui enim contra præſumpſerunt, vbi reſcitum eſt, graues ſemper pœnas dederunt. Itaque nihil habẽt in Biblia, alijsve libris Eccleſiaſticis Cartuſiani, quod mendoſum ſit aut erroneũ, quemadmodum profitebitur, qui diligenter aduertere voluerit. Adde quòd ſi error quiſpiam (quod abſit) illis in libris cõperiretur, non ſibi, ſed potiùs eis, à quibus exemplaria acceperunt, vitio dandũ eſſet. Creduntur enim Cartuſiani ipſi ab illa vetuſtiſſima Lugdunenſi Eccleſia Primate Galliarum exemplaria deſumpſiſſe, quibus propterea magis imputandum foret. Reſpondemus inſuper, propter paucula quędã vocabula (ſi forſan illis in libris offenderentur) à communi vſu exorbitantia, nõ eſſe libros ipſos propterea carpendos, aut falſitatis arguendos, modo nulla fiat propterea in ſenſu variatio, ſed ſenſus cõmunis tùm literalis, tùm myſticus integrè perſeueret. Videre enim eſt, Doctores ſanctos ſacras literas citantes, paſſim diuerſis vti verbis, eundem tamen ſenſum habentibus. Quanquam meo iudicio rectiùs foret, ſi cum eodem ſenſu, eadẽ quoque verba in omnib9 Biblijs penitus eſſent. Hoc enim eſſet à ſacrarum literarum hæſitatione remotius, minoremque apparentiam calumniandi haberent veritatis aduerſarij, qui ſacras literas interdum vellicare non verentur. Reſpondemus denique, Cartuſianos fide ſtabiles, maiorumque traditionibus fixè adhærentes, nõ velle aliam Bibliam, ſiue ſacrarum literarum tranſlationem admittere, quàm eam, qua paſſim vtitur Eccleſia, cuius ſe filios profitentur. Non enim ita mobiles eſſe conſueuerunt, vt ad omnẽ nouitatis auram, inſtar quorundam leuiſſimo-

rum

rum hominum noua ſemper deſiderantium, concitentur. Itaque ſacra volumina tot ſeculis omnium auribus inculcata, & à grauiſſimis, peritiſſimiſque viris acceptata, & demum in publicis conuentibus comprobata, immobiliter ſectari prorſus eis certum eſt, reiectis omnibus alijs, quæ ab Eccleſia probata non ſunt. Sed nec nouam traductionem vel recepturi ſunt, vel probaturi, idque iuſtis de cauſis. Inprimis quidem, quod illa, qua vtũtur, certiſſima ſit, & ſufficientiſſima. Deinde quòd aliæ ſi fierent, ſuperuacaneæ prorſus ac inutiles forent. Poſtremò quòd etiam pericula, detrimentaq; multa proinde ſequerẽtur. Quòd enim ea trãſlatio, qua paſſim vtuntur Cartuſiani, ſequentes Eccleſiam, ſit certiſſima prorſuſque ſufficiens, nullus planè fidelis hæſitat. Quod nihilominus ſic confirmari poteſt. Aut enim continet in omnibus ſine hæſitatione atque errore ſenſum Spirituſſancti, aut non. Si ſecundum dederis, prorſus hæreticum, vel ſciolum haud dubiè teipſum oſtendes. Qui enim vel partem ſacræ ſcripturæ minimam putat falſam, dubiam, aut ſuſpectam eſſe, haud dubiè & de tota itidem dicat atque ſentiat, conſequens eſt. Siquidẽ Biblia (quòd paſſim à theologis dicitur) copulatiua propoſitio eſt. At verò, qui partem copulatiuæ falſam dubitat, aut ſuſpectâ habet, totam habeat neceſſe eſt. Hinc diuus Auguſt. perpulchrè de ſacris literis agens, & ad diuinum Hieroymum ſcribens, percelebrem, notatuque digniſſimam ſententiã protulit, quæ & diſtinctione nona refertur in hunc modum. Si ad ſcripturas ſacras admiſſa fuerint vel officioſa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? quæ tandem de ſcripturis illis ſententia
Auguſt.
profe-

proferetur? cuius pondere contentioſæ falſitatis obteretur improbitas? Igitur ſi partē ſacræ ſcripturæ falſam putas, hæreticum te comprobas. Sin verò primum dederis, habetur propoſitum. Deinde vel Biblia ipſa, qua vtitur Eccleſia, fundamentaliter complectitur ea omnia, quæ ad dirigendam Eccleſiam, animarumque ſalutem ſufficiunt, vel non. Si primum dixeris, eam ſufficientiſſimam aſſeris. Si ſecundum, iniuriam Deo planè facis: quippè qui dicis, cum ſuæ ſponſæ non ſatis conſuluiſſe, ſeu non ſatis ſolida dediſſe fundamenta in his, quibus ad ſalutem conſequendam opus eſt, eaque de re pluris æſtimas, ac facis ſynagogam Moyſi, quàm Eccleſiā ipſam. Dicis forſan, ſacras literas & certas, & ſufficientes eſſe, ſi decenter traditæ eſſent: at Bibliā (qua paſſim vtitur Eccleſia) non ſatis dignè trāſlatam tibi videri. Ergo ne putas, Bibliam totam, qua paſſim Latina vtitur Eccleſia, vel erroneam, vel falſam, vel ſuſpectam eſſe? Si hoc cenſes, inſanum hæreticum te eſſe non dubites. Siquidem Biblia ipſa à ſacris Concilijs iampridem recepta atque probata eſt. At verò ſacra Concilia in huiuſmodi rebus hallucinari non poſſunt. Qui aliter ſentit, planè deſipit. Quòd ſi Cócilia errare in hoc nō potuerūt, quomodo putas, totā Eccleſiā errare potuiſſe? Deinde ſi translationē, quam dicis vulgatā, indecenter factā aſſeris: aut te ſententiæ mouēt, aut verba, hoc eſt, vel putas aliquid erroris eſſe in ſenſibus, vel in verbis. Si de ſenſibus hæſitas, te hæreticū profiteris, iniuriáq; Deo facis, quem aſſeris ſuæ Eccleſiæ veram Scripturā hactenùs non dediſſe. Si de verbis agas, vtpotè quia non eleganter facta eſt, vel non ita appoſitè expreſſi ſunt ſenſus, vt decebat: te ineptum, temera-

Vulgatā Bibliæ trāſlationem rectā eſſe.

Biblia ſacra quare humili ſtylo conſcripta. merariũ,ac ſciolum oſtendis .Nonne ſacra Scriptura ſuam phraſim, ſuumq; idioma habet, quo à cęteris ſcripturis diſcrepat? Nõne de induſtria voluit præcipuus author Bibliæ Spiritusſanctus humili ſtylo per humiles Prophetas, humileſq; Apoſtolos ac Euangeliſtas conſcribi, & per humiles prædicatores per totum orbem, non artem in ſublimitate ſermonis diuulgari? Ita ſanè, ne ſcilicet putaret ſtulta præſumptio carnis, per humanã eloquentiã, carnaléq; ſapientiã, fidem Catholicam plantari vel potuiſſe, vel debuiſſe. Ne etiã ea, quæ alta ſunt & glorioſa apud hominum genus, Deo grata eſſe putarentur. Ne ipſa quoq; Biblia (ſi oratorio ſtylo confecta foret) à paucis intelligeretur, paucisq; proficeret, cũ tamẽ ita proportionata omnib⁹ eſſe debeat, vt nõ ſolùm Oratoribus, ſed etiam alijs quoq; hominum generibus prodeſſe poſſit. Ne demum putarent homines, in ſacris literis quærendam eſſe voluptatẽ aurium, cùm diuinæ veritatis ſuauitas, ſalutariſque mentis oblectatio illic potiùs quærenda ſit, cui frequentiſſimè impedimento eſt pruritus aurium, eloquẽtiaq; verborũ. Quas rationes à grauiſſimis viris partim traditas ſi cõſideraſſes, nunquã putaſſes, humanam eloquentiam in ſacris literis vel quęrendã, vel admittendam. Vt enim Chriſtiana religio Diſcipulos humiles, ita & literas humili ſtylo cõfectas poſtulat. Adde cũ, pro Auguſtini ſententia, duplex ſit eloquẽtia, vna diuina, quæ in ſententiarũ grauitate conſiſtit: altera humana, quæ in põpa, cultuque verborũ verſatur: primam ſacræ literæ ſibi vendicantes, alteram dedita opera recuſant. Cur ergò ſacras literas vel deſpicis, vel reſpuis propter humilem ſtylum verborũ? Non ſapis quæ

Dei

Dei ſunt, ſed carnalis es totus. Adde quòd ſacri Doctores funditùs Bibliã noſtrã probarũt, ſuis diuinis ac eruditis interpretationibus eam illuſtrantes, quorum veſtigia linquere, inſanire eſt. At dicis, Hieronymum aliquoties tranſlationẽ noſtrã vellicare. Reſpõderi poteſt inprimis, nũquam Hieronymum Bibliã noſtram vellicaſſe. Quòd ſi in ſcriptis, quę ei tribuuntur, huiuſmodi reprehenſio reperiatur: vel ſcripta illa eius nõ eſſe, aut certè ab alijs in ſugillationem ſacrę Scripturæ ea addita inſertaque fuiſſe. Quod & aliquando in aliorum doctorum libris factitatũ fuiſſe, viri docti arbitrantur. Quæ reſponſio ſi tibi forſan abſurda videatur, nõ tamẽ ita intolerabilis eſt, ſicut pręſumptio tua, qua communẽ Bibliæ translationem carpere nõ vereris. Deinde reſpondemus, Hieronymum non abſolutè carpere, ſed opinatiuè dũtaxat, ſeu pro opinione ſua oſtẽdere voluiſſe, nonnullis in locis, quo pacto expreſſius atq; aptiùs Biblia noſtra, quantum ad verba pertinet, aliter traduci potuiſſet. At verò nũquam ſenſum vellicauit, nec vſpiam dixit aliquid in illa falſum, temerarium, aut ſuſpectum eſſe. Si enim hoc putaſſet, nunquam tã accuratè ac diligenter eam explanaſſet. Deinde dicimus: ſi Hieronymus, vel alius quiuis probatus author eam conuelleret, cum quidem reuerenter excuſandum eſſe, & pro humana fragilitate ita ſenſiſſe. Sed propterea non ei eſſe adhærendum, cùm nulli doctori, quantumuis ſancto, contra communem Eccleſiæ authoritatem credendum ſit, ſed omnia doctorum ſenſa ei cedere debeant. Nam, vt inquit Auguſtinus in Epiſtola ad Fortunatum (& habetur diſtinct. 11.) Neque quorumlibet diſputationes

Doctorib' S. contra Eccleſiæ authoritatem nõ credẽdum. Auguſt.

quam-

quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum veluti ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis nõ liceat, ſalua honorificẽtia quæ illis debetur hominib', aliquid in eorũ ſcripturis improbare, atque reſpuere, ſi fortè inueniremus, quòd aliter ſenſerint, quã veritas habeat. Et Epiſtola ad Vincentium: Noli frater, contra diuina tam multa, tam præclara, tam indubitata teſtimonia colligere velle calumnias ex Epiſcoporum ſcriptis: & quæ ſequũtur. Ex quib' luculenter conſtat, calumniam adiunctam nihil prorſus ſuffragari. Porrò ſi dubiam aſſeris tranſlationem, quam dicis vulgatam, eam apocrypham reddis, turpique nota ſanctam Dei Eccleſiam inuris, atque infamas, dicens eam pro literis (& quidem præcipuis, ac fidei baſibus) apo-
Apocriphũ quid. cryphis vti. Id enim apocryphum eſt, non ſolũ quod certo caret authore, ſed & quod dubium atq; ſuſpectum eſt. Sed & Eccleſiam deceptricem fateri habes, quæ Bibliam tradidit, eamque certam, fidelem, atque authenticam aſſeruit. Si enim aliter res habet, quã aſſeruit, nonne deceptrix planè reputanda eſt? O quanta diſcrimina perniciofus error affert? Verũ ergo eſt illud A-
Ariſtot. riſtotelis dictum: Vno inconueniẽti dato, multa contingũt. Deniq; ſi certam, fidelẽ, atq; indubiã Bibliæ trãſlationẽ Eccleſia nõ habet, dubio procul nunquam habitura putatur. Si enim aliqua recenter faciunda eſſet, recurrendũ igitur ad Hebræos pro veteri, & ad Græcos pro nouo inſtrumẽto foret. At verò talis recurſus hoc tẽpore penit' nihil prodeſſet. Siquidẽ peruerſi obſtinatiq; Iudæi in odiũ Chriſtianiſmi S. literas corruperũt, in ijs præſertim locis, quib' & aperta de Chriſto teſtimonia habebantur, & ipſorũ
cæci-

cęcitas validiùs, ac luculentiùs confundebatur. Itidē Græci ipſi antiquati ſchiſmatici, & in antiquato ſchiſmate conſtituti, per hoc hæretici cenſentur, vt habetur in Extrauaganti Clementis quarti, quæ incipit: Ad certitudinē præſētiū. Quomodo igitur apud hos vel illos, ſacras literas prorſus certas atq; indubias te inuenire poſſe putabis? Nonne iam tibi planè ridiculus ineptusq; videris, qui putas, tantam de Iudæis obſtinatis, Græcisq; mendacibus Deum curam habuiſſe, vt eis ſacras literas hactenus certas atque integras conſeruarit, & è diuerſo fideles, humileſq; Latinos ita neglexiſſe, vt veram, fidelēque Bibliam necdum eis contulerit? O temeritatem abſurdiſſimam. Quomodo Latini fideles eſſe poterunt, ſi fidelem Scripturam non habeant? Denique ſi pro cultu linguæ, ſi pro cura corporis, ſi demum pro alijs huius vitæ neceſſitatibus authores certos fideleſque habeamus, qui per tot ſecula durauerunt, & ad nos integri peruenerunt, nonne obſecro inſanum erit dicere, pro fide, pro moribus, pro ſalute animarum nullam nos fidelem atque indubiam ſcripturam habere, nec aliquid huiuſmodi ad nos hactenus perueniſſe? Hæc ſanè dementia non rationibus, ſed duris verberibus, atque flagellis cohibenda eſt. Quibus animaduerſis, palam eſt, ſi aliæ fierent, translationes, eas inutiles, ſuperfluaſque fore. Quòd & aliundè conficitur. Nulli enim rei conducerent, quòd ſcilicet eis fides certa non tribueretur. Nam vt præclarè Auguſt. ait: Euāgelio non crederem, niſi Eccleſiæ cogeret authoritas. Itaque antequam per Eccleſiam probarentur huiuſmodi nouæ traductiones, authenticæ non eſſent. Sed quomodo (precor) Eccleſia eas probaret,

Attendāt noui dogmatiſtæ.

Nouæ Bibliæ trāslationes inutiles.

Auguſt.

baret, cum certa ſit, certam tranſlationem ſe habere? Deinde nullus quantumuis doctus huiuſmodi tra̅ſlationi aptus putatur, niſi diuinit[9] electus ſit. Non enim (vt in cæteris ſcripturis aſſolet) humana du̅taxat induſtria, fieri poteſt indubia fideliſq; penitus tranſlatio. Siquide̅, vt Hieronymus in Epiſtola ad Paulinu̅ ait: Lex ſpiritalis eſt, & reuelatione opus eſt, vt intelligatur. Et paulò poſt: Quanti hodie puta̅t ſe noſſe literas, tenent ſignatum libru̅, nec aperire poſſent, niſi ille reſerauerit, qui habet clauem Dauid, *qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Cùm igitur debeant, quo ſpiritu ſcripti ſunt à principio ſacri libri, eodem transferri, ſi fideliter atque indubiè traduci debeant, nullus proinde aptus creditur, niſi cælitus delectus. Sed quis tam arrogans tamque delirus eſt, vt putet ſe vel diuinitus electu̅ ad hoc idoneu̅ eſſe, & illa̅ ſeruare poſſe forma̅ contextumq; verborum, ex quo no̅ ſolùm literalis ſenſus fideliter accipi, ſed & ſenſus myſtici fundari poſſint. Quod tame̅ factita̅dum eſt in tranſlatione, qua̅ amplexatur Eccleſia ſancta. Interdum enim ex ipſa verboru̅ cohærentia ſenſus aliquis myſticus elicitur, quæ ſi abſtuleris, ſenſum quoq; illu̅ ſuſtuliſti. Porrò ad quod vtiles eſſent huiuſmodi nouæ tranſlationes? Non enim vel ad confutandum erroré, vel ad confirmandam veritatem. Diceretur enim, (nec iniuria quidem) tranſlationem illam certa̅ non eſſe. Nec ad erudiendum quoque populum, vel ad colendum Deum. Putaſne mutabimus officia Eccleſiaſtica, & nouellis tranſlationibus in diuino obſequio ſtatim vtemur? Nec deniq; ad cognoſcendam plenè veritate̅, quandoquide̅ illis præſertim cultis tranſlationibus potius obtene-

Hieron.

Apoc. 3.

tenebraretur, ac confunderetur, quã iuuaretur veritas ipſe, cũ exacta eloquẽtia, & à paucis capi, & clarè veritatis ipſius diſcutioni officeret. Adde per doctores authẽticos ſacrã ſcripturam vſq; adeo diligẽter diſcuſſam explanatamq; fuiſſe, vt non ſit nouellis traductionibus opus. Deniq; nõ modò ſuperuacaneæ, ſed periculoſæ eſſent huiuſmodi trãſlationes, quãdoquidẽ per eas via aperiretur erroribus, cõtentiones ſuſcitarentur, hæreſes ſurgerẽt, & demum vacillãs ac ſuſpecta ſacrarũ literarũ efficeretur authoritas. Aut enim diſſentirẽt nouellę trãſlationes à cõmuni traductione, aut nõ. Si primũ cõtingeret, & fides nouellis illis interpretationibus tribueretur, dubio procul omnia redderẽtur ſuſpecta, ac proinde periculoſa. Si verò nõ diſſonarent, cur obſecro fierent? Adde quòd deficiente ſacrarũ literarũ certitudine atque intellectu, Catholica fides peſſum itura eſt, quemadmodum viri doctiſſimi ſenſerunt. At verò tanta trãſlationum varietas tanto detrimento pręambulem, exordiumq; paritura putatur. Non igitur ſine cauſa periculoſa cenſetur. Denique ſi licenter talia moliri fas eſſet, profectò nec modus, nec finis vnquã trãſlationibus adhiberetur, in immẽſum abiret progreſſus, quo nihil ineptius abſurdiusq; fieri poteſt. At forſan dicis, Auguſtinũ non improbaſſe huiuſmodi traductionũ varietatem, quæ & multis grata quoq; eſſe dicitur. Sed diſtingue tempora, & concordabis dicta. Eo enim tempore, quo loquebatur Auguſtinus, nõ ita, vt nunc, explanatæ ab authẽticis, probatisq; doctoribus ſacræ literæ erant, quã de re varietas tũ vilis eſſe poterat, vt ſcilicet ex mutua collatione veritas magis pateſceret, & quod in vna ſubobſcurè dice-

Nouas trãſlationes periculoſas eſſe.

cebatur,per aliā ea in parte clariorē acciperetur.
Curioſitas temporū iſtorum. Quod autem talia multis grata ferantur, non mirum omninò eſt. Tanta enim eſt hominum huius temporis leuitas atq; curioſitas, vt inſtar
Act. 17. Græcorum vetuſtorum,ſemper vel audire, vel dicere aliquid noui geſtiant.Adde nunquam ſeculum fluxiſſe,in quo nouæ inſaniæ ſubortæ nō
Matt. 18. ſint.Neceſſe eſt enim,pro Chriſti ſententia,ſcā-
1.Cor. 11. dala oriri,cuius & Apoſtolus Paulus, hæreſes eſſe oportere ait. Quarum quidem veſaniarum (præſertim quando laxant habenas, & voluptarium aliquid indulgent) fautores multos atque ſectatores ſemper fuiſſe, dubium non eſt. Verùm vt hæc omnia temeritatum inuenta leuiter admittuntur,ita breui corruere ſolent. Sed iam nimis ab inſtituto digreſſi ſumus, ea de re pedem referentes, cœptumque proſequentes, agamus de cęremonijs Cartuſianis,primùm generatim de his,quæ tùm in officio Miſſæ,tum in alio cultu diuino obſeruantur: Deinde de his, quæ peculiariter in Miſſa ſeruari ſolent.

CAPVT IV.

Quibuſdam prælibatis,probatur multifariam,cærimonias non eſſe deſpiciendas. Deinde ſubiungitur peculiariter,cur Cartuſiani ſe proſternant,cur terram oſculentur,cur venias cupiant,cur inclinationes faciant,cur preces diebus feſtis dicant,cur denique ſingulares cæremonias obſeruent.

Oblocvtor.

De veſtris igitur cæremonijs agere cupiēs, nihil habeo quod primum rectiùs dicere queam,quàm id ipſum quod Paulus olim
Act. 17. Atheniēſibus dixit:*Per omnia*(inquit) *ſuperſtitioſos*

ſos vos video. Addo tamen, deinde & ineptos, & ſingulares. Superſtitioſos quidem, quòd neſcio quibuſdam cæremoniolis ſupra modum abundetis. Ineptos verò, quòd ſimiaticos aſininoſque geſtus faciatis, qui vel ſeuero nimiùm Craſſo (quem alij nunquam, alij ſemel duntaxat riſiſſe ferunt) riſum excutere poſſent. Singulares denique, quòd alios, quàm vſus communis habet ritus, teneatis. Cur, quæſo trita veſtigia non tenetis? Verùm vt peculiariùs res agatur, cur (precor) in terram frequenter ad aliena poſteriora vos proſternitis? An ne vos caducus morbus agitat? Puto ſi fouea vobis proxima foret, in eam vos tunc ageretis. Cur oſcula quædã facitis, hoc eſt, vt verbis veſtris agam, cur venias ſumitis & ſordibus ora contaminatis? Cur caput dorſumque totum in morem aſelli repandi inclinatis? Cur demum quaſdam faſtidioſas preculas ſingulis horis canonicis, diebus præſertim feſtis, iugiter decantatis? Hæc nõ faceretis, ſi diſcretę deuotionis, ſynceræq; religionis formã haberetis exploratam. PE. Has quęſtiũculas planè iniurias diſſoluturi, primùm de cæremonijs generatim agendum putamus. Deinde quænam ſit cauſa atque ratio ceremoniarum, quas ipſi faciunt Cartuſiani. His enim diſcuſſis, nullus relinquetur in hac parte hæſitationi locus. Primũ aggrediẽtes, altiuſq; repetẽtes, dicamus, hominẽ ipſum à ſummo rerum omnium opifice Deo conditum ei cultũ latriæ (qui ſummus eſt) in ſupremi Dominij recognitionem exhibere debere. Ratio enim naturalis dictat cenſetq; rei cuilibet neceſſariæ tempus aliquod deputandum eſſe. Vt igitur ſomno, corporaliq; refectioni, alijsq; id genus corporalibus neceſſitatibus nonnũquã pro

ratione incũbendũ eſt, ita & ſpiritali refectioni. Quæ ſanè res efficitur, dũ diuinis vacatur. Adde quòd ei honor atq; obſequium exhibẽdum eſt, qui condidit, conditũq; cõſeruat, fouet atq; gubernat, demũ in quo eſt ſumma maieſtas ſupremaq; excellẽtia. At verò De⁹ ipſe eſt, qui hominẽ cũ vniuerſo toto creauit, creatũq; conſeruat, gubernat, ac ſummã excellentiã habet, ea de re nõ iniuria ſummo cultu ab homine eſt venerandus. Venerãdus, inquã, nõ ex parte duntaxat, ſed etiã ex omnib⁹ quæ ab ipſo Deo habet. Cũ igitur homo duplicẽ à Deo ſubſtãtiã (ex qua cõpactus eſt) acceperit, quarũ quidẽ vna interior eſt, quæ mens ſiue anima vocatur, altera verò exterior, quæ corpus nuncupatur, ratio flagitat, vt ex vtraq; parte, & conſequẽter ex omnibus viribus

Duplex cultus. Deo pẽdat obſequium, & duplicẽ ei cultum exhibeat, interiorẽ ſcilicet, & exteriorẽ. *Interior.* Interiorẽ quidẽ per fidẽ, ſpẽ, & charitatẽ. Vt enim Auguſtinus in Enchiridio Capite tertio ait: Deus co-

Exterior. litur fide, ſpe, & charitate. Exteriorem verò, qui debet interiori reſpõdere, per obſequia geſtuſq; corporis, vt ſunt inclinationes, proſtrationes; cantus, laudes, & cætera id genus. At quoniam alia multa tribuit Deus homini, ex quib⁹ cõflatus nõ eſt, ſed ei cohærẽt, iuuantq; ſuapte natura, vt ſunt extraria bona, quæ fortunæ dicuntur, eam ob rem debet interdum aliquid Deo ex his tribuere, non quidem propter indigentiam, ſed in beneficiorum acceptorum recognitionẽ. Recognitionẽ, inquam, creationis, conſeruationis, gubernationis, & ſupremæ maieſtatis. Verùm enimuerò cùm religioſus (qui Dei cõtemplatione fluxa fortunæ bona deſtituit) non poſſit in hac parte vllũ reipſa præſtare obſequiũ, ſupereſt,

eſt,vt Deo mente, corporeq; famuletur, & cum Pſalmiſta dicat: *Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius*. Et iterum: *Cor meũ & caro mea exultauerũt in Deũ viuũ*. Mẽte aũt Deũ colit,quãdo debitã dilectionẽ,internãque reuerentiã mẽtis exhibet.Corpore autẽ, cũ vel ore,vel geſtu, alijsq; exercitijs corporalibus cultũ obſequiũq; impendit.Cultus enim corporalis bifariã dignè exhiberi Deo poteſt,ſcil.ore, cum laudibus diuinis vacatur, officiumque diuinum perſoluitur: Et geſtu quoq; alijſque corporalibus exercitijs, quibus etiam Deo cultûs exhibetur. Ipſius autem exterioris cultûs ac obſequij corporalis pars bona ſũt ipſę ceremoniæ,quæ pij ac religioſi quidã geſtus ſunt,ac cultus interioris proteſtationes ad religionẽ pertinẽtes,de quibus agere inſtituimus. Igitur dicamus,cœremonias nec deſpiciendas, nec ridendas,quod prophani tamen ac inepti (quibus ſacra omnia ludibrio ſunt) facere ſolent,ſed iuſtis de cauſis obſeruãdas eſſe. Inprimis quidẽ, quòd omnis lex naturalis,diuina,& humana,cæremonias probet eaſque pro loco & tempore exhibẽdas cenſet.Siquidem (vt tetigimus) naturalis lex ſiue ratio dictat, diuinis obſequijs tùm mente, tùm corpore aliquãdo vacãdũ,ac proinde quoſdam pios corporis geſtus,hos vel illos exhibendos eſſe.Lex quoque diuina peculiariùs hoc ipſum decernens,cæremonias probat, easque varijs in locis obſeruari mandat. Nam vt inde aliquid tangatur,Geneſis 26 loquens Dominus ad Iſaac,inter cætera ſic ait: *Daboq; poſteris tuis vniuerſas regiones has, & benedicentur in ſemine tuo gentes terræ, eò quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta, & mandata mea & cæ-*

Pſal. 102.
Pſal. 83.
Corporalis cultus.
Gen. 26.

voluit, cùm ait cap. 21. *Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratã, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Et ſequitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis.* Apoc. 21.
Cùm igitur ſuperi cæremonias (vt diximus) probent, deſpiciendæ ab hominibus non ſunt. Porrò cæremoniæ ipſæ non reijciendæ, ſed amplexandæ ſunt, quòd Sanctos lectitemus eas obſeruaſſe. Siquidem genu flexo nonnunquàm adoraſſe feruntur, quod Chriſtus Dominus Luc. 22. feciſſe legitur. Itidem S. Stephanus eius exẽplo Actuum 7. Similiter Paulus cum ſuis diſcipulis Actuum 20. Qui & ad Epheſios tertio dicit: *Flecto genua mea ad Deum Patrem.* Et ad Philippenſes ſecundo: *In nomine IESV omne genu flectatur.* Interdum verò leguntur oraſſe in terram procidentes ac procumbentes. Hoc Chriſtus Dominus Matth. 14. feciſſe narratur. Hoc & Petrus eius Apoſtolus, Luc. 5. Et Ioannes condiſcipulus eius, Apoc. 1. & 4. Quòd ſi de veteri inſtrumento aliquid deſideres, vide Ioſuæ 9. Iudith 4. & 9. Tob. 12. & ita alijs multis in locis. Aliquando quoque Sancti ipſi inclinati ſeu curuati adoraſſe creduntur, quod Gen. 24. Exod. 12. Hier. 8. alijsque ſacræ Scripturæ locis affatim comperies. Sic Magdalena ſe inclinans Angelos videre meruit, Ioan. 20. Aliquotiens verò erecti ac ſtantes ſupplicaſſe leguntur. Sic Protomartyr Stephanus ſtans, vidit *Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei,* Actuum 7. Sed & Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem in medio Diſcipulorum ſuorum ſteтиſſe refertur, vt etiam ſtando nos orare poſſe oſtenderet. Hinc à die reſurrectionis vſque ad feſtũ ſanctæ Trinitatis in Miſſa ſtantes oramus. Adde ſanctam Dei Eccleſiam in hoc vitæ ſtadio

Cæremoniarum vſus & in nouo & vetere Teſtamẽto.

Actor. 7.

 mili-

militantem cæremonias obſeruare, vt vel in hoc matrem in cœleſti regno triumphantem æmuletur. Quibus animaduerſis, non ſunt paruipendendæ cæremoniæ, cùm & viri ſanctiſſimi eas obſeruârint, & tam diligenter ſacræ literæ meminerint, & Eccleſia quoque obſeruare ſoleat.

Cærimonias deuotionis eſſe excitatiuas. Sed cauſas adhuc alias depromamus. Cęremonię ipſæ ſunt deuotionis excitatiuæ. Quæ enim in ſolo pectore conſiſtunt, nō ſolent tantam habere vehementiam, ſicut ea, quæ ſe foras produnt. Itaque deuotio interior (quæ ſi ſola fuerint, frequenter exilis ac torpens eſt) per geſtus cęremoniarum accendi augeriq; ſolet. Ad hæc cæremoniæ ſunt religionis conſeruatiuæ. Vt enim vinū protinus efflueret, ſi frangerentur circuli, ita & defœcatum religionis vinum fluere ſolet, quādo cęremoniæ ipſæ, quæ velut quidam circuli ſunt, ſpiritalia dolia, ſcilicet inſtituta regularia, continentes) diſſipantur, minimeque obſeruantur. Quid obſecro tot religiões ante hac eneruauit, niſi partim defectus contemptusq; cæremoniarum? Quid plura? Cæremoniæ ipſę ſatisfactiuæ ſunt & ſolutiuæ. Satisfactiuæ quidem, quòd per huiuſmodi exercitia laborioſa ſoleant piacula deleri. Solutiuæ quoque, quòd debitum Deo pēſum, quod ei de corpore noſtro tribuere debemus, per eas exoluamus. Deniq; cæremoniæ ſunt fidei ac religionis (quæ intus latet) proteſtatiuæ. Siquidem fidē ipſam (qua corde credimus *Rom. 10.* ad iuſtitiam, & ore profitemur ad ſalutem) per geſtus cæremonailes exprimimus, ad Dei laudē noſtræque fidei ac religionis declarationem, & tandem ſalutem perennem conſequendam. Qui igitur cæremonias deſpiciunt, prophani, iniurijque ac irreligioſi cenſendi ſunt. In quibus eſt qui-

quidam inſanus adoleſcens, qui in Epiſtola quadam de tribus votis ad quendam fratrē Cartuſienſem, cæremoniolas vocans, eas hominū ingenio cōfictas eſſe, Paulum eas damnaſſe, ad animū nihil facere, & demùm contemnendas eſſe aſſerit. At ijs in verbis tria mendacia protulit, cùm cæremonias exhibere generatim, ſit de dictamine legis naturæ, ac lege diuina, vt ſuprà docuimus. Deindè nullibi Paulus eas damnauit ſed è diuerſo probauit, docēs quomodo viri capite nudato, mulieres verò tecto orare debeant, & cætera id genus. Tametſi legis veteris cæremonialia dicit Paulus ipſe, tēpore gratię minimè obſeruanda, non tamen cæremonias Chriſtianas damnat, ſed ſolicitè & accuratè eas cenſet fieri debere. Porrò dicere eas nihil ad animum facere, eſt contra experiētiam pugnare, quæ docet, deuotionem, piamq; affectionem per eas augeri. Denique eas contemnere contemnēdasque aſſerere, hominis eſt impij, irreligioſi, prophani, iniurij, ac de Chriſtiana religione, pietateque Eccleſiaſtica (quæ cæremonias paſſim in diuino cultu obſeruat) perperàm ſentientis. Hac igitur inſania prophani adoleſcentis contempta, accedamus ad alios, qui & ipſi de cæremonijs malè merentur. In quibus (prô pudor) nonnullos inuenire eſt, qui veſtem gerentes regularem, ſed prophanam mentem habentes, eas deſpiciunt. Sed & tanta eſt quorundam inſania, vt eis ſatis non ſit eas ipſas nihilfacere, aſininasque vocare, niſi & aſini ipſi religioſos deuotos earum obſeruatores derideant. Heu teterrimum genus monachorum. Alios autem offendas, qui non tanta dementia agitantur, vt religioſas cæremonias rideant, verùm eas obſeruare palàm vel negligunt,

1. Cor. 11.

Quas cæremonias Paulus damnat.

gligunt,

gligunt, vel erubeſcunt. Sed attendant, qui huiuſmodi ſunt, illud verbum Chriſti tremẽdum, quod Luc. 9. habetur. *Qui me erubuerit* (inquit) *& meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet in maieſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* At verò cùm eos carpimus (& iuſtè quidem) qui cæremonias ipſas vel ſubſannant, vel deſpiciunt, vel negligunt, vel erubeſcunt, non putamus eos à reprehenſione immunes eſſe, qui in ipſis religioſum, debitumq́ue modum non tenent, cùm tamen rebus omnibus modus adhibendus ſit. Siquidem nonnulli ſuprà modum cæremonioſi ſunt, qui ita profundè caput inclinant, vt genua ſua oſculari velle videantur. Qui & tolerandi forſitan eſſent, ſi cæteros ad eam ſuperſtitionem impellere non contenderent. Quis obſecro, docuit tantam inclinationem faciundam eſſe? Quis vel menſuram, vel regulam huiuſmodi dedit? An quia illi cæremonioſi, ſiue ſuperſtitioſi ita faciunt, etiam cæteris faciundum eſt? Enimuerò ſi ita obſeruãdum vniuerſaliter foret, planè vel baculus, vel aliquid huiuſmodi eis tribui deberet, quo menſuram imponerent, exemplumq́ue darent, ac docerent, quàm profundè omnibus inclinandum eſſet. Sed hæc miſſa faciamus, dicentes modum in omnibus obſeruandum eſſe, quem alij quidem non obſeruãt. Sunt enim, qui à præfatis longè diſſentiẽtes, nullam inclinationem faciunt, quando tamen reuerenter inclinãdum eſt, ſed caput duntaxat mouent, idq́ue adeò puſillum, vt quaſi deridere imagines, vel capitis ſigno ad ſe vocare videantur. Alij denique reperiuntur, qui neſcio quos inſuetos ineptosq́ue geſtus palàm facere non verentur, quibus etiam graues homines ad riſum prouocare, & ſeipſos ridicu-

Luc. 9.

ridiculos facere ſolent. Hęc autem omnia à probo religioſo vitanda ſunt, & fugienda. Nec palam aliquid faciẽdum, quod conſuetum in congregatione non ſit, & reuerentiam modumq́ue debitum tollat. Alioqui vel ſuperſtitioſum, vel glorioſum, ſeu inane, vel ridiculũ reputabitur. Sed iam ſatis de cæremonijs generatim diſſeruimus, nunc peculiariter de his agamus, quæ inter argumentandum propoſitæ ſunt. Inprimis de proſtratione. Qua in re dicimus, Cartuſianos in terram ſe iuſtis de cauſis proſternere ſolere: Prima quidem, vt profundiùs, ac totis viribus Deo ſeruiãt, & plus ei, quàm mortali principi impendi ſolet, reuerentiæ exhibeant. Vident enim, genua coram principibus, etiam ad terram vſq; flecti: ea de re dignum putãt, vt aliquid plus honoris Domino dominorum tribuant. Proinde ad terram ſe deijciunt. Deinde vt non corde tantũ, ſed corpore quoq; ipſo profundiſſimam obſeruent humilitatem, animaduertentes altiſſimum humilitatis profunditate propoſitũ ſe arripuiſſe, eaq́ue de re geſtus humillimos obſeruare ſe debere. Sed & ſe proſternentes, terram ſimul oſculantur, vt priſcorum Patrum veſtigia ſectentur, quos terrã deoſculatos fuiſſe non ignorant. Deinde proſtrati terræ labia figũt, vt ſe terram cineremq́ue eſſe, ac proinde in terram ſe reuerſuros, inſinuent. Inſuper vt ſuperbiam eſſe fugiendam, nullamq; rem, quantumuis abiectam, eſſe ſpernendam, hoc modo oſtendant. Oſtendant, inquam, rebus infimis Dei cõtemplatione humiliter adhærendum, ne contingant eis miſerè, perpetuumq; ſubijci. Denique ſpeciales ob cauſas interdum ſe proſternuut, terramq; oſculantur Cartuſiani, quas cùm de Miſſæ cæremonijs

Singularitatem vitandam.

Gene. 3.

Cap. ſeq.

nijs agetur, tractabimus. Itaq; de venijs agamus, quas in genere duplices eſſe cõperimus, ſ. erroris, & deuotionis. Erroris venias dicimus, quas capimus, cum vel in officio diuino errorem ſiue defectum cõmittimus, vel etiam alios errare facimus: tunc enim veniam ſumimus, hoc eſt, pro admiſſo errore ſupplicantes, formas oſculamur. Deuotionis verò ac reuerentiæ venias nũcupamus, cum non pro erroribus, ſed pro deuotione maiori ac reuerentia quandoq; formas oſculamur, ꝙ quando fieri debeat, noſtris ſtatutis cautum reperitur. Hoc autẽ generatim facimus, vt maiorem reuerentiã exhibeamus, & deuotionẽ magis accendamus, quæ maiori curæ nobis eſſe debet, quando ea, quæ præcipuo honore digna ſunt, in cultu diuino occurrũt, vtpotè dum ſanctam Trinitatem, vel Spiritum S. inuocamus, cũ venerabile Sacramẽtum altaris adoramus, dum virginẽ ſacratiſſimam Mariam ſalutamus, dum alia denique id genus in officio diuino ſe ingerunt. Peculiariter autem venias ore ſumimus, vt venias à ſummis Põtificibus nobis cõceſſas mente capiamus, putà quando in matutinis dicimus, Te ergo quęſumus, vel in Miſſæ præfatione gratias agentes, dignum & iuſtum eſt, reſpõdemus. Sed iam de inclinationibus diſſeramus, quæ in genere bipertitæ videntur. Quædam enim modicæ fiunt, reuerenter tamen, vtputà quando nomen IESVS & MARIA dicitur. Alteræ verò pleniùs exhibentur, dum caput ſcilicet, dorſumque ſimul reuerẽter inclinantur. Quæ cùm non ſolis Cartuſianis, ſed etiam alijs religioſis conueniant, non eſt hic diutius inſiſtendum. Satis ergò ſit dixiſſe, inclinationes huiuſmodi fieri ſolere, vt à religioſis, inſtar boum, ceruice, more

Ca. 36 p. par. an. §. 18. & ſeq. & alibi.

quo-

quoque equorum atque aſellorum, dorſo Domini iugum feratur, eique prorſus obediatur dicenti, *Tollite iugum meum ſuper vos*: & denique vt corpus ipſum curuantes, maiorem Deo reuerentiam exhibeant, cui plus quàm ſeculares ſe deuinctos eſſe meminerũt. Iam verò de precibus, quæ in horis Canonicis dicuntur, ſubnectamus. Qua in re cenſent nonnulli, eas diebus feſtis reticendas eſſe, quòd & illis diebus diuinus cultus ſit prolixior, & potiùs gaudendum, quã mœſtis precibus tunc incumbendum ſit. Proinde multi Theologiæ profeſſores, partim ſeculares, partim regulares in quadã Benedictina domo propterea congregati, cenſuerunt has preces, cum alijs quibuſdam additionibus (quas Pater Benedictus nõ indixit) relegendas eſſe. Verùm vtcũque res habet, Cartuſianis tamen ſecùs agẽdum eſt, quippè qui per regulam ſuam ad preces diebus etiam feſtis dicẽdas obnoxijs ſunt. Quod non temerè fieri videbitur, ſi & iuſtæ cauſæ ad id concitantes voluantur, & modus in eis dicẽdis obſeruetur. Sunt enim qui ita lentè ac faſtidioſè dicunt, vt halitum perdidiſſe videantur, cùm tamen ſubmiſsè ac rotundè dici debeant, nec pauſa debeat in tam breuibus reſponſiunculis fieri. Qui ſanè modus ſi diligenter obſeruetur, nullus iuſtæ reprehenſioni locus ſupereſſet, cùm iuſtis cauſis, vt prælibauimus, Cartuſiani ad id moueantur. Inprimis quidem, vt mente teneant, ſtatum pœnitentialem (quem huiuſmodi preces, ſub lugubri quidem cantu dicendæ, referunt) iugiter ac perſeueranter ſine vllo penitus interuallo tenendum, ac nullo vnquam tempore deſerendum eſſe, quàmdiu vita comes affuerit. Deindè vt intelligant, nullum plenum Matt. 11.

feſtum,

feſtum,nullamque ſolennitatem vndecunq; iucundam in hac calamitoſa vita haberi poſſe, ea de re ad ſupernæ feſtiuitatis gaudia iugiter anhelandum,ſuſpirandumque eſſe. Inſuper vt aſſiduè iuuent miſeros peccatores, qui vſque eò temeritatis ac infęlicitatis progredi ſolent, vt plus vitiorum diebus feſtis, quàm alijs faciant. Qui enim diligenter luſtrare voluerit, inueniet tandem, communem populum pauca diebus profeſtis piacula admittere. At verò vbi ad diem feſtum peruentum eſt, prô dolor, impietatis habenas laxari, licenterq; vitia committi, imò verò quò maiora sũt feſta, eò grauiora flagitia paſſim fieri ſolere, quæ vt arceantur, preces à Cartuſianis porriguntur. Denique ſedula mente volutantes Cartuſiani, grauiores tentationes diebus iſtis, quàm alijs, ab eo qui tentat, ſuſcitari ſolere, quæ non ſolùm malos, ſed etiam bonos viros grauius infeſtant, deuotionem perturbant, reuerentiam impediũt, & demùm ſacros dies violant, contaminantq; turpiter, pro omnibus preces fundunt, vt omnes ſpiritalibus armis protegere, & dierum quoq; ſacrorum honorem pro virili conſeruare queant, ſcientes ea, quæ perperàm diebus illis aguntur, grauiora eſſe. Quibus animaduerſis, liquet quàm rationabiliter Cartuſiani dieb[9] feſtis preces dicant. Liquet, inquam, quàm iuſtis cauſis ſuas cæremonias obſeruent, ac proinde, quàm futiles, mi Oblocutor, obiectiones abs te principio adductę fuerint. At quoniam ipſos Cartuſianos etiam inſimulas, quòd cæremonias quaſdam à communi ritu abhorrẽtes obſeruent: Reſpondemus, Cartuſianos tria cęremoniarum genera obſeruare ſolere, ſcilicet communes, ſpeciales, & peculiares. Sunt enim fide-

In Feſtis maiora committi piacula.

Cæremoniarũ genera tria à Cartuſ. obſeruari.

fideles, religioſi, & Cartuſiani. Inquantùm ergo fideles ſunt, quaſdam communes cum ſecularibus & religioſis cæremonias habent, vt ſunt capitis nudatio, tūſio pectoris, genuum flexio. Inquantum verò religioſi, quaſdam ſpeciales ſibi, cæterisque religioſis duntaxat conuenientes obſeruant, vt eſt capitis, dorſique inclinatio. Inquantum verò Cartuſiani, quaſdam ſibi peculiares vendicant, quemadmodum eſt, in terram ſe palàm proſternere, terram oſculari. Sed cur ita? Nempè vt qui religionem à cæteris diſcretam, eamque arctionem, humilioremque ſectantur, diſcretas quoq; cæremonias habeant, quæ & humiliores ſint & rigidiores. Non igitur temerè hanc humilem cæremoniarum ſingularitatem elegerunt. Sed iam, ſi tibi ita videtur, de cæremonijs quæ in Miſſa obſeruantur à Cartuſianis, agendum eſt.

CAPVT V.

De cæremonijs, quæ à Cartuſianis in Miſſa peculiariter obſeruantur, quarum rationes etiam afferuntur.

Oblocvtor.

PLacet illas aggredi cæremonias, quas vos Cartuſiani in illo venerando Miſſæ officio citra cauſam ac ſuperſtitiosè ſeruatis. Quid enim obſecro, cauſæ eſt, cur celebrantes conuentualiter, ſolo Diacono contenti, nunquam Subdiaconum adhibetis? Quid, inquam, non ante faciem altaris (vt communis mos habet) ſed ad cornu ipſius confeſſionem facitis? Cur inſuper omnes Gloria in excelſis, & Credo in Deum ſimul cantatis? Cur etiam dum dicitis: Et homo factus eſt, in facies veſtras ruentes, ad terram

vos proſternitis? Cur capite velato, dorſoq; inclinato Sanctus canitis? Cur viſa hoſtia, vos ſtatim proſternitis? Cur poſt eleuationem corporis non etiam calicem leuatis, vt videri ab hominibus poſſit? Cur facta conſecratione ſurgentes, caput velatum tenetis? Cur dicto ſemel Agnus Dei, iterum vos in terrã deijcitis? Cur obſecro, ter Agnus Dei continuatim, more communi, non dicitis? Cur demum in fine Miſſæ, nec benedictionem datis, nec aliud quicquam ſubnectitis? Hoc enim vos ſingulares planè conficit. Pet. Multa rogans, multa reſponſa quæris, liuido quidem pectore indigna, ſcitu tamen digniſſima. Ea de re poſtergato liuore, ſeriatim ſigillatimque reſpondere certum eſt. Inprimis ꝙ quæris, cur in Miſſa conuentuali ſubdiaconum non adhibemus: breuiter reſpondemus, ſolum Diaconum pro ſacerdote iuuando prorſus ſufficere, eapropter Subdiaconum non eſſe addendum, à nobis præſertim, qui multam cùm in omnibus, tùm in cultu Diuino humilitatem ſeruare, & ea quæ vel ſuperflua, vel alta ſunt apud homines atq; magnifica, refellere debemus. Deinde quòd interrogas, cur ante faciem altaris, Confiteor non dicimus: Nempè quòd honeſtius putamus, faciem ad eos conuertere, quos confitendo alloquimur, quàm dorſum eis præbere. Deinde quòd aptius ſit, per confeſſionem priùs ſe purgare, & ad rogandum pro alijs ſe inprimis aptum reddere, quàm prima fronte ſe ante faciẽ altaris ſiſtere, quando quidẽ ſacerdos in medio altaris conſtitutus, ſe inter Deum, & populum mediatorẽ ponit. Vt ergo mediator aptus ſit, rectius eſt, vt anteà confeſſionẽ alibi faciat. Inſuper ꝙ ſciſcitaris, cur Gloria in excelſis, & Credo

ſimul

ſimul ab vtroque choro cantentur: dicimus, huius rei duplicem eſſe cauſam, quarum vna ſatis aperta eſt, quòd. ſ. multis in domibus pauci ſint monachi, qui proptereà decenter atq; alacriter pro voto non poſſent alternatim Hymnum tam iucundum cantare. At dices, ſaltem in domibus copiam monachorũ habentibus alternatim cantandum eſſet, dici enim ſatis alacriter tunc poſſet. Reſpondemus vniformitatem vſque adeò Cartuſianis placere, vt vno eodemq; ritu velint cultum diuinũ vbiq; perſolui. Vt ergò alacrius reſonantiusque cantetur, ſimulq; ſeruetur vniformitas, alternatim non cantatur. Altera verò cauſa peculiaris, eſt huiuſmodi. Simul Gloria in excelſis cantatur, vt concentus angelicus referatur, ac innuatur, Angelicos ſpiritus hymnum illum concorditer, natò Domino, ob maiorem lætitiam exprimendam ſimul decantaſſe, Luc. ſecundo, & concorditer quoque in cœleſti gloria cantare ſolere. Credo quoque vnà cantatur, vt intelligatur, Catholicam fidem, quæ in ſymbolo continetur, vnam eſſe, & ab omnibus vnanimiter eſſe tenendam, nec aliquid diuiſionis, vel alterationis in ea admitti debere: deinde vt inſinuetur, ipſum Symbolum ab omnibus Apoſtolis ſimul concorditer confectum fuiſſe. Porrò quòd rogas, cur nos proſternimus, dum dicitur: Et homo factus eſt: tibi dicim9, nõ citra optimã causã peculiariter id effici ſolere. Siquidem animaduertentes idipſum, q tunc canitur, tantæ diuinitatis, tantę admirationis, tantę commoditatis, tanti honoris, tantæque beneuolentiæ eſſe, vt nulla mens cõplecti, nulla lingua conſequi poſſit, cum, pro Auguſtini ſentẽtia, in rebus per tempus ortis non fuit maior gratia, quã

 quòd

quòd Deus fieret homo, & homo Deus: quid aliud, quæſo, melius facerent Cartuſiani, quàm gratias agẽtes, & vices vtcunq; rependentes, ſeipſos in terram funditùs deijcere? Enimuerò deſcenſus ille, quò Dei filius in terram deſcẽdit, illa (inquam) dignatio, qua Deus homo factus eſt, illa demum exinanitio, qua maieſtas ita eſt inclinata, vt acciperet ſerui formam, tam mirabilis, tam dulcis, tam amoroſa, pieque deuotionis excitatiua Cartuſianis eſt, vt non ſolùm proſternere eos faciat, ſed etiam interdum pias lachrymulas excutiat. Neq; verò ſola proſtratione cõtẽti ſunt, ſed & terrã deuotè oſculãtur. At fortè rides, & quæris cur hoc? Nempè vt humiles Chriſto Redemptori gratiæ agantur, ſimulq; in memoriam reuocetur, quẽadmodum Chriſtus terram noſtram de terra virginali ſumere, terramq; diſcurrendo, laborando, ſudando ſacris pedibus calcare, Patrem quoq; cœleſtem orando, genua ſuper eam flectere, toto corpore ſe proſternere, humiliterq; oſculari, pretioſiſſimũ inſuper ſanguinem pro noſtra redemptione in eam fundere, & demum guſtata morte in ea ſepeliri dignatus eſt. Si hæc Chriſtus Dominus fecit, quid eſt prophàne quod rides, cùm me ſeruulum, imô vermiculum talia piè voluentẽ, terram oſculari vides? Cur & ipſe ſimiliter non facis? An os tuum ore totoque corpore Chriſti dignius putas, qui ſuo tactu terram dedignatus non eſt? Sed alia tangamus. Dum Secretę à ſacerdote dicuntur, interim ſuper ſedes noſtras inclinati perſeueramus, vt eo in ſilentio orante, nos quoque ſilentes oremus, & collecta mente humiliatoq; corpore profundiores preces concorditer ad ſacerdotẽ ipſum pro ratione tẽporis

ac of-

ac officij faciamus. Poſt præfationẽ verò, in qua de Angelis mentio fit, Sanctus canentes operto capite ſumus, vt ſ. Angelos ipſos imitemur, à quibus ipſum Sanctus primum habuimus, & eos velata facie ceciniſſe legimus Eſaiæ 6. vbi dicitur, *duabus alis velabant faciem dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Siquidẽ vt dicũt Hebræi referẽte Lyrano, Seraphin duas alas ſupra capita habebãt, quibus caput velabant. Vt hoc igitur ſignificẽt Cartuſiani, capita ſua non alis (quibus carent) ſed caputijs ſuis velant. Tunc quoq; incuruantur ſeu inclinantur Cartuſiani, vt imitentur Seniores vigintiquatuor, de quibus Apocal. 4. habetur, qui cùm ter Sanctus à quatuor animalibus ſenas alas habentibus, cantaretur, procidebant ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſecula ſeculorum. Itaq; vt eos pro virili referant, tunc incuruati laudem Deo concinunt. Simul autem vtrunque tum faciunt ipſi Cartuſiani, hoc eſt, capite operto, & incuruato ſimul corpore Sanctus cantãt, Deumque adorant, vt inſinuent, vtrumque teſtamentum connexum eſſe, ſibique mutuò reſpondere, ac pariter vtriusq; (quãtum religio Chriſtiana flagitat) obſeruatores ſe eſſe. Sed reliqua proſequamur. Ad eleuationem corporis ſacri capita nudamus, ſtatimque facta adoratione proni in terram labimur. Cur autem capita nudemus, nõ eſt magnoperè veſtigandum. Hoc enim communem morẽ ſectantes facimus, vt debitam venerabili Sacramento reuerẽtiam exhibeamus, ſimulque vt illos vigintiquatuor Seniores imitemur, de quibus in Apocalypſi 4. cap. agi diximus, qui poſtquã Sanctus dixiſſent, ac ſedentẽ in throno adoraſſent, mittebant, hoc eſt, deponebant coronas ſuas ante thronũ, dicẽ-

Eſaiæ 6.

Apoc. 4.

tes: Dignus es Domine, & cętera quę ſequuntur. Ita & nos poſtquàm Sanctus diximus, tunc capitia noſtra mittimus extra capita, vt adorãtes dicamus: Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum, vel aliquid eiuſmodi. Poſt eleuationem verò ſacramenti, mox in terram proſternimur, quod inprimis facimus, quòd ſciamus calicem iuſtis de cauſis non ita leuandum, vt videri poſſit, ea de re fruſtrà expectandum nõ putamus. Deindè vt Sanctos imitemur, qui poſtquam Deum vidiſſent, faciem aperiebant, pronique in terram decidebant. Sic enim Abraham viſo Domino, pronus cecidit in faciẽ. Sic Moyſes & Aaron ceciderunt in faciem proni, poſtquàm eis Domin⁹ locutus fuiſſet. Sic & tres diſcipuli viſa transfiguratione Domini in monte Thabor, in facies ſuas ceciderunt. Sic quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores (de quibus diximus, poſtquàm apertus fuiſſet liber, ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & quæ ſequuntur. Vt ergo ſanctos referant Cartuſiani, adorato Domino, viſoque Agno, qui ſub ſacramẽto mirabiliter, veraciterq; latitans, ſpiritalibus oculis videtur, proni in facies ſuas corruunt. Denique hoc ipſum faciunt, vt meliùs ſe colligant, & intimiùs eleuationem Domini noſtri in cruce (quam venerabilis Sacramenti eleuatio, deſignat) contemplentur, contemplanteſque gratias humilius, ac profundius agant.

Gen. 16. Num. 16. Matt. 4. Apoc. 5.

Eleuatio ſacramẽti quid ſignificat.

Cæterùm cur facta conſecratione, calicem altè non leuant Cartuſiani, ratio multifaria aſſignari poteſt. Inprimis quidem, quòd populum non habeant Cartuſiani, cui calicem oſtendere habeant. Quòd ſi dixeris, Conuerſos adeſſe, qui-

quibus oſtendendus eſſet: Reſpondetur, Conuerſos diebus feſtis duntaxat adeſſe, & minùs quoque dignos ſacerdotibus eſſe, eapropter non oportere Sacerdotes ipſos ſuũ ritũ propter eos immutare, quem iuſtis de cauſis obſeruant, quas proſequamur. Altera igitur cauſa non oſtendunt calicem, vt inſinuent, cum eleuatur calix, ſpeciem ſanguinis non videri, ſiquidem ſpecies ſanguinis non videtur, ſed calicis duntaxat. Porrò non leuant calicem altius Cartuſiani, propter periculum effuſionis ſanguinis, quæ ex altiori eleuatione contingere facilè poſſet: quandoquidem inter eos ſunt interdum ſenes tremuli, qui vix citra huiuſmodi periculũ altiùs leuare poſſent. Dicis, iuuenes, hoc ſine periculo facere poſſe. Fateor id quidem, ſed fraternitatis conformitas hoc nõ ſinit. Tanta ſiquidem inter eos vniformitas (fratres enim sũt) vniuerſaliter eſſe debet, vt nihil regulariter à quoquã fieri debeat, quod alijs facere citra periculum non liceat. Adde quòd propter huiuſmodi periculum effuſionis dicitur ceſſaſſe Eccleſia, fideles ſuos ſub vtraque ſpecie cómunicare. Itidem nonnulli mendicantes ferũtur, propter huiuſmodi periculum deuitandum, non debere priuatim calicem niſi vſque ad naſum eleuare. Cur ergo non licebit Cartuſianis, propter huiuſmodi periculum, ab eleuatione calicis altiori abſtinere? Qui enim volunt, ad naſum vſque leuare poſſunt. Inſuper hunc modum obſeruant, vt ſignificent, totum Chriſtum in crucem ſubleuatum fuiſſe, quam erectionem cùm ſatis per hoſtiæ eleuationem exprimant, non videtur opus & calicem leuare. Ad hæc formam huiuſmodi tenent, Cartuſiani, vt ſignificent, totum Chriſtum ſub hoſtia

 (quam

quam leuant) realiter veraciterque contineri, nihilq; pluſ ſub vtraque ſpecie, quàm ſub altera tantum eſſe. Diuerſas quidē ſpecies fatentur, ſed idem prorſus continere non dubitant. Vt igitur hoc ſignificēt, veritatemq; ſacramēti profiteantur, fidem corroborent, ſimpliciores imbuant, & demum adorato Domino ſub hoſtia contento, alia adoratione, niſi forſan mētali, opus non eſſe talem ritum obſeruandum putant. Denique hoc ritu vtuntur, vt doceant, non eſſe neceſſe. Catholicos omnes ſub vtraque ſpecie communicare, quod tamen hæretici nonnulli pertinaciter aſſerere præſumpſerunt, non intelligentes facultatem communicandi ſub vtraque, vel altera tantùm ſpecie, arbitrio Eccleſiæ datam à Chriſto fuiſſe, quæ videns pericula multa faciliter contingere poſſe, ſi laici ſub vtraque ſpecie communicarent, ritum priſtinum deſeruit, tandemque iuſtè cenſuit, ſufficere laicis, ſub ſpecie panis duntaxat ſumere. Sacerdotes verò, qui citra periculum vtroq; modo ſuſcipere queūt, ſub vtraque ſpecie communicare debere, vt ſcilicet totum, quod conſecratum eſt, à ſacerdote ſumatur. Hæc igitur Cartuſiani innuere, & cenſuram, ritumque matris Eccleſię probare, ac demum hæreſes confutare volentes, ſolam hoſtiā, non autem calicem, altiùs ſuis in domibus leuare conſueuerunt. At verò ne forſan vel murmur, aut ſcandalum apud ſeculares hæc ſecretiora myſteria non capiētes, ſuſcitetur, cum extra conuentus ſuos celebrant, communem aliorum ritum in calicis eleuatione, alijsque cæremonijs (ita iubentibus ſtatutis) obſeruant. Quapropter non eſt cur taxari poſſint, quippè qui ritus aliorum non reprobantes, ſed ſuos iuſtis de

1. ter. comp. 58.

cauſis

cauſis approbantes,in eadem fide, charitate, ac deuotione cum cæteris conuenientes, perſeuerant. Adde quòd vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, quòd in his, quæ ad ſalutem neceſſaria non ſunt, vſquequaque curandum non eſt. Sed alia ſubiungamus, dicentes Cartuſianos facta conſecratione ſurgentes, caput operire ſolere, quod inprimis efficiunt, vt aptiùs liberiusque contéplandis dominicæ paſſionis myſterijs (quæ interim à ſacerdote verbis, ſigniſque referuntur) incumbere poſſint. Enimuerò liber aſpectus profundæ meditationi impedimento multo eſſe ſolet. Solet & varias hinc inde leuium cogitationum cauſas afferre. Eam ob rem faciem ſuam (quoad fieri poteſt) velant Cartuſiani, vt profligatis occaſionibus poſſint faciliùs tantis myſterijs vacare, quæ mentem collectam flagitant. Deinde caput tegunt, & faciem (vt ita dixerim) obtenebrant, vt hoc modo repræſentent ea, quæ poſt eleuationem Chriſti in cruce contigerunt. Siquidem *tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram, vſque ad horam nonam, & obſcuratus eſt ſol, & velum templi ſciſſum eſt medium.* Lucæ 23. & multa quoq; alia tum facta fuêre, de quibus Euangeliſtæ meminerunt. Vt igitur tenebras huiuſmodi, aliaq; id genus referant Cartuſiani, & cum ipſis quoq; rebus inſenſibilibus patienti Domino compatiantur, ſe quantum poſſunt velant, &, vt ita dixerim, obtenebrant. Verùm ad alia tranſeuntes, reſpondeamus, cur ſtatim poſt Agnus Dei ſemel dictum, alia non continuò ſubiungant, ſed ſtatim in terram ſe proſternant. Hęc nempe faciũt, vt ſacramentum ipſum deuotius, humiliuſque ſpiritaliter ſuſcipiant, quo tempore ſacerdos vtroque modo, hoc eſt, ſacramentaliter ſpiritali-

Rom. 15.

Matt. 27.

Luc. 23.

terq; recipit. Deinde vt amplioribus laudibus ipſum venerabile ſacramentũ proſequãtur, gratiasque vberiores agant pro immenſis beneficijs, quæ decenter laudantibus ac honorantibus conferri aſſueuerunt. Denique vt quod ſupereſt meditandum de Chriſti paſſione, illud tunc cõtemplari poſſent illi ipſi, quibus gratia huiuſmodi peculiariter datur. Intelligunt enim, omnia dominicæ paſſionis myſteria, quãtum certè fert officij temporiſque breuitas, in re diuina ſiue Miſſa per verba, cruces, veſtes, & ſigna repręſentari. Vt ergo hæc pro virili meditentur, proſtrationes faciunt, illasq; captant cõmoditates. Hęc ſunt igitur, quæ ad proſtrationem tunc faciendã Cartuſianos impellunt. Quod autem quæris cur eam ſtatim poſt primum Agnus Dei faciunt, in prõptu cauſa eſt: quòd ſi differrent, & ter Agnus Dei continuatim decãtarent, tẽpus ad ea quę dicta ſunt nõ ſatis eſſet. maximè cũ ſuſcepto ſacramẽto ſurgere habeãt, ad ea quæ ſuperſunt decãtanda. Itaque prudenter duplex Agnus differunt, vt & tantis miſterijs vacent, & poſtmodum apto tempore (cùm ſcillicet communione ſumpta ſacerdos reliqua proſequitur) decantent. Sed dices, poſſent Cartuſiani ter Agnus continuatim dicere, & poſtmodũ ſe proſternẽtes, huiuſmodi rebus contemplandis, quàmdiu vellẽt, incumbere. Reſpondemus, id decenter fieri nõ poſſe. Inprìmis quidem, quòd iam totũ penè ſuſceptum eſſet à Sacerdote ſacramentum, antequam Agnus ter dictũ foret. Itaque nec ſacerdoti cõmunicanti, nec ſuæ deuotioni ſufficiẽter reſponderent. Deinde celebrantẽ tardare facerẽt, quod vitandum eſt, vbi aliter prouideri poteſt. Denique cauſæ illæ, propter quas duplex Agnus differ-

differtur, locum nō haberent. His igitur de cauſis, nec proſtratio differtur, nec triplex Agnus continuatim dicitur, ſed vno dicto proſternuntur Cartuſiani, & ſurgentes duplex Agnus ſubiūgūt. Subiungunt, inquā, dum Sacerdos alia perficit, quæ ad myſterij conſummationem pertinent, vt ſignificent, conſumpto ſacramento, Agnum Chriſtum nō eſſe conſumptū, ſed veraciter in cœlo regnantē. Quē alloquētes, vt ſui miſereatur, flagitant. Subiungunt, inquam, Agnus, vt inſinuent, eum non ita virtutem ſuam vllis alligaſſe ſacramentis, quin & ſine illis miſereri, peccataque tollere poſſit. Itaque conſummato ſacramento, iuſtis de cauſis Agnus dicunt. Sed quare duplex? Nempe inprimis, vt ritum communem, quoad numerum, ſectantes, trina vice dicant. Deinde bis ab Agno immaculato miſericordiam petūt, vt denotēt, abſolutè maiorem ipſius poteſtatē eſſe, quàm eam, quæ virtute ſacramentorum confertur. Deniq; vt ſignificent Chriſto iam in cœlo regnante (quod ſacramēti conſummatio ſignificat (pluries Agnus dictum fuiſſe, quàm dum in terras diuerſaretur. Videre enim eſt in Apocalypſi, quàm prudenter ipſum Agnus poſt Reſurrectionem Aſcenſionemque Dominicam repetitum ſit, cùm tamen legatur à diuo Ioanne Baptiſta ſemel tantum dictum: *Ioan. 1.* quando ſcilicet adhuc in terris agnus ipſe Chriſtus noſtram operaretur ſalutem. Sed huiuſmodi quæſtiunculis finem imponētes, dicimus Cartuſianos in fine miſſæ pro benedictione faciunda ſe non vertere, quòd nullus aſſit populus, cui benedictionem largiri debeant. Si enim extra conuentus ſuos celebrarent, ritum communem obſeruarent. Itaque non ſunt propterea cōuel-
len-

lendi,quemadmodũ nec vellicandi ſunt, quòd Euangelium. In principio erat verbum, in calce Miſſæ non ſubiungant. Siquidem ipſum in fine nudæ Miſſæ, quam de beata Maria ſinguli ſingũlis noctibus dicunt, addere ſolent. Itaque poſtquàm celebrârunt, non ipſum In principio, ſed aliquam horarum partem dicere ſolent. Quòd aptius eſſe putatur, vtpotè quòd minus tædij à fratribus vnà celebrantibus afferat. Hæc igitur cùm temerè non faciant, nõ ſunt indeuoti proptereà cenſendi. Sed quomodo de indeuotione taxandi eſſent? quippe qui multam, vt diximus, reuerentiam diligentiamque rebus diuinis impendant. Adde quòd impenſiùs ſacramentum altaris venerabile magno iugiter honore proſequuntur, vtpotè qui pallas, indumenta, corporalia, calices, aliaque id genus ſemper mundiſſima habeant. Itidem mundiſſimas, cãdidiſſimaſque hoſtias faciant. Vinum ſi quod habent defæcatiſſimum, in honorem tanti Sacramenti propinant, duos quoque in Miſſis, etiam priuatis (ſi facultas patitur) cæreos accendunt, & denique alia reuerentiæ ac deuotionis præcipuæ ſigna exhibent. Adde, inquam, quòd Deiparam virginem magnis aſſiduiſque obſequijs colunt, cuius horas quotidiè perſoluentes, nudum quoque Miſſæ officium ſingulis noctibus dicunt, commemorationem penè iugiter de ea faciunt, & ſabbatis nihilominus ampliori honore eam proſequuntur. Nec iniuria. Patrona ſiquidem eorũ eſt ac peculiaris adiutrix, quæ & multa eis frequentiſſimè beneficia contuliſſe certò ſcitur. Adde denique, Cartuſianos penè iugiter pro defunctis deuotas preces fundere, & viuos nihilominùs nulla vnquam obliuione delere. Quibus ani-

animaduerſis,temerarius eſſet, qui de indeuotione eos argueret.Sed iam exercitijs ad cultum diuinum(de quo in prima conſtitutionum Cartuſianarum parte agitur)pertinentibus,ſatis diſcuſſis,ad alia Cartuſianorum exercitia ſeu occupationes,quę potiſſimùm aliam ſtatutorum partem concernunt,tandem accedamus. Fateor adhuc multa dici poſſe de his,quæ ad dignam Miſſæ celebrationem, & inprimis ad ſufficientem præparationem exiguntur.Sed quoniam hęc cõmunia non plus Cartuſianos quam alios tangũt, & paſſim à Doctoribus ita tacta ſunt, vt plùs iam deſideretur diligens obſeruantia, quàm ſcientia: eam ob rem(vt diximus) ad alia exercitia tranſeamus.

QVINTVS SECVNDI LIBRI, ET VLTImus Tractatus,in quo de alijs exercitijs,ſiue occupationibus Cartuſianorum agitur, in quibus præcipuè ſunt vota.

CAPVT I.

Summatim propoſitis alijs exercitijs Cartuſianis, & obiectionibus quibuſdam adductis, agitur, cur diuina præcepta Cartuſianis ſtatutis inſerta non ſint. Item quid contineat profeſſio monaſtica,& demum de ipſius profeſſionis partibus,hoc eſt, votis monaſticis,generatim ſubiungitur.

OBLOCVTOR.

QVænam ſint illa reliqua exercitia, quibus ſe Cartuſiani exercent, inprimis ſcire geſtio. I ET.Si illa vel ſummatim vel vbertim tetigero,nunquidnam obmuteſces,aut contentus eris?Minimè quidem. Verùm tibi mos nunc gerendus videtur, ne vel exiguam calumniæ cauſam

ſam in conflictûs fine prætendere queas, ſi tibi ſciſcitanti nihil reſpondero. Itaque, vt quæſtioni tuæ faciam ſatis, ſe exercent Cartuſiani in diuinis præceptis, in votis quæ ſua labia diſtinxerunt, & per ſolẽnẽ profeſſionẽ ſe obſtrinxerunt Domino reddendis, aduerſiſq; impedimentis procul arcendis: ſe, inquam, exercent in ſtatutis ſiue inſtitutionibus regularibus, potiſſimum verò in cellæ ſilentijque cenſura iugiter obſeruanda. Se porrò exercent in labore corporali, vbi opus eſt: denique exercẽtur varijs huius procelloſæ vitæ fluctibus, varijſque tentationibus, quibus repellẽdis nõ minimꝰ labor eſſe putatur. Obl. Apage ſis. Hæc paucula mihi ſatis ſunt. Iá apertas fores video: non eſt proinde cur incaſſum vltrà pulſare habeã. Ingrediar igitur, & aggrediar, & in exercitij; huiuſmodi Cartuſianorum votiuis prorſus improbandis ante omnia meipſum exercebo. Inprimis cùm nullam de præceptis diuinis mentionem faciant Cartuſiana ſtatuta, nonne palam eſt, tuos Cartuſianos nullo iacto fundamẽto ædificare (diuina enim præcepta religioſæ vitæ fundamẽta ſunt) & principale deſerẽtes, acceſſorio inhærere? Nonne iſta primò curanda fuerant? Nonnè de amore Dei & proximi debuerant ſtatuta tua tractare, more ſaltem Benedictinæ Regulæ, quæ multa de lege diuina decerpſit probæ vitæ inſtrumẽta? Deinde profeſſionem ipſam, qua tui ſe Cartuſiani votis obnoxios faciunt, ineptam eſſe, nullo labore conficere poſſum. Siquidẽ de caſtitate, & paupertate nihil meminit, quæ tamẽ eſſentiales votiuæ religionis partes eſſe dicuntur. At contra quædam à religione, communiq; profeſſione peregrina ſcil. ſtabilitatẽ, & morum correctionẽ

ample-

amplectitur. Sed hũc profitendi modũ deſerens, ad vota, quæ religionis vos religioſi vocatis, accedo, quæroq; primùm, cùm priſci religioſi (qui primi monaſticã vitã egerunt) ſua ſponte (nullis vincti religionibus) vixerũt, nec ſe votis aſtrinxerunt, quid eſt, quòd vos tantis oneribus ac periculis temerè exponitis? Si vobis religioſa vita placet, cur eã liberi, & à votis immunes non agitis? Cur vos libertate Chriſtianis data citra cauſam viduatis? quaſi verò in iuramẽtorũ, votorũque emiſſione proba vita cõſiſtat, & religioſus eſſe non poſſit, niſi qui hanc votorum ſarcinam ſuis humeris impoſuerit. O inſanam temeritatẽ tantis ſe periculis temerè obnoxium facere, cũ potius illud vitæ genus amplectendum ſit, quo certius ad Chriſtum peruenitur, cuiuſmodi eſt plana communiſque vita, quæ vota neſcit. Adde quòd nulla ratio ea facere, aut certè ad ea per regularẽ profeſſionem perpetuò aſtringere ſuadet. Siquidem ſtatum religionis periculoſiorẽ faciunt, faciunt & ipſum vitæ genus ad ſcopum attingendum, Chriſtumque ſequendum minùs expeditum atque liberum. Denique nihil ijs votis in Chriſtianiſmo magis proficitur, quàm ſi communis vita teneatur, nec ſtatum meliorem faciunt aut perfectiorem. Siquidem (vt ſpeciatim res tangatur) obedientia par eſt in Religioſis, & alijs Chriſtianis: vtpotè qui diuino iure obediunt parentibus, præceptoribus, ac publicis Magiſtratibus, & rectiùs quidem, quàm religioſi ſuis Abbatibus vel Prioribus. Continentia verò ſiue cælibatus quamuis difficilior ſit ac periculoſior, non tamen coniugio præferri debet, ſed è diuerſo cùm optimum vitæ genus ſit, quo quám expeditiſſimè ad Chriſtum peruenitur, quod

Hæreſis Iouiniana.

quod prudenter deligendum eſt, non autem ſtatim quòd ſplendidiſſimum ſit. Adde quòd neſcitur, vnde profectus ſit cælibatus, imò verò à Paulo diſſuaſus videtur, qui ad Timothæum ſcribens, prædixit aliquos à fide deuios eſſe futuros, qui nubere prohibeant. Quibus verbis, Apoſtolus nihil aliud monet, quàm fore, vt per humanas traditiones, per vota, per cælibatum (quæ ſpeciem pietatis habent) nobis à ſathana illudatur. Itaque inter nouiſſimorum temporũ errores, vulgatum cælibatum numerat Apoſtolus ipſe, quo in Republica Chriſti nullum miſerabilius malum eſt, quo tamen neſcio qui tyrãni ſacerdotia, ſiue ſacrificos ipſos onerarunt, vt prodigioſo luxui via fieret. De paupertatis voto non attinet multa dicere. Palàm eſt enim, nõ Euangelicam eſſe eam, quam vos profitemini, ſed eam, quæ poſt Auguſtini tempora inuenta eſt, ſcil. cùm iam monachi frequentiores eſſent, qui piorũ hominũ beneficentiam grato pectore amplexati ſunt, à quibus cẽſus, agros & redditus acceperunt, vnde viuerẽt. Hæc, inquam, paupertas fictitia eſt, quam vos religioſi ſectamini, non autem euangelica, ſed nec vera dici poteſt. Obſecro, paupertatem vocas, vbi rerũ omniũ abundè ſatis eſt, idq; aliena beneficentia? quin tu magis eorum lauda paupertatem euangelicam, qui donârunt. Eſt enim verè euangelica paupertas nõ in accipiẽdo, ſed in dãdo. Deniq; rectius eſſet, tuis te, quã alienis vti. Quibus animaduerſis, colligitur, vulgatæ religionis vota non tãtoperè prædicanda eſſe, nec monaſticam viuendi rationem eſſe optimam: vtpotè in qua certa ſint & præſentia pericula. Nec cã deniq; cõmuni vitæ (quæ Chriſtianiſmũ profeſſa nullis huiuſmodi votis

1. Tim. 4.

votis obnoxia eſt) præferẽdã eſſe, cùm vtrobiq; par ſit obedientiæ laus. Cælibatus non ſit matrimonio præferẽdus, rectéq; pauperes fiũt, quotquot ſua cũ egenis cõmunia habent, & demum non minus Chriſtianè poſſit extra monaſteria, quàm in eis victitari. Itaque tua, quæ de votis protuliſti exercitia, non fuerunt, vt egregium aliquid, abs te commemoranda. PE. Ergone ita inſanire libet, vt tam fœdè religionis ſtatum laceres? religioſa vota nihili pendas? hæreſes dãnatas inſtaures? & denique contumeliarum plenus omnia perturbes & confundas? Sed hæc interim diſſimulantes, antequam huiuſmodi veſaniæ reſpondeamus, tria ſeriatim prælibanda cenſemus. Primùm, cur Cartuſianis ſtatutis diuina præcepta inſerta non ſint: Deinde cur illum profitendi modum ſuis cultoribus dederint. Denique de ipſis votis, tũ generatim, tùm ſpeciatim agendum. Primum aggredientes breuiter oſtendemus, de præceptis diuinis nullã in Cartuſianis legibus mentionem factam eſſe. Inprimis quòd omnes, antequam profiteantur, illa ſaltem fundamentalia (quæ decalogi præcepta dicuntur) memoriter teneant. Non enim adoleſcentuli, aut pueri, ſed maioris ætatis homines Cartuſianam religionem ingrediũtur. Deinde, quòd illa planè habẽtur ſacris in literis, quas in promptu habent, frequẽtiuſque reuoluunt. Denique, ſi omnia voluiſſent, quæ ad debitè Chriſtianeq; viuẽdũ neceſſaria ſunt, ſuis ſtatutis inſerere, immenſum volumen feciſſent. Si verò partem, erroris cauſam dediſſent. Putaſſẽt enim nonnulli, nihil aliud eſſe requirendũ. Itaque putauerunt ſatiùs eſſe, ad fontem recurrendum, quàm riuulos quoſdam duntaxat deduce-

re. Sed iam de profeſſione votiua ſeu regulari agamus. Qua in re prænotãdum eſt, tria hæc, ſcil. votorum emiſſioné, obligationem eorũ, & res ipſas quę obſeruari promittũtur, latũ inter ſe diſcrimen habere, & vnum ſine alijs eſſe poſſe. Enimuerò nonnunquam vſu venit, vt vota fiant quæ nec aſtringunt, nec re ipſa implentur, vtpotè cùm inuitè, illicitè, ſimulatè, aut prorſus temerè vouetur. Interdum verò ipſum vouentem ligant, ſed nõ reddũtur, vt par eſt, quod in multis regularibus (prò dolor) cernere eſt, qui vota, quæ diſtinxerunt labia ſua, obſeruare non curãt. Veruntamen ſi omnia decenter fiant, tria præfata conſequenter ſe habent. Hoc eſt, diſcretam votorum emiſſionem, obligationemque inde proficiſcentem ſequitur rei promiſſæ adimpletio, quod in probis religioſis contingit, qui profeſſioni ſuæ (per quam votis palam emiſſis ſeipſos obnoxios faciunt) fideliter reſpondent. Adde vocabula ipſa, quæ vota ſignant, interdum pro ipſis votis, aliquando verò pro vinculis, quę ad vota ſequuntur, nonnunquam demum pro rebus ipſis, quæ promittuntur accipi ſolere, quo inſinuari mihi videntur tria illa ſic debere cõnexa eſſe, vt aliud ſine alijs eſſe non debeat. His itaque prænotatis, dicamus ſpeciatim, quantùm ad ipſam monaſticam profeſſionem, ſiue ſolennem votorum emiſſionem pertinet, eam quinque vota præcipua ſeu principalia complecti: ſcilicet obedientiam, continentiam, paupertatem, ſtabilitatem & morum correctionem. Quorum tria prima cuiuslibet votiuæ, ſeu conſiliaris religionis (quam factitiam dicunt) eſſentialia nuncupari ſolent. Duo verò poſtrema monaſticæ propriæ ſubſtantialia ac peculiaria ſunt,

Quæ vota nõ aſtringant.

Profeſſionẽ regularẽ quinque vota cõplecti.

ſunt, ea de re profeſſioni monachali non temerè annectuntur. Itaque monaſtica profeſſio ex prę-fatis quinque votis, hoc eſt, quinque promiſſionibus Deo factis reſultat. Eſt enim votum, pro poſiti ſupererogantis promiſſio Deo facta propter bonum finem, animi deliberatione firmata. At verò inter argumentandum quærebas, cur de caſtitate ac paupertate monaſtica profeſſio expreſſam mentionem non faciat. Non petijſſes, niſi tibi memoriæ fuiſſet curta ſupellex. Nam primo libro de hoc ſatis egimus, cùm de religione tractaremus. Dictum eſt enim, non eſſe opus, illa duo vota in profeſſione exprimere, quòd ſatis intelligantur. Cum enim quiſpiam alicui propoſito ſe aſtringit, omnibus planè ſe obnoxium facit, quæ ad ipſum eſſentialiter pertinent. At ita eſt de votis caſtitatis, & paupertatis, reſpectu ſtatus religioſi. Adde quod illam vouendi formam acceperunt Cartuſiani ab illa Benedictina regula, quæ vtique probatiſſima eſt. At quoniam dici poſſet, obedientiam ipſam quę ad ſtatum quoq; religionis eſſentialiter pertinet, expreſsè cõmemoratam in ipſa profeſſione eſſe, eaq; de re ita de alijs fieri debere, reſpõſum eſt, & nihilominus reſpõſio iterum datur, propter dignitatẽ, propter vniuerſalitatem, propter vtilitatem, & demum propter neceſſitatẽ obediẽtiæ, peculiarem de ea re mentionẽ factam fuiſſe. Siquidem obedientia ipſa inter omnes morales honeſtates ſplendidiſſima eſſe putatur. Itidem & circa omnes aliarum virtutum materias verſari poteſt. Tam quoq; vtilis eſt, vt pro ſtatutorum Cartuſianorum cenſura, ſolo obedientiæ bono omnia nobis profutura ſperemus. Deniq; tã neceſſaria eſt, vt dicat Gregor. Obe-

Votum quid.

2. ſecũda an. 28.

Gregor.

 dien-

dientia ſola eſt,quæ fidei meritum poſſidet, ſi-ne qua quis infidelis eſſe conuincitur, etiam ſi fidem tenere videtur,vt habetur 8. q.1. Sciendũ.Propter has igitur cauſas, & vt ipſius quoq; obedientiæ memoriam iugiter haberent, qui eam profitentur, vtpotè cuius materia aſſiduè ſe offert,peculiariter de ea in profeſſione mẽtio fit. De duobus autem poſtremis votis, ſcilicet ſtabilitate,& morum correctione ideo mentio facta eſt,quòd propriè monaſtica ſunt. Non enim peculiariter religiones omnes ea profitentur.Hæc autem cùm primo libro tacta ſint, ne replicatio tædiũ pariat,alia tangamus. De ipſis ergò votis, id eſt, obligationibus ſeu vinculis, quæ ex ipſa religioſa profeſſione ſeu votorum emiſſione proficiſcuntur, breuiter ſubnectendum eſt. De quibus inprimis dicimus, ea ipſa

De votis. & aliquid tollere,& aliquid quoque addere. Siquidem Obedientia tollit proprium ſenſum ac voluntatem: Continentia nubendi facultatem: Paupertas rerum temporalium proprietatem. Stabilitas deſerendi ſtatus libertatem: & deniq; morum correctio,ſecularem conuerſationem. Addunt verò etiam conſequenter obligationẽ, ac eum,qui ſe illis obnoxium facit, ad aliquid aſtringunt. Etenim obedientia ipſa ligat eum, qui ſolenniter eam profitetur ad ſequendam alienam voluntatem, eiuſque ductum & imperium ſeu mandatum.Continentia, ad temperãtiam(quæ venerea penitus exterminat) ſectandam.Paupertas,ad communitatem bonorũ.Stabilitas,ad immobilẽ in ſtatu aſſumpto perſeuerantiam.Et demũ correctio morum,ad tenendã vitam inſtitutionemq́ue regularem. Vides itaq; vt obedientia ad voluntatẽ pertineat,continentia

tia quodammodo ad corpus, paupertas ad fortunæ bona, ſtabilitas ad ſtatũ & habitaculum, & denique correctio morũ ad totius vitæ cõuerſationem. Tametſi hæc omnia potiſſimùm ac radicaliter mentem ipſam reſpiciunt. Denique vt ipſorum votorum energiam ſimul complectamur, qualitatemq; eorum declaremus. Obedientia eſt vinculum religioſum, quo ſe vouens aſtringit ſuo ſenſu mori, ſuamq; deſerere volũtatem, & alieno imperio agi, ac Dei contemplatione voluntati mandatiſque maioris parêre & ſubiectus eſſe. Cõtinentia verò frænum eſt, quo quis ſe aſtringit ad venereos inſultus cohibendos, omneſque delectationes libidinoſas abijciendas. Paupertas autem votum eſt, quo omnimodam rerum temporalium abrenuntiationem cum affectu pariter & effectu vouens promittit, & ita terrenæ ſubſtãtiæ vſum, dominiumque prorſus à ſe abdicat, vt nihil vnquam poſtea tanquam ſuum ſiue proprium habere aut dicere queat. Stabilitas votiua ligamen quoddam eſt, quo ſe quis ad ſtatum monachalem ſeu regularẽ aſſumptum nunquam poſteà deſerendum, imò nec ad locum quidem mutandum ſua authoritate temeraria, conſtringit. Denique correctio morum obligatio quædam dicitur, qua vouens ſeipſum ad ſecularem conuerſationem deſerendã, & vitam ſecundũ inſtitutionẽ regularẽ dirigendam, perpetuò ligat. Hæc ſunt quinque vincula, quibus ſe multi aſtringunt, nec tamen frequenter intelligunt, quid faciũt, aut promittunt. Quòd ſi hæc capiunt, quomodo (precor) ea, quæ polliciti ſunt, fideliter reddere poterũt? Sed cùm breuiter de promiſſionibus ſeu votis, ac deinde de ipſis vinculis ſeu obligationibus

Obedientia. *Cõtinẽtia.* *Paupertas.* *Stabilitas.* *Correctio morum.*

(quæ inde conſurgunt) diximus, non ineptum erit, pro ampliori captu, de ipſis rebus, quæ promittuntur, peculiariter agere. Itaque ab obediētia, quæ potiſſima eſt, exordiamur.

CAPVT II.

De obedientia, declaraturq́ue inprimis, quot modis accipi queat, & quid ſibi velit, deinde quibus, à quibus, in quibus rebus, quibus modis, & quibus de cauſis obediendum ſit.

DE obedientia ſermonem facturi, inprimis prælibandum eſt, quid ſibi velit. Deinde dicendum, quibus, à quibus, in quibus rebus, quibus modis, & quibus de cauſis obediendum ſit. Igitur primùm dicturi quid obedientia ſibi quærit, ſupponēdum putamus, obediētiam multifariam accipi ſolere. Inprimis quidem latiſſimè, quomodo obedire eſt, alterius nutum, impulſum, imperiū, vel legem inditam ſequi, ſiue gratia alterius quicquā facere. Quam ſignificantiam ſectātes, in omnibus penitus rebus obediētiam reperient. Nam hoc pacto non ſolùm creaturæ rationis capaces, ſed etiam expertes, imô & ſenſu carentes, obedire dicuntur. Hinc dictū eſt, pecuniæ obediunt omnia. Imò etiam (quod magis mirabere (Deus hoc modo obediſſe legitur, quando ſcilicet *Sol ſtetit in medio cœli, obediente Deo voci hominis*. Altero verò modò minus amplè deſumitur obedientia, vt creaturis tantùm rationalibus competit, videlicet pro ſubiectione, qua quis alienæ ſubijcitur voluntati, ſiue pro rebus ad huiuſmodi ſubiectionem pertinentibus. Hoc pacto votum ipſum, quo

Ioſue 10.

pro-

promittitur obedientia, itidem obligatio ipſa ſeu vinculum, quo quis ad obediendum ligatur, interdum obedientia dicitur. Itidem officium quod à Superiore iniungitur, obedientia ſæpè vocatur, quod Cartuſianis peculiare eſt, qui officia, obedientias nuncupant, vt inſinuent, obedientiarios ipſos ſemper & obedientiæ memores eſſe, & omnia ab eis obedienter fieri debere, ſi certè meritum tandem reportare, & ſupplicia vitare cupiunt. Hoc etiam modo complectitur obedientia omnem bonam obedientiam, ſiue generalis ſit virtus, ſiue ſpecialis, ſiue etiam ſit votiua, ſiue demum ſine Voto. Denique omnes quoque malas obedientias cōprehēdit, quarum aliquæ vocantur prorſus illicitæ atque vitioſæ, vtpotè quando obeditur contra iuſta præcepta Superioris. Superioris, inquam, vel Dei, vel Eccleſiæ, vel regulæ, ſeu regularis inſtitutionis, vel alterius Superioris maiorem poteſtatem habentis. vtpotè ſi inferiori poteſtati obediatur contra præceptum Superioris. Aliæ indiſcretæ ſunt atque temerariæ. vtpotè quando obeditur in ijs, ad quæ ſe non extendit præcipientis authoritas. Vt enim temerè in hoc caſu præcipitur, ita & indiſcretè obeditur, quemadmodum in interioribus & occultis contingit. Itidem in ijs, quæ ſpeciem mali, vel inhoneſtatis, ſeu fatuitatis habent, putà ſi præciperetur ſubdito, vt ſe corā hominibus nudaret, vel feſtucas colligeret, aut tota die aues ſuſpiceret volātes, aliaq; id genus. Licet in ijs, quæ ſpeciem mali non habent, ſi ſimpliciter obediretur, non ineptè, ſed vtiliter fieri poſſet, quemadmodum fecit ille, qui caules plantando, folia in terram, radices verò ſurſum miſit, ita iubente patre, qui eius obedientiā ex-

Illicita & vitioſa obediētia.

Exemplū obediētiæ

plorare volebat. Sed aliam obedientiæ acceptionem ſubiungamus. Tertio igitur modo ſumitur obedientia pro virtute obedientiæ, quæ eſt pulchra mentis qualitas, ſeu habitus quidam ſtudioſus, per quem quis Superioris volũtati ſubijcitur, eiuſque mandatis, vel conſilijs Dei, ac præcipientis ipſius, ſeu præcepti contemplatione paret: aut eſt actus ex tali virtute proficiſcẽs. Solent enim virtutum nomina pro actibus earũ frequentiſſimè vſurpari. Hoc autem modo diuiditur in obedientiam neceſſariam ſed imperfectam, & obedientiam perfectam atque ſublimem. Neceſſaria, ſed imperfecta eſt, quæ in omnibus neceſſarijs obedit quidem, ſed in cæteris non paret, vel etiam non ſublimiter obedit. Perfecta autem ac præſtans eſt, quæ in omnibus licitis, honeſtiſque vniuerſaliter ac ſublimiter paret, eaque omnia obſeruat, quæ ſublimem obedientiam faciunt, hoc eſt, obedit velociter, viriliter, ſimpliciter, humiliter, liberaliter ſeu liberè, verè, plenè, & denique perſeueranter. Hæc enim ſunt, quæ plurimùm venuſtant colorantq; obedientiam, ſublimemque faciunt, de quibus poſteà latius dicetur. Iam verò patefacta ipſius obedientiæ natura, dicamus conſequenter, quibus, à quibus, in quibus rebus, quibus modis, & denique quibus de cauſis obediendum ſit. Inprimis, quibus ſit obediendum, nobis aperit Apoſtolus, dicens: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Igitur illis ipſis, quibus aliena ſarcina impoſita, quibuſque ſuperioritatis authoritas credita eſt, proculdubiò obediendum eſt, atteſtante eodem Apoſtolo, qui ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus*

Obedĩtia duplex.

Heb. 13.

Rom. 13.

ribus ſubdita ſit. Sed fortaſsè quiſpiam de numero eorum, quos murmuratores, alienæque vitæ obſeruatores vocāt, fatebitur, bonis Prǣlatis obediendum eſſe, malis verò minimè. Quiſquis eſt, qui ita potiùs deſipit quàm ſapit, audiat diligenter, & authoritate, exemplo, rationeq; ſibi monſtrabitur, Prælatis vel malis obediendum eſſe. Authoritate inprimis Chriſti, qui Prælatos malos etiam honorandos cenſuit, cùm inquit: *Omnia quacunq; dixerint vobis ſeruate & facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere,* Matth. 23. Cui aſtipulatus Apoſtolus ſuus Petrus, præcepit, dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis obediendum eſſe, 1. Petr. 2. Exemplo quoque Chriſti comprobatur, Superioribus licet malis eſſe parendum. Siquidem ipſe Dominus noſter IESVS Chriſtus Rex, & Iudex, & Deus (vt habetur diſtinct. 93.) vſq; ad paſſionis diem, ſeruauit honorem pontificibus & ſacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Ratione demum oſtenditur, vel malis Prælatis eſſe audiendum: quandoquidem nullus ſe committit Prælato potiſſimùm, quòd ſit deuotus, prudens, literatus, ſed quia ſecundùm regularem inſtitutionē prǣfectus eſt. Itaque non obeditur Prælatis propter ſuos pulchros (vt aiūt) oculos, ſed quia Dei vices gerunt. De qua re ita D. Bernardus meminiſſe traditur. Non te moueat Magiſter imperitus vel indiſcreta poteſtas, ſed memento, quia non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Hæc ille. Denique maius eſſe meritum creditur, cum obeditur indigniori. Non igitur Prælati indignitas fuſcat obedientiæ ſplēdorem, imò quantò dignior eſt

Matt. 23.

1. Pet. 2.

Bernard.

Prælatus, tantò gratior acceptiorq; eſt inferioris obedientia. Cùm igitur cauſa Dei potiſſimùm obediatur, nullus iam excuſet Superioris (ſi fortè aſſit) indignitatẽ. A quibus autem ſit obediendum ſi rogetur: breuiter reſpondetur, ab omnibus. Non enim eſt, qui ſe poſſit abſcondere à calore eius, ſcilicet, obediẽtiæ. Etenim homo quilibet, vel homini, vel hominũ multitudini ſubiectus eſſe putatur, etiamſi ſupremum in Eccleſia culmen teneat. Omnis enim ſupra ſe, vel hominẽ, vel hominum cœtum habet. Durantè enim hui⁹ ſeculi mutabilitate, alios alijs ſubiectos eſſe (ita Domino inſtituẽte) opus eſt. Sed quid mirũ de hominibus, cùm inter Angelos & ſuperioritas, & ſubiectio inueniatur? Angeli enim angelis præficiuntur. Sed & inter dœmones maledicta quoque prælationis officia obſeruantur. Sed iam quibus in rebus ſit obediendum, oſtendere pergamus, illud afferentes, quod notatum inuenitur diſtinctione 93. cap. 1. ſcilicet obedientiã in tribus conſiſtere: videlicet in reuerentia Superiori exhibẽda, in mandato ſuſcipiẽdo (intellige, & exequẽdo) & iudicio ſubeundo. Itaq; reuerentia inprimis eſt Superioribus exhibenda. Siquidẽ obedientia ipſa potiſſimum aſpicit proprij Paſtoris reuerentiam. Etenim propter reuerentiam, authoritatemq; maioris, obediẽtia eius præcepto debetur. Ergo reuerentia eſt Prælatorum perſonis pręcipuè exhibẽda. Sed quomodo exhibenda? Nempè intus in corde, extrà verò verbis & ſignis. Debet itaq; ſubditus Prælatum venerari interius in intellectu, ſublimiter ſentiendo, ſaltem non deſpiciendo, & in affectu, eum timendo, amando, bona optando, precibus iuuando. Verbis quoque honorare Prælatum debet,

Omnes etiam Angelos & dæmones obedientiæ ſubiectos.

debet, vt ſcilicet reuerenter, dulciter, humiliterque reſpondeatur & deferatur. Non auté contra eos murmuremur, non detrahatur, non rideantur à ſubditis, nó conuitia aut contumeliæ inferantur, non maledicantur, non reuelentur veréda eorum, non deniq; mores & facta ſiniſtrè diiudicentur. Signis quoque honorare oportet, vt ſcilicet aſſurgatur, inclinetur, cæteraq; reuerentiæ exterioris ſigna exhibeãtur. Non igitur cum eis ludendum, iocandũ, aut aliâs irreueréter coram eis ſe habendum eſt. Deindè cùm dictum ſit, in mandato Superiorum ſuſcipiendo obedientiam conſiſtere, opus eſt, vt ſcilicet nó ſolùm perſonæ obediatur, eam venerando, ſed & eius mandato, ipſum debitè ſuſcipiendo. Non enim ſatis eſt, Prælati perſonam venerari, niſi & eius mandatum debitè ſuſcipiatur, impleaturque decenter. Sed dices: Nunquid omnia Superiorum mandata ſunt à ſubditis capeſſenda? Nunquid & ſuſcepta ſunt operè adimplenda? Reſpondemus, in his quæ illicita ſunt, vtpotè cótrà Dei vel Eccleſiæ mandáta, obedientię ius nullum ſibi locũ vendicare. Sed & ſi (quod abſit) præceptis Ordinis, non quidem piè diſpenſando, ſed perperàm diſſipando, aduerſari luculenter ſuperior videtur, audiendus nó eſſet. De qua re ita meminiſſe legitur Auguſtinus, & habetur 11. q. tertia. Quid ſi illud iubeatur, quod non debeas facere? Hic ſanè contemne poteſtatem. Ipſos humanarũ legum gradus aduerte. Et ſequitur: Si aliud iubeat Imperator, & aliud Deus, q̃d iudicas? Maior poteſtas Deus, da veniam, ô Imperator. Tu carcerem, ille gehennam minatur. Sed in Ordine Cartuſiano nihil eſt loci huiuſmodi querimoniæ. Non enim iubentur, quæ illicita ſunt.

Quibus mandatis non ſit obediendũ.

Auguſt.

ſunt. O vtinam implerentur omnia, quæ iuſtè mandâtur. Deniq; in iudicio ſubeundo, dictum eſt obedientiam partim conſiſtere. Non enim debet inferior ſuum ſenſum Superioris præferre iudicio. Superba enim arrogâtia eſt, ſuum iudicium vel prudentiam maioris cenſuræ præponere. Qua tamen veſania nonnulli concitantur, dicentes, ſi talis mihi Prælatus eſſet, qualis erat Benedictus vel Bernardus, in eius faciliter ſententiam deſcenderem. At verò negotium mentis meæ non auſim fidei Superioris parùm docti committere. Qui ita ſentis ac dicis, grauiter allucinaris. Non enim deerit tibi Deus in neceſſarijs, modò Superiori tuo humiliter audieris. Vnctio enim ſolet eos potiſſimùm docere, quibus aliorum cura incumbit. Sed quæris, quouſque ſe protendit obedientia? Reſpondemus primùm, obediendum eſſe iuſtis Superiorum præceptis vniuerſaliter. Præcipitur autem, quando imperium adhibeatur. Nam, vt Hieronym. ait, quod præcipitur, imperatur: quod imperatur, neceſſe eſt fieri. Cognoſcitur verò Superioris pręceptum, interdum ex ipſa materia de qua agitur, interdum verò ex ipſa forma qua præcipitur. Ex materia quidem, cùm præcipitur aliquid ad diuinam reuerentiam, vel etiam ad charitatem, aut iuſtitiam pertinens, quod prima fronte nonnunquàm facilè dignoſci non poteſt. Ea de re cùm hæſitatur. Superioris cenſura, ſi fieri poteſt, quærenda eſt. Ex forma verò, hoc eſt, modo præcipiendi cognoſcitur, vno modo generatim ex parte pœnæ, putà quando grauis pœna ſpiritalis adijcitur, vt eſt excômunicatio, ſuſpenſio, interdictum, depoſitio: vel corporalis pœna, præſertim grauis, apponitur, vt eſt incarce-

Hieronymus.

carceratio, vel alia ſimilis. Altero verò modo cognoſcitur ex ipſis verbis, putà ſic præcipiatur in virtute obedientiæ, vel Spirituſſancti, vel ſub interminatione maledictionis æternæ, vel ſub obligatione peccati mortalis, aut ſub pœna inobedientiæ, aut alijs id genus. Sed & quomodocunque præceptiuam eſſe voluntatem Superioris intelligatur, de neceſſitate parendum eſt. Ergo vt diximus, omnibus Superiorum præceptis, quando talia eſſe cognoſcũtur, à ſubditis omnibus obediendum eſt. Peculiariter autem de religioſis loquendo, putamus votiuam obedientiã ad omnia ſe extendere, ſine quibus non poſſet decenter religionis ſtatus ac profeſſionis tenor conſeruari, quemadmodum eſt vota reddere, officia communia curare, ſi imponantur, obſequia cæteris (iubente Prælato) exhibere, & cætera id gen. Videmus enim in familia patrisfamilias obtemperari in his omnibus, quæ regimen familiæ exigit: cur non etiam in religione? Vnde Bernardus de diſpẽſatione: Modus ſiue menſura obedientię eſt tenor profeſſionis, nec ſe valet extendere poteſtas imperantis, niſi quatenus attigerit votum profitentis. Et ſubdit: Quamobrem quiſque profeſſus in quouis genere ſalutiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ legem cogendus, nec citra eſt inhibendus, quàm ſua ipſius videtur complecti profeſſio. Hæc ille. At verò de Cartuſianis peculiariùs agendo, dicimus, ad cõmunem obligationem, omnium ſubditorũ inſtar, eos teneri, vt ſcilicet omnibus, quæ præceptiuè vel prohibitiuè ponuntur in ſtatutis, aut etiam à Superioribus fiunt, obediant. Inſuper debent more aliorum religioſorum in omnibus obedire, quæ ad tenendũ in debito tenore ſtatũ reli-

Bernard.

religionis exiguntur, ſiue ad quę ſe profeſſio extendit. Et nihilominns ad ea omnia, quæ iniungũtur (pro qualitate tamen iniunctorum) aſtringuntur. Ergò inprimis tenentur, præceptis Superiorum de neceſſitate parêre, vt diximus. Quã neceſſitatem animaduertentes, ſtatuerunt, vt à Prioribus modus in præcipiendo ſeruetur, propter periculũ præcepti. Deindè tenẽtur in alijs, quæ ſtatus religionis neceſſariò poſtulat. Poſtremò in omnibus, etiam duris & aſperis, differenter tamen, cùm non ſit æquale periculum in pręceptis, & alijs. In omnibus ergo vniuerſaliter videtur obediendũ, quæ vel à ſtatutis, vel à Prælatis iniunguntur, ad hoc obligantibus. Sed & ſi cui pęnitentiam aliquam, ſeu cibi, ſeu ſomni, vel alterius cuiuſlibet rei facere, aut durum & gra-
14.2.par. uè aliquid imponere Prior voluerit, repugnare
m.§.27. fas non habemus, ne cùm ei reſtiterimus, non ei, ſed Domino (cuius erga nos agit vices) reſtitiſſe inueniamur. Licèt enim multa ſint & diuerſa quæ obſeruamus, vno tamẽ & ſolo obedientiæ bono, cuncta nobis fructuoſa futura ſperamus. Itaq; habet Cartuſianus in omnibus, quæ ad tenorem ſuæ profeſſionis, ſeu ſtatum religioſum conſeruandum ſpectant, obedire, & generatim in omnibus ſtatutis, & à Prælato iniunctis, licèt non æquè peccet in omnibus, ſi non obediat.
Bernard. Quòd fortè animaduertebat ille bon⁹ pater Claruealenſis, cùm ad fratres de Monte Dei ſcribẽs, dicebat: Non enim ſolùm vouiſtis omnem ſanctitatem, ſed omnis ſanctitatis perfectionem, & omnis conſummationis finem. Quibus, tamen ex verbis, ne cauſam erroris ſumas, non putes, Cartuſianos vel ſanctitatis perfectionem vouiſſe, hoc enim temerarium eſſe. Nullus enim ita ſe li-

ſe ligat, ſed nec ad omnia, quæ contra rationem non ſunt, obſeruanda, ſe voto aſtringit. Intellige ergò, eos propoſitum arripuiſſe, quod cæteris eminet, cultoreſque ſuos arctius aſtringit, vt ad perfectionem aſſequendam enitantur. Non putes, inquam, eos lætaliter in omnibus peccare, quādo prçuaricantur, cùm pauca in ſtatutis præcepta habeant, paucaque à Superioribus fieri ſoleant: de alijs autem quæ præcepta non ſunt, alia ratio eſt. Rurſum quæris: Si quiſquam non obediuerit, quid vel culpæ admittit, vel pęnæ meretur? Reſpondetur inprimis: ea, quæ à Superioribus prodeunt, vel præcepta, vel conſilia, vel media quædam ſunt, hoc eſt, nec præcepta, nec conſilia, ſed medio quodam modo ſe habentia, vtpotè quę arbitrio reliquuntur vt conſilia, nec ad mortale aſtringunt vt præcepta, ſed vel ad culpam venialem, vel ſolùm ad pœnam quandam obligant: & hæc mandata paſſim dicuntur. Quæ quamuis ſæpenumerò pro præceptis capiantur, nihilominùs tamen interdum diſtinctè capiuntur pro monitis ſeu iniunctionibus quibuſdam, quæ mediū gradum tenent. Quantùm igitur ad præcepta pertinet, ſi diuina ſunt, nullus poteſt vel ex cauſa, vel ignorantia, vel neglectu, vel contemptu ab eis pleno cōſenſu declinare, quin lætaliter peccet. Si verò merè humana ſint, tunc interdum ex ſufficienti cauſa poſſunt non impleri, vtpotè cùm ſubditus ſatis certus eſt, Superiorem prçcipiendo erraſſe, nec ita præcepturum fuiſſe, ſi veritatem compertam habuiſſet. Non enim mandato Superioris aduerſatur, qui iuſta cauſa incitatus non obedit. Hoc tamen caſu, cauſa quæ ſuaſit non parêre, verbo vel ſcripto alleganda eſt. Quantum verò ad ignorantiam

De inobedientia.

Præceptis humanis quādo liceat aduerſari.

tiam pertinet in diuinis præceptis, excuſare ſaltem à toto non creditur. In humanis autem nonnunquam & à toto excuſare poteſt: ſed planè desides, ac eos qui ſcire poſſent, ſi diligentiam (vt par eſt) adhiberent, immunes non reddit. De neglectu verò putant quidam eum etiam in humanis præceptis non excuſare, qui negligens ſeu paſſione concitatus, mortaliter peccet, itque inobediens, ſi ſaltem inobedientia ſumatur, vt vitium generale eſt. Hoc autem alijs non placet, dicentibus humanam legem ſuaptè natura, hoc eſt, per ſe & directè ad mortale ligare nõ poſſe. Quam controuerſiam Theologicæ palæſtræ dimittentes, nunc cenſemus, ab huiuſmodi negligentia cauendum inprimis eſſe, nec in re dubia ſe periculo committendum. Quantum verò ad contemptum, per quem ſubditus renuit iuſtis Superiorum præceptis obtemperare, dubium non eſt, eum, qui ex deliberato contemptu hoc agit, lætaliter admodùm peccare. Ex contemptu enim agit, qui renuit Superioris mandatis ſubijci, eaque implere, ſiue cuius contemptus in cauſa eſt, cur præceptum ab eo non impletur, vtpotè ſi quis præceptum Superioris animaduertens, non ſolùm implere negligat, ſed etiam vilipendat, vel (quod teterrimũ eſt) ſi forſan illud aliâs facturus fuerat, in contẽptum tamen præcipientis, vel præcepti, vel vtriuſque, implere deſiſtat ſeu renuit. Qui enim huiuſmodi eſt, planè inobediens eſt, & peculiare ac deteſtabile crimen inobedientiæ admittit. Inobediẽtia enim (vt ſpeciale vitium eſt) rationem formalem pręcepti reſpicit, ipſum actu contemnendo. Quod efficit, qui ex contemptu præceptum implere renuit. Sed quid mirum, ſi grauiſſimè

ſimè peccet, qui ex cõtemptu præcepta Superiorum implere recuſat, cùm etiã mandata & conſilia, ſi ſana ſunt, nec ſint contemnenda, nec oppoſita ſint ex contemptu faciunda? Ad hoc enim religioſus aſtringitur, vt nec ſana conſilia, nec illa quæ media dicuntur, hoc eſt, mandata contemnat, vel etiam ex contemptu omittat, alioqui grauiter peccat: non tamen æquè vt is, qui præcepta contemnit, qui terribilem ſibi gehennam parat. In ſumma colligere potes, contra obedientiam lætaliter agi, inprimis quando per contemptum agitur. Quod fieri poteſt, vel præceptum Superioris iuſtum, vel regulæ, ſiue ſtatutorum, vel etiam Prælati perſonam, contẽnendo. Grauius enim eſt, præcipientem, quàm ipſum præceptum flocciſacere. Ex reuerentia enim præcipientis, debetur præcepto reuerentia. Secundò generatim, quando contra iuſtum Superioris præceptum propriè dictum, quod ſcitur eſſe huiuſmodi, ſcienter agitur. Tertiò, quando etiam alia, quæ præcepta propriè non ſunt, vilipenduntur, & ex contemptu negliguntur. Nam (vt ait Bernardus) neglectus, culpabilis: contemptus, vbique damnabilis. Ita enim contemtus ipſe miſerabilis eſt, vt ea, quæ aliâs mala vel ſaltem lætalia non eſſent, faciat eſſe mortifera. Quamobrem ſummoperè in omnibus vitandus eſt, cum his quæ dicta ſunt. Ad hæc enim omnia fugienda, vis obedientiæ ſtrictè ligat. Iam verò quo pacto ſit obediendum, vt ſcilicet obedientia ſit obedienti meritoria, ſuperiſque grata & ſublimis, audiamus. Obediendum ſiquidem eſt velociter, viriliter, ſimpliciter, humiliter, libenter, verè, plenè, & perſeueranter. His enim comitibus ſi comitata

Tribus modis cõtra obedientiam mortaliter peccari.

Bernard.

Quibus modis ſit obediendum.

fuerit obedientia, multum & laudis & mercedis apud Deum hominesque promeretur. Verùm & latiùs proſequentes dicamus inprimis, obediendum eſſe promptè & velociter. Dictum eſt enim Zachæo: *Feſtinans deſcende*. Legimus quoque de Apoſtolis à Domino vocatus, hoc pacto: *Illi continuò, relictis retibus, ſecuti ſunt eum.* Hinc Hieronymus ait: Perfecta obedientia eſt, ſua imperfecta relinquere. Cui & Bernardus aſtipulatur, cùm inquit: Fidelis obedientia moram neſcit, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præcipientem præuenit, oculos parat viſui, aures auditui, manus operi, linguam voci, pedes itineri, ſicque totum ſe colligit perfectus obediens, vt ex toto mandatum impleat imperantis. Deindè obediendum eſt viriliter & ſtrenuè, vt ſcilicet quod velociter cœptum eſt, viriliter continuetur. Solent enim ingrata eſſe mollia tepidaque obſequia. Obediendum quoque eſt ſimpliciter, hoc eſt, ſine fictione, ſine murmure, ſine querela, ſine diſcuſſione, ſine rebellione, ſine ingrata reſponſione. Qua in re ita Bernardum cōperimus dicentem: Perfecta obedientia, maximè in incipiēte, eſt indiſcreta, hoc eſt, non debet diſcernere quid, vel quare præcipiatur, ſed ad hoc tantùm niti, vt fideliter & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur. Cuius ſententiæ fuit Cæſarius, hoc modo præcipiens: Quicquid tibi à ſenioribus fuerit imperatum, accipe tanquàm de cœlo, ſicut de ore Dei prolatum, nihil reprehendas, nihil diſcutias, in nullo penitus murmurare præſumas, quia in monaſterio ſeruire veniſti, non imperare: potiùs obedire, quàm iubere. Totum ſanctum, totum iuſtum, totum vtile iudica, quicquid tibi à Prælato

Luc. 19. *Matt.* 4. *Hierony.* *Bernard.* *Bernard.* *Cæſarius.*

lato videris imperari. Hæc ille. Item obediendum eſt humiliter, vt obediendo nihil ſuperbè vel cogitetur, vel dicatur. Non enim, qui obedit, debet ſuis viribus gratiam aſcribere, nec ſuperbè quicquam ſeniori iubenti reſpondere. Hinc Benedictus in regula ita inſit: Obedientia tunc erit acceptabilis, ſi non cum reſponſione nolentis efficiatur, hoc eſt, ſi abſque ſuperba & rebelli reſponſione obediatur. Sed alia proſequamur. Obediendum eſt hilariter ac libenter, quandoquidem *hilarem datorem diligit Deus*. Itaque obediendum eſt libenter, affectuosè, bonoque animo. Vult enim Deus voluntarias oblationes. Non enim ei placent coacta ſeruitia. Igitur libenti animo obediendum eſt exemplo illius, qui dicebat: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me*. Obediendum eſt verè ac ſyncerè, vt ſcilicet amore cęleſtis patriæ obediatur, non autem vel lucri, vel commodi temporalis contemplatione, quemadmodum nonnulli faciunt, qui Prælatis quidem obediunt, ſed non verè ac purè. Non enim cauſa Dei hoc ipſum efficiunt, ſed vt Prælatorum gratiam aſſequantur. Poſteà obediendum eſt vniuerſaliter & plenè. Siquidem diminuta obedientia palmam non meretur. Quid enim prodeſt in nonnullis parêre, & ſua in alijs rebus vti voluntate? In omnibus ergo licitis, ac poſſibilibus parêre debet, qui ſublimis obediẽtiæ laudem palmamque habere deſiderat. Ergo non ſolùm in proſperis, ſed etiam in aduerſis, atque abiectis apud ſeculum rebus, eſt obediendum. Siquidem in rebus arduis ac difficilibus parêre magna laus eſt, ſi obedientiæ cauſa voluntariè aſſumantur. Cùm verò in proſperis & gratis obeditur,

Benedict.

2. Cor. 9.

Ioan. 4.

parua ſæpè, imò quandoque nulla merces eſt, vtpotè cùm animus ad alta mundi faſtigia aſpirans, optat vt ea ei imponantur, pernitioſa tunc res eſſe putatur, de qua quidem Gregorius inquit: Non enim ſe ſub obedientia dirigit, qui ad percipienda huius vitæ proſpera, libidini propriæ ambitionis ſeruit. Nihilominùs qui grata ſibi facit, quia præcepta ſunt, apud Deum (qui ſecreta rimatur) meritum obedientię non amittit. Deniq; obediendum eſt indeſinenter, & perſeueranter. Nihil enim prodeſt currere, & ante curſus metam deficere. Hinc Bernardus ait: Manum tuam miſiſti ad fortia, agendum eſt inſtanter, & conſtanter obediendum, nec inter aſperitatem verborum tam regalis eſt ſemita relinquenda. Et rurſus Chriſtus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Hæc ille. Verùm plerique & ſuum ſtatum non aduertẽtes, & obedientiæ laudem meritumque, vel paruifacientes, vel non curantes, nunquam ad perfectæ ſublimiſque obedientiæ faſtigium peruenire, nunquàm illas (quas diximus) conditiones obſeruare, conantur. Similes ſcholaſticis malis, qui ſemper in ſcholis verſantes, literas pro viribus aſſequi non moliuntur. Similes, inquam, viatoribus, qui ſemper gradientes, finem itineris aſſequi diligenter non laborant. Similes demum ignauis quibuſuis operarijs, qui fructum quidem ac lucrum habere cupiunt, ſed fideliter ac decenter (vt poſſent) operari negligunt. Nonnullos enim reperire eſt, qui pro obedientiæ promptitudine, ſectantur deſidiam, procraſtinationem, excuſationem. Tam enim deſides ſunt, vt vix poſſint ad opus concitari. Tam longas protrahunt moras, vt ſæpè iucundius ſit negotium facere,

Gregor.

Bernard.

In eos qui ad perfectæ obedientiæ faſtigiũ peruenire nõ cõtendũt.

cere,

cere, quàm tantam dilationem expectare. Tantas denique proferunt excuſationes, modò locum, modò tempus, modò virium imbecillitatem excuſantes, vt ſuo relinquendi ſint arbitrio. Alios videas, pro virilitate mollem tepiditatem ſectari. Non enim calidi ſunt, aut frigidi, ſed leuiter quandoque negotium aggreſſi, faſtidioſa cum lenitate perficiunt. Alij inueniuntur, pro ſimplicitate querelam, murmur, diſcuſſionemque amplecti. Contra quos eſt illud Hieronymi: Præpoſitum monaſterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem, credas tibi ſalutare quicquid ille præceperit, nec de maioris ſententia iudices tu, cuius officium eſt obedire, & implere, quæ iuſſa ſunt. Cui aſtipulatur Bernardus, cùm inquit: Multos videas poſt præcipientis imperium multas facere quæſtiones. QVARE, ſæpius ingeminare. Vnde hoc venit? & quis inuenit hoc conſilium? Inde murmuratio, excuſatio, ſimulatio, impoſſibilitas, aduocatio amicorum. Hæc ille. Quòd ſi fortè de Superioris mãdato, vel diſcutere, vel murmurare palàm non audent, occultè tamen illud efficere nõ trepidant. Contra quos idẽ Bernardus ait: Quid ſi obediat ſimulatoriè & ad oculum, murmuret autem in abſcondito? Falſa eſt obediẽtia. Sola eſt charitas, quæ obedientiam gratiorem facit, & acceptabilem Deo commendat. Hęc Bernardus. Alios inſuper videre eſt, pro humilitate obediẽtiæ, tumorem habere ſuperbiæ, qui ſcilicet vel corde, vel ore, de ſuo obedientia gloriantur, cęteros deſpiciunt, & demum ſi paululum obedierint, alicuius ſe putant eſſe momenti. Alios cernere licet, loco hilaritatis, vultus triſtitiã, quam in pectore habent, foris oſtendere: cùm tamen

Hieronymus.

Bernard.

Idem.

2.Cor.9. hilarem datorem diligat Deus, multumque coloret obedientiam, frontis, vultuſque ſerenitas. Alios comperias, pro ſynceritate cordis, peruerſitatem tùm intentionis, tùm operis habere. Interdum enim ſatis eſſe putant, ſubſtantiam implere, nihil de mandantis intentione curantes, cùm tamen intentio ſit potiùs, quàm verba penſanda. Interdum verò (quod peius eſt) intentionem iubentis peruersè interpretantur, dicentes

Bernard. eum mala intentione moueri, cùm tamen Bernardus dicat: Non ſufficit exteriùs obtemperare maioribus noſtris, niſi ex intimo cordis affectu, ſublimiter ſentiamus de eis. Interdum verò per-

21.ſecun. uerſo, diſtortoque modo iuſſa complent, quos

an 3.28. Cartuſiana ſtatuta inobediétibus ſociant, ac pro

ter.an.25. eodem reputant, inobedientem eſſe, & peruersè obedire. Sed cur hæc peruerſi faciunt, niſi vt poſtmodùm nihil eis impònatur laboris? Alios offendere eſt, qui pro ſynceritate intentionis, hoc eſt, Dei intuitu, & amore, interdum timore pęnarum ad obediendũ mouentur, cùm tamen

Gregor. dicat Gregorius, obedientiam non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ faciendam eſſe. Aut certè lucri, commodiuè temporalis gratia concitantur, vt ſ. Prælatorũ gratiam mereantur, vt fauores humanos habeant, vt deſiderata officia cõſequantur. Alios cernas, non plenè obedientes, ſed diminutiuè, qui videlicet vel nonnullis in rebus obedientes, in alijs parêre renuunt, aut partem operis efficientes, totũ exequi non curant. Alios intueri licet, non libenter bonoq; animo obedientes. Denique alios conſpicias ritè obedientes, ſed minimè perſeuerantes, cùm tamen ſcri-

Matt.10. ptura dicat: *Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit*. Omnes igitur, qui prædicti ſunt, ſublimis

mis obedientię laudem pręmiumq́; non merentur. Sed quid? Si carpi ſoleant, qui obediunt quidem, ſed obcdientiæ laudem palmamque vitio quodam ſeu defectu non merentur, quid de illis putandum eſt, qui vel de ſua ſapientia præſumẽtes, vel tartarea quadam ſuperbia inflati, dedignantur maiorum ſequi imperium, iuſſa palàm reſpuunt, & demum apertè inobedientes, ſe non facturos quod præceptum eſt, aſſeuerant? Quid inſuper de illis cenſendum eſt, qui tanta ſunt temeritate, vt velint ſibi à maioribus obediri, ſuã interdum veſaniam verbis aperiẽtes, interdum verò ſubtiliter hoc molientes, vt ſcilicet Superiores ad ſua vota inclinẽtur? Contra quos Bernard. ita dicit: Quiſquis occultè vel apertè ſat agit, vt quod habet in voluntate, hoc ei Prælatus iniungat, ipſe ſe ſeducit, ſi fortè ſibi quaſi de obedientia blandiatur. In ea quippè re non ipſe Prælato, ſed Prælatus ei obedit. Quid deniq́; deperditis illis, quibus non ſatis eſt inobedientes eſſe, niſi & ſuos maiores interdum ludibrijs, cõuitijsq́; afficiant, interdum verò (quod horrendum eſt) cõuitijs iniurias adiungant? Sed hos miſerrimos, omniq́ue lacrymarum fonte deflẽdos omittamus, & ex his omnibus quæ dicta ſunt, in ſumma conficiamus, eam veram, laudabilemq́; obedientiam eſſe, quæ promptitudinem nouit, & viriliter complectitur: tarditatem, dilationem, excuſationemq́; ignorat, mollem aſpernatur tepiditatem. Simplicitatem colit, neſcit querelam, murmur, diſcuſſionem, humilitatem veneratur, electionem, hypocriſim, fictionemq́ue omnem abigit: placet ei hilaritas, triſtitia diſplicet: aptum, ſyncerumq́ue pectus poſtulat, peruerſitatem tùm mentis, tùm operis fugit.

Bernard.

Vera & laudabilis obedientia.

Finem debitum exigit, obliquitatem abhorret: voluntarias accipit oblationes, abijcit ingratas, coactas, moroſas. Deniq; perſeuerantiam flagitans, obediendi terminum prorſus in hac mortalitate recuſat. Sed iam quibus de cauſis ſit obediendum, breuiter ſubnectamus, dicentes inprimis, ad ſectandam obedientiam, legem omnem aſtringere. Siquidem lex naturalis iubet, vt ea, quæ inferiora ſunt, ſuperioribus ſubijciātur: vtpotè quorum virtute ad ſuas operationes mouētur. Sic enim mundus hic inferior à ſuperiori agitur atq; mouetur, vt tota eius virtus inde gubernetur. Hoc enim depoſcit ordo naturalis diuinitus inſtitutus, quem Philoſophi merè naturalem putauerunt. Lex quoque diuina multis in locis tùm veteris, tùm noui teſtamenti iubet inferiores Superioribus obedire. Lex etiam humana, & canonica, & ciuilis hoc idem non ſemel præcipit. Leges demum peculiares religionum ad hoc ipſum diligentiſſimè concitant.

Ca. 24. ſecund. par. an. §. 6. Inter quas Lex Cartuſiana probè admonet, cùm inquit: Cùm enim ab omnibus, qui regulariter viuere decreuerunt, obedientia magno ſtudio ſit ſeruanda, ab his tamen tantò deuotiùs, ac ſolicitiùs, quando diſtrictius aſperiusque ſubiere propoſitum, ne ſi (quod abſit) iſta defuerit, tanti labores non ſolùm careant prǽmio, ſed & ſupplicium damnationis incurrant. Hinc enim Samuel: *Melior eſt obedientia, quàm victima,*

1. Reg. 11. *& auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* Quod vnum teſtimonium & obediētiæ laudem, & inobedientiæ ſufficiētem docet vituperationem. His autem legibus aſtipulantur authoritates,

dicta-

dictaque Sanctorum, quæ propter ingentem ſui copiã vix numerari poſſunt, quibus ad obediẽtiam Patres Sancti vehementiſſimè cohortantur. Ad hoc quoque exempla eorum, qui nos preceſsêre, non vulgariter incitant, quibus videmus eos, qui decenter paruerunt, multas laudes multaque præmia promeruiſſe. E diuerſo verò eos, qui obedire detractarunt, vituperijs, ſupplicijſque multis affectos fuiſſe. Porrò ipſius obedientiæ dignitas, ac præſtantia ingens ad obediendum planè nos ſtimulare debet. Eſt enim omnium moralium digniſſima, omneſque virtutes (pro ſententia Gregorij) menti inſerit, inſertaſque cuſtodit, vtpotè quarum actus, vel cauſaliter, vel diſpoſitiuè operatur. Ad ipſam enim obedientiam virtutum omnium actus, vt in præcepto ſunt, pertinere putantur. Ipſa quoq; martyrio comparatur, vtpotè quæ nobiliſſimã hominis partem, ſcil. voluntatem mortificat. Verus enim obediẽs omnes voluntates ſuas relinquẽs, totus ex Superioris voluntate pendet. Cum igitur tãta, tam pulchra, tam pretioſa ſit obediẽtia, par eſt, vt eam amplexemur, quippè qui tũ pulchra, tùm pretioſa deſiderare ſoleamus. Ad hæc vtilitates innumeræ, quas ſuis cultoribus affert, ad id nos commouere habent. Enimuerò ipſa Chriſti hoſpitẽ, amicum, & quodammodo conſanguineum efficit. Ipſa preces reddit efficaces, & exauditione ac benedictione Dei dignũ reddit obedientem. Ipſa virtutes nutrit, & merita præmiaque cumulat, augetq; mirificè, & ad ſtatum præſtantiſſimum exaltat, dignumq; prælatione facit. Ipſa tùm pacẽ pectoris, tùm pacificã cum alijs conuerſationem, tùm rerum omnium dominium impertitur. Obedienti enim obe-

Obediẽtia Martyrio comparatur.

Fructus obediẽtiæ multiplex.

diunt omnia. Ipſa à periculis hoſtibuſque liberat, quos & glorioſè triumphat. Ipſa demũ beatum, non quomodocunque, ſed egregiè, facit obedientem. Bene igitur à quodam ſapiente dictum eſt: O quàm efficax eſt regula obedientiæ, quæ concordiã ſeruat in Angelis, quæ pacem nutrit in clauſtris, ſine qua Reſpublica ſtare non valet, ſine qua nec minima familia regi poteſt, quam etiam vis naturæ brutis ingerit, quam pro prole ſua res inanimata cuſtodit, qua ligantur cæleſtibus terrena, humanis diuina. Hæc enim eſt ſcala, per quam fit aſcenſus in cælum. Hæc eſt quadriga, qua vectus eſt Helias in Paradiſum. Denique pericula, mala, detrimentaq; multa, quæ partim in præſenti, partim in futuro ſeculo ijs, qui obedientiæ iura labefactant, contingere ſolent, ad obedientiam planè ſectandam, & inobedientiã prorſus vitandam concitare debent. Siquidem omnes tempeſtates, tumultus aliaque id genus aduerſa, ex inobedientia ad ſuperiores, ac veræ obedientiæ defectu humano generi prouenire putantur. Quamobrẽ magno ſtudio ipſa obedientia ſectanda eſt, potiſſimum à viris religioſis, qui obedientiæ voto ſe obnoxios fecerunt. Si enim voto non reſponderint, & in detrimẽta multa in huius vitæ miſerijs incident, & malè morientes perpetua gloria viduabuntur, grauiſſimiſque gehennæ ſupplicijs (à quibus non eſt redimere quenquam) acerbiſſimè, perpetuòque torquebuntur. Studeamus ergò totis pro viribus obedientiam ſeruare, quę & ad conſeruandam continentiam iuuare putatur, de qua nobis agendum occurrit.

CAPVT III.

Quotuplex, & quid ſit continentia. Deinde ponuntur variæ tentationes ipſam continentiam oppugnantes, in quibus, aliquando ipſa expugnatur, aliquando non: inter quas eſt tentatio dæmonis, cuius cauſæ multa afferuntur: poſtea de cauſis pollutionis agitur, ac demum varia remedia pro continentia ſeruanda ſubnectuntur.

AD continentiam igitur accedentes, ſupponamus inprimis, continentiam capi interdum generaliter pro refrenatione mētis ab omnibus illicitis concupiſcentijs, quæcunque illæ ſint, ſiue mentis, ſiue corporis: quomodo ſumi putatur in parabola de decem virginib', in qua per quinq; virgines ſignificatur quinquepertita continentia, quemadmodum Aug. ſermone quodam interpretatur, cum ait: Videntur mihi quinque virgines ſignificare quinquepertitam continentiam à carnis illecebris. Continendus eſt enim animi appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, guſtandi, tangendi. Aliquandò verò peculiariter continentia capitur pro temperantia ab omni delectatione venerea, quo modo ſpecies caſtitatis eſſe dicitur. Diuiditur enim caſtitas in virginalem, cælibalem & coniugalem. Et hoc quidem pacto ſumpta continentia inprimis bipertita eſt. Quædam temporalis nūcupatur, cùm ſcilicet continens pro tempore duntaxat huiuſmodi caſtimoniam ſeruare, poſteaque coniugio ſe iungere conſtituit. Altera verò perpetua eſt, cùm omnes à ſe venereas delectationes perpetuum abdicare, propellereque

Matt. 25.
Auguſt.

q̧ue fixè proponit. Quod quidem & ſine voto fieri poteſt (vt in viduis patet) & cũ voto, quemadmodum in religioſis cõſtat, qui continẽtiam ipſam vel expreſsè, vel tacitè vouent, cum religionem profitentur, eamq́ue ob rem huiuſmodi continentia, votiua dici poteſt. Quam ſanè qui decenter obſeruare cupiunt, duo aduertant operæpretium eſt, ſcilicet ea, quæ ipſam cõturbant atque impugnant: deinde remedia, quibus illæſa contra impugnationes ipſas cõſeruari poſſit. Quæ duo inpræſentiarum proſequi geſtientes, dicamus primùm, tentationes carnis ipſam continentiam perturbare ſolere, quarum quędã interdum non ex ſe, ſed excitatiuè expugnant, aliæ verò oppugnant, ſed reluctantem non ſuperant, & ſi mauis, in ipſis tentationibus aliquando expugnatur continens, aliquando ſolùm oppugnatur. Illa etenim tentamina, quæ plenum conſenſum ſiue in opus libidinoſum, ſiue in ſolam veneream delectationem extorquent, expugnare continentiam impulſiuè dicuntur. Siquidem ante conſenſum huiuſmodi adhuc ſalua eſt cõtinentia. Vbi verò acceſſerit, de ea actum eſt. Expugnat itaque eam inprimis, atque radicitus deijcit plenus in veneream conſenſus, eſtò non ſequatur extrarius effectus. Expugnant deinde omnia illecebroſa, quæ ex eo pendent, & ad opus incitant, vt ſunt verba, ſigna, ſcriptaque laſciua, ſimiliter aſpectus, tactus, titillationes, cæteraq́ue id genûs, quæ plena libidinis intentione fiunt, illucq́ue tendunt. Denique expugnat (& potiſſimùm quidem) commixtio venerea, ac venereus genitalium vſus, qui ſcienter quouis modo excitatus, proculdubio continentiæ omninò aduerſus eſt. Hinc pollutio omnis ſiue diurna, ſiue

na, ſiue nocturna fuerit (quæ ex volitione corrupta, ac pleno conſenſu perflair) continentiam ipſam deijcit. At verò carnis tentationes, ſiue intrariæ ſint, ſiue extrariæ, quæ ab ipſo conſenſu venereo non proficiſcuntur, ſed ipſum præcedunt, ſiue vigilando, ſiue dormiẽdo contingãt, quamuis oppugnent, pulſentque vehementer, ſi tamen viriliter eis reluctetur, aut certè plenus non accedat conſenſus, minimè continentiam perdunt, eſtò conturbent, moleſtiamque interdum grauiſſimam faciant. De quibus quidem breuiter dicere volentes, agamus primùm de apprehenſionibus, motibus, cæteriſq; tentationibus carnalibus, quæ vigilantes inſtant, & ad perdendam continẽtiam impellere ſolent. Poſtmodum enim de ipſis, quæ dormiendo contingunt, peculiariter dicemus. Inprimis continentiam ipſam oppugnant, ac ſæpè faciunt periclitari illa quinque quæ apud Ezechielem capite 16. leguntur, vbi de peccato Sodomorum ita dicitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ: ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius, & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Inprimis ergo ſuperbia ad carnis vitium impellere ſolet: quod præſertim contingit, quãdo de ſua continentia inaniter continens ipſe gloriatur, vel incontinentes ac libidinoſos deſpicit, vel demum eos, qui coniugali operi indulgent, aſpernatur. Hac enim de cauſa ſinitur in carnis lubricum prolabi, vt diſcat, gloriam Deo, non autem ſibi de continẽtia tribuendam eſſe. Deinde ſaturitas panis, hoc eſt, ciborum exceſſiua repletio, ad carnis quoque vitia impellere ſolet, quod ipſa experientia locupletiſſimè teſtatur. Nec ſolùm illa repletio, quę ventrem, Ezec. 18.
ſed

ſed etiam illa quæ lumbos atq; ipſa ſeminis receptacula implet, venerẽ concitare ſolita eſt. Poſtmodum abundantia rerum, hoc ipſum nõnunquam efficere conſueuit. Vbi enim fortunæ copia adeſt, plerumque delitiæ comitantur. Delicias autem corporis ad delectationes venereas incitare, dubium non eſt. Ad hæc otiũ ſiue mentis incuria, continentiam perturbare, & venerẽ inducere conſueuit. Dum enim mẽs ſe negligẽter exercitijs ſpiritalibus tradit, aut prorſus vacat, ſtatim per ſordidas cogitationes euagatur, quæ & phantaſiam & carnẽ concitantes, faciliter ad libidinem impellũt. Deniq; defectus miſericordiæ hoc etiam facere ſolet, quãdo ſcilicet nec pauperibus aliquid eleemoſynæ corporalis datur, nec tribulatis quoque ac tentatis præſertim de vitio carnis, nihil orationis aut alterius iuuaminis ſpiritalis tribuitur. Qui enim cæteris non miſeretur, non eſt dignus, cui tribulato atque tentato miſericordia impendatur. Præter hæc quinque ſunt alia tentamina, quæ continẽtiam ipſam oppugnare aſſueuerunt. Quorũ quædam ſunt intrinſeca, altera vero extrinſeca. Intrinſeca ſunt, quæ in mente vel corpore fiunt. In mente enim venereas cogitationes frequenter, ac delectationes adeſſe ſolere, ſatis experiẽtia docet, quæ interdum ex ipſa corruptione naturæ ſuboriri ſolent. Interdum & in ipſo corpore beſtiales motus (qui ab ipſa quoque lege naturæ excitantur) nemo eſt qui non ſentiat. Cũ autẽ corpus titillatur, propter mẽtis cũ corpore mutuam coniunctionem, incitatur ad libidinẽ & mens ipſa. Hinc Iacobus in ſua Canonica ait: *Vnuſquiſque tentatur, à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Non ergo omnis tentatio carnis à dæmone

6. Tentamina intrinſeca.

Iac. 1.

mone (quod nonnulli falſò putant) immediatè proficiſcitur, ſed interdum ab ipſa carne: vt taceam, quòd à pientiſſimo Deo iuſtis de cauſis tentationes ipſæ fiunt permiſſiuè. Sed iam tentamina extraria ſubijciamus, quorum nonnulla ſenſibilia dici poſſunt, quòd ſcilicet aliquo extrinſeco ſenſu percipi queant, & ab extrà originem habeant, vt ſunt verba, ſcripta, aſpectus, colloquia, oſcula, tactus. Dum enim venerea ſcripta leguntur, dum mulierum ſpecies fixè cõſiderantur, dum mollia verba audiuntur, dum colloquia familiaria, remotis præſertim arbitris, miſcentur, dum oſcula tactusque licenter fiunt, quis dubitat venerem facilè concitari? Alia verò ſunt tentamina, quæ ab exteriori cauſa proficiſcuntur, perceptibilia quidem, ſed nullo exteriori ſenſu corporis ſenſibilia, quæ ſcilicet à dæmone procedunt. Qui liuore ſalutis humanæ percitus, malitiaque plenus, ſubtiliter venereas cogitationes immittit. Cur autem ſordidas, carnaleſque vaferrimus ipſe hoſtis cogitationes immittat, cauſæ multæ ſunt: quarum nonnullæ ſatis apertæ, aliæ verò latentiores ſunt. Siquidem hoc facit liuidus dæmon, vt conſenſum extorqueat, ac deinde ad opus venereum perducat. Aut ſi conſenſum in fœdum opus excutere nequeat, ſaltem ad delectationem impellat. Plerumque enim ſatis eſt illi plenus in venerem, aut veneris delectationẽ conſenſus, ſciens, multos de conſenſu huiuſmodi per dignam pœnitudinem diluendo non curare, ſi modò extrarium opus ſubſecutum non fuerit. Deinde ſi nihil eorum, quæ dicta ſunt, verſutus hoſtis conſequi poſſit, nihilo ſeciùs ſordidos ingerit cogitatus, vt bonum opus aut deſerere impellat,

7. Tentamina extrinſeca.

8. Tentamina dæmonis.

aut

aut certè impediat atq; perturbet. Enimuerò ſolet orantibus varia, fœdaq; fantaſmata afferre, vt cœptam orationem deſtituant. Itidem & ieiunantibus facere aſſueuit, vt à cœpto deſiſtant: quod in principio Quadrageſimæ multi experiuntur. Similiter cùm vel religioſam, vel pœnitentialem ſarcinam quis ſuis humeris impoſuit, his plùs ſolito turpiſſimis immiſſionibus à dæmone vexari ſolet, vt ſcilicet opus cœptum derelinquat. Suadet enim hoſtis, talia ſemper eſſe duratura. Quòd ſi bonum impedire prorſus hoſtis non valet, ſaltem conturbare, & inſtar muſcarum pungentium, aliquid inferre molleſtiæ ſatagit. Tanta eſt eius inuidia, vt ſemper homini nocere conetur. Denique ſi bonum impedire non poteſt, nihilominus qua eſt calliditate, turpes ingerit cogitationes, vt detrimentum aliquod vel mentis, vel corporis inde procuret. Nonnullos enim hoc modo tentat in lectulo conſtitutos, vt ſurgẽtes neceſſarium ſomnum non capiant, ac proinde negotijs, quæ facienda incumbunt, ſatis reſpondere nõ poſſint. Putant enim, ſurgendo à lecto tentationem repelli poſſe. Quòd ſi voto non potiantur, ſupra nudam humũ dormiunt, non animaduertentes, grauem, imò etiam & importabilem naturæ iacturam afferre. Alios verò carnali tentatione pulſat, vt ad exercitia immoderata concitet, vtpotè ad vigilias prolixas, ieiunia fortiſſima, innumeras orationes, aliaque id genûs permulta, quibus cerebrum vel tandẽ vacuum reddat, & hominẽ prorſus dementẽ, aut certè ſemiſtultũ ſubtiliter efficiat. Alios inſuper carnali vexatione fatigat, vt indiſcretis exercitijs in ipſam, quã deteſtantur, culpã ſubtiliter præcipitet. Quod inter-

interdum vſu venit, cùm quis verberibus aut alia dura afflictione corpus afficit. Hoc enim modo ſolet quandoque, potiſſimum in his, qui virtutem debilem habent, pollutionis fluxus etiam inaduertenter prouocari. Denique alios carnaliter ac ſedulò concitat, vt ſi nihil aliud conſequi poſſit, ſaltem eos vel impatientia ſeu murmure frangat, vel melancholia conficiat, aut deſperatione ac diffidentia, vel multa iugitate ſuperet. Mira igitur dæmonis aſtutia, milleque illius nocendi artes non ineptè dicuntur. Sed iam de pollutione nocturna (quam fragilitatē noſtri dicunt) peculiariter agamus, quę licet eiſdem penè de cauſis profluat, quibus & carnales motus in vigilantibus excitari ſolent, tamen aliquid ſpeciale in ea eſſe videtur. Ea de re vel pauca quædam perſtringamus. Pollutionem nocturnam ex triplici cauſa procedere dicit Caſſianus, ſcilicet ex ſuperfluo cibo, ex incuria mentis, ex illuſione dæmonis. Cui adſtipulatus diuus Gregorius aſſerit, eam aliquando ex crapula, interdum ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate, nonnunquam verò ex cogitatione contingere: quemadmodum in regiſtro habetur, & in Decretis Diſtinctione ſexta refertur. Quæ ſimul iungere, pleniuſque negotium ipſum cum ſcholaſticis Doctoribus proſequi cupientes, dicamus, pollutionem ipſam ex duplici cauſa generatim contingere poſſe, videlicet ex intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca eſt, vel corporalis vel animalis. Corporalis quidem, vt cū ſeminalis humor abūdans in corpore cauſa aliqua intraria ad reſolutionem atq; exitū prouocatur. Quæ res multifariā contingere poteſt, interdū, ex naturæ virtutiſq; retentiuæ debilitate, cui diſpoſitio tē-

De pollutione nocturna.

 poris

poris cooperari ſolet. Aliquando ex crapula, ſeu repletione nimia præcedentis temporis. Aliquoties ex nimia calefactione, vel alia agitatione corporis, quæ interdum per medicinam anteà ſpretam fieri ſolet. Nonnũquam ex eo quòd dormiens reſupinus iacet ſuper dorſum, quod medici quidam dicunt, & experientia probat. Denique ex abundantia humoris obſcœni, qui in medullis ſeu receptaculis anteà reſeruatus, quadam lege naturæ expellitur. Animalis verò cauſa eſt, cum pollutio ipſa ex cogitatione præcedente contingit. Quæ quidem cogitatio interdum bona eſt, vt eſt cogitatio pœnitentialis vel ſpeculatiua de peccato luxuriæ, cui tamen incũbendum eſt diſcretè, ne ex bono malum oriatur. Aliquando verò mala atque inhoneſta eſt, quæ tripertita eſt. Quædam enim eſt de re ad pollutionem non pertinẽte, putà elatio de propria caſtitate. Alia eſt de re pertinente, quæ tamẽ pollutionem pro obiecto nõ habet, hoc eſt, nec volitio, nec deſideriũ illius eſt, puta cum quis de coitu quidem cogitat, ſed de pollutione nocturna nihil. Alia verò eſt, quę huiuſmodi pollutionis volitio ſeu deſiderium eſt, vtpotè cum quis per experientiam nouit, ſe noctu ſomniatum de coitu ac pollui, de quo priùs de die cogitauit, & ita de induſtria diu cogitauit, vt poſtmodùm noctu ſomniet, & polluatur. Eo enim caſu cogitatio fœdiſſima illius pollutionis cauſa eſt, quæ & lętalis citra dubium eſt. Idem, ſi cum ea intentione ac fine ſe quiſpiam ingurgitaret, putandũ eſt. At verò cum ex alia cauſa non vitioſa procedit, non eſt imputabilis. Si verò ex cauſa culpabili, vtpotè ex crapula nimia, quando ante [illegible] eſt per pœnitentiã emendata, ipſa

Cogitatio carnalis quando ſit mortalis.

ſequens

ſequens pollutio culpabilis eſt. An verò ſit lætaliter imputabilis, dubium eſt: de quo nihil ad præſens. In eo enim caſu ſecurius eſt pœnitere, imô verò antequam eueniat ipſa pollutio, prouidendum ne contingat. Sed iam extrinſecam cauſam ſubijciamus, quæ eſt dæmonis illuſio, qui vel fantaſmata dormientis concitat, vel (ſi Caſſiano creditur) ſimplici fluxus illius egeſtione dormientem polluit. Quod quidem varias ob fraudes molitur hoſtis ille verſutus planeq; inuidus. Inprimis, vt à ſacroſancta nos communione deterreat, quod & Caſſianus aſſerit, & experientia probauit. Narrauit ſiquidem mihi doctiſſimus quidam medicus, cùm ſacroſanctam Euchariſtiam ſumpturus eſſet, & ab vxore ſua, quæ in eodem thoro iacebat, propterea abſtinere vellet, huiuſmodi fœditate nonnũquam pollutũ fuiſſe. Deinde hoc facit hoſtis, vt deuotionem impediat aut perturbet, potiſſimum dieb⁹ feſtis, quibus maiori puritate deſideramus diuino placere conſpectui. Scit enim, poſt huiuſmodi fluxum, & corporis ſequi diſcraſiam, & ſpiritum nec tam purum, nec ita collectum eſſe, eapropter non tam puriter feſtum celebrare poſſe. Porrò hoc ipſum præſumit hoſtis, vt detrimento aliquo aſtutè nos afficiat. Interdũ enim quoſdam ieiunijs intentos de induſtria polluit, vt dũ nihil ſe per ieiunium proficere ad puritatem aſſequendam, imò grauius ſe pulſari ſentiant, ipſã abſtinentiam tanquam puritatis æmulam perhorreſcant. Aliquando verò hoc attentat, vt è diuerſo non ſatis cautos ad immoderata ieiunia, vigilias, diſciplinas, cæteraque id genûs aſpera incitet, & aliquo deinde nocumento afficiat. Etiam hoc facit, vt tali vacuitate corpus afficiat,

Dæmonis illuſio.

Exẽplum.

quatenus cum ingenti difficultate ieiunij laborem ferat, ſicq; tali occaſione ieiunantē ad frangendum ieiunium facilè impellat. Nonnunquā verò hoc efficit, vt ad impatientiam, vel turbationem aliquam fraudulenter pollutus concitetur. Etenim propter huiuſmodi fluxum (in quo ſpiritus multi exhauriuntur) tam promptus atq; aptus homo non eſt ad res gerendas, ea propter facilius ad impatientiam prouocatur. Itidem cū quis vel ex officio, vel ordine ſuo rem diuinam in conuentu, ſeu cōgregatione celebraturus eſt, ſi polluantur (vt frequenter vſu venit) facilè ad impatientiam concitatur. Si enim propterea reuerenter ſe abſtinet, vix confuſionem humanā patienter ferre poteſt, cùm ſatis conijciat; alios propter huiuſmodi fœditatem ſuſpicari à ſuo ſe officio ceſſaſſe. Si verò ſe ingerat, propter ſcrupulum mordentē, facilè quoq; perturbari poterit. Deniq; hoc agit hoſtis, vt vel delectationem ex fluxu noxiā extorqueat, vel certè, quod grauius eſt, ad libidinē nefariè conſummandā, quæ inculpabiliter fortè exorta fuerat, callidè impellat. Scit enim, multos voluptatem ipſam ſentiētes, ad excitandam in ſe maiorem delectationē actu nefario, faciliter induci poſſe. Sed & qua eſt calliditate atq; inuidia, nonnunquā fantaſmata concitando obſcœnum humorem ad intrà ſolùm reſoluit, ſtatimque dormientem excitat, antequam fluxus ille obſcœnus ad extrà prorūpat, vt ſcilicet vel per cohibitionem humoris illius naturæ vis inferatur, cùm tamen interdū nihil hoc modo proficiatur, vel humore ad extra non prodeunte, quod interdum propter virtutis debilitatem contingit, grauis commotio in pudendis permaneat. Sed cur hoc vaferrimus ille

ille facit? Nempè vt tali articulo quàm periculoſiſſimo conſtitutus ſe polluat, remque nefariam admittat, aut certè ſi reluctetur, grauiſſimum tormentum patiatur. Tali enim caſu viriliter perſeueranterque reluctari, graue martyrium eſt. Hinc colligi poteſt, quàm magna ſit dæmonis inuidia, quamque mira ſit eius calliditas. Sed iam breuiter ſubnectamus ea, quæ ad continentiam iugiter ac perfectè obſeruandam cõducere ſolent. Inprimis sẽſus exteriores ſunt ab his omnibus, quæ libidinẽ excitare poſſent, pro viribus cohibendi. Fugiendæ quoque noxæ familiaritates, mala colloquia, laſciua ſcripta, imò & dulces fœminarum literæ reijciendæ, & deniq; picturæ ſeu imagines obſcęnæ prorſus eradẽdæ ſunt, deinde ieiunijs, vigilijs, alijsque aſperitatibus corporalibus viriliter, diſcretè tamen, incumbendũ. Inſuper orationi, lectioni, ſiue pio ſtudio, alijsque ſpiritalibus exercitijs diligenter vacandum eſt. Porrò vera cordis humilitas iugiter obſeruanda, ſuperbiaq; elatio prorſus relegãda, & demum fiducia de proprijs viribus ſeu virtutibus ac induſtria prorſus abijcienda eſt. Non enim putare debet cõtinens, ſe ſuis viribus vel humano ſtudio continentiam ſeruare poſſe. Non debet, inquam, propter eam intumeſcere, vel cæteris ſe præferre. Propter ſuperbiam enim multi auxilio diuino deſtituti, continentiam perdiderunt, ac turpiter corruerunt. Igitur nõ debet de proprijs virib⁹ aut virtute quicquam ſperare, ſed putare, diuino munere ſe dũtaxat aſſequi poſſe. Ad hæc, patientia quoq; ipſa iugiter retinenda eſt. Nam vt ait Caſſianus, patientia ardorem fornicationis extinguit. Quòd dictum ita capio, vt putem, per ipſam patien-

Continentiæ ſeruãdæ remedia.

Caßian. collat. 12.

tiam aliaque adiumenta libidinis ardorem in hac vita pro ratione cohiberi poſſe, totaliter autem ac funditùs (vt ipſe & Martinus eum ſecutus ſentiunt) non ita poſſe cenſeo. Etenim sẽper concupiſcentia manet, contra quam ſanè, quamdiu in hac vita ſumus, dimicandum eſt. Igitur ſi velint me ſuis in hac parte dictis aſſentire, fomitem prorſus extinguant, & vires dæmonis (qui prunas extinctas ardere facit) perpetuis vinculis ne tentet, conſtringant. Pauciſſimis (fateor) hoc munus datum putatur, ſed id ſpecialiſſimo Dei munere, quod paſſim expeti non poteſt. Denique ijs, qui tentantur, compatiendum eſt. Non enim perfectè continens putatur, qui libidinoſis non compatitur, & aliorum tentationibus non mouetur. Sed ad paupertatem tranſeamus.

CAPVT IV.

Præmiſſis multis paupertatis modis, ac declaratis quibuſdam terminis ad rem pertinentibus, agitur de ijs quæ paupertas votiua repugit. Poſtmodum de proprietatis vitio ſubiungitur, quod paupertati aduerſum eſt, vbi communes modi declarantur, quibus ipſum vitium admittitur. Et demum quatuor cauſæ ponuntur ab fugiendum ipſum concitantes.

DE paupertate dicturi, inprimis quotuplex ſit, quid ſibi velit, & ad quid aſtringat, prælibabimus: deinde de vitio oppoſito, quod proprietas dicitur, ſubnectemus. Igitur de paupertate verba facturi, dicamus inprimis, bipertitam in genere paupertatem eſſe. Quædã enim eſt paupertas ſpiritus, quæ inter beatitudines prima numeratur, & hæc eſt vera cordis humilitas, cui pro-

promittitur regnum cœlorum. Quanquam per *Matth. 5.*
ipſam paupertatem ſpiritûs, etiam accipi poteſt voluntaria diuitiarum carentia, de qua dicturi ſumus. Qui enim hoc modo pauperes ſunt, & beati ſunt in hac vita, & beatitudinem quoque ſempiternam ſunt habituri in alia. Altera verò paupertas eſt rerum temporalium, quæ verè aut certè apparenter diuitijs mundialibus caret, & hæc quidem multifaria eſt. Quædam enim ficta eſt, & apparens. putà cum quis verbis, ſignis, aut indumentis paupertatem ſimulat. Alia eſt vera, ſed coacta, quæ vel ſorte, vel conditione, vel aliena iniuria contingit. Alia eſt vera, & voluntaria; ſed indeuota, quæ videlicet non Dei contemplatione, ſed aut vanitate, aut alia huiuſmodi cauſa ſuſcipitur, qualis fuit quorundam gentilium paupertas Philoſophorum, qui diuitias contempſerunt. Alia denique eſt vera, voluntaria, atque deuota, quæ terrenis opibus Dei cauſa prorſus abrenuntiat, aut certe iniquum diuitiarum affectum abigit. Et huius quidem tres gradus inueniri poſſunt. Primus eſt, cùm affectu non autem effectu, relinquuntur diuitiæ, quem paupertatis modum ſectati ſunt olim Sancti Patres, qui ſub lege vixerunt, & nunc quoque boni Chriſtiani ſequuntur, qui diuitias poſſidẽtes, non poſſidentur ab eis, nec eis quidem fidunt, nec denique animum in earum amore ſupra modum fixum habent. Alter gradus eſt, cum & voluntate, & reipſa deſeruntur opes, nec tamen votum vllum accedit, quem gradum (qui altior quidem eſt) multi tenuiſſe putantur, qui tamen religioſis votis ſe minimè obſtrinxerunt. Tertius gradus eſt, dum & affectu, & effectu ſimul, prorſus terrenæ deſtituuntur diuitiæ, votum-

que huiuſmodi abrenuntiationi perpetuum adiũgitur, quo mentis deſtinatio permanentior, ac ſta bilior reddatur, & cęleſtes opes faciliùs, vberiuſque tandem habeantur. Et hæc quidem paupertas (quæ interdum votiua, aliquando religioſa, nonnunquam conſiliaria nuncupatur) altiſſima eſt, & à Chriſto in Euangelio probata

Matt. 19. eſt atque conſulta, cùm ait Apoſtolus: *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit*. Hæc, inquam, paupertas altiſſima diuitiarum communem patitur copiam, quippe cuius altitudini non derogat habere diuitiarum communitatem, ſed omnem à paupere religioſo abijcit proprietatem. Enimuerò, qui paupertatis religioſæ voto ſe obnoxium fecit, ita omnibus ſeculi rebus funditus abrenuntiat, vt omne à ſe ius ac dominium proprietatis, ſeu proprietatem penitus omnem à ſe abdicet, nec iam ei licet quicquam tanquam ſuum, ſiue proprium habere, poſſidere, dicere, ſeu putare. Omnia enim in relatione habenda ſunt, atque nominanda communi nomine. Nec in bonis, quæ fortè attulit quiſpiam, ſeu religioni dedit, plus iuris prætendere debet, quàm in alijs. Quæ quidem vt fiant luculentiora, & paupertatis votiuæ conditio pleniùs capiatur, non eſt ignorandum, circa res temporales ſex conſiderari poſſe: ſcilicet ius, dominium, proprietatem, poſſeſſionem, vſumfructũ, & vſum, quæ vel vtcunque

Circa res tēporales ſex conſideranda.

cũnque explananda ſunt. Igitur ius, eſt poteſtas licitè exercendi actum circa rem aliquam, vtpotè ſi quis licitè panem vendere poſſit, ius habet in panis venditione. Quantùm enim habes de poteſtate licita circa rem, tantùm iuris circa rem ipſam tibi competit. Dominium verò à multis pro iure capitur. At verò cùm Ariſtoteles dicat relationē dominij eſſe ſuperſtitionis, eam ob rē quandam Superioritatem ſeu authoritatem addit. Eſt itaq; dominium ſpecies iuris, cùm omne dominium ſit ius, & nō è diuerſo. Igitur dominium eſt ius, ſiue licita poteſtas vtendi, poſſidendi, atque habendi rem aliquam, vel ſimpliciter pro voluntate, vel ſecundùm determinatum modum cum quadam Superioritate. Ipſum autem dominium ſicut & ius diuiditur in naturale, quod ſcilicet à natura competit, & ciuile ſiue politicum, quod per diuinam vel humanam collationem alicui conuenit. Quod & in genere bipertitum eſt. Quoddam enim eſt plenum, ſiue perfectum, cùm quis tam in rei proprietate, quàm vſu eius plenum dominium habet, ita vt poſſit rem ipſam pro voluntate vel conſeruare, vel alienare. Alterum eſt imperfectum, dum in vſu, vel vſufructu dominium quis habet, ſed nō in proprietate: quapropter Dominus ſimpliciter dici non poteſt, ſed Dominus vſuarius, vel vſufructuarius. Sunt autem in particulari variæ ſpecies dominij ciuilis, putà vtile, directum, altum, baſſum, & cætera id genus. Sed iam de proprietate agamus. Proprium, ſiue proprietas eſt, dominium rei iuſtis modis quæſitum, vt dicit Hoſtienſis. Capitur autem proprium, nō ſolùm pro nuda proprietate, ſed interdum pro pleno dominio, quemadmodum dicit Panormitanus

Ariſtoteles.

in capitulo, Cùm ad monaſterium. Acquiritur autem iure gentium, & iure ciuili. Et iure quidem gentium, per occupationem, ac bellum iuſtum. Iure autẽ ciuili, multifariam, vtpotè præſcriptione, vſurpatione, arrogatione, teſtamẽto, ſucceſſione, & alijs varijs modis iure ciuili, vel conſuetudine iuſta inductis. Poſſeſſio autẽ, pro opinione iuriſperitorum, eſt corporalis rei retentio, corporis, animi, iurisque adminiculo interueniente. Niſi enim & corpore & animo, & iure quis inſiſtat, non propriè dicitur poſſidere. Non igitur fur verè poſſidet, ſed iniuſtè detinet. Vſusfructus eſt, ius vtendi & fruendi rebus alienis, ſalua rerum ſubſtantia. Non enim in rebus proprijs vſusfructus conſiſtit. Nec in rebus etiam, quæ vſu ſtatim conſumuntur, vt panis & vinum, propriè vſusfructus eſſe putatur. Nec demum in rebus, in quibus vtile dominium habetur (quemadmodum contingit in emphiteota, & feudatario) ipſe vſusfructus propriè conſiſtere videtur. Qui autem vſumfructum ipſum habet, plus iuris videtur habere, quàm qui vſum duntaxat. Nam poteſt fructus & commoditates, quæ ex re ipſa proueniunt dare, vendere, & alienare pro voto, quæ facere non poteſt, qui vſum duntaxat habet. Sed iam quid vſus ſibi velit, ſubnectamus. Qua in re non capimus vſum more Theologico, vt diſtinguitur à fruitione, quomodo vti eſt aſſumere aliquid propter aliud in facultatem voluntatis. Nec etiam capimus anguſtè, vt Iuriſconſulti capiunt, dicentes, vſum eſſe ius vtendi alienis rebus, ſalua rerum ſubſtantia. Nimis enim anguſta eſt huiuſmodi acceptio, quoniam hoc pacto in rebus quæ vſu conſumũtur, vſus nullus eſſet, quandoquidem in talibus

nequit

nequit poſt vſum,ſiue cum vſu,ſalua manere rerum ipſarum ſubſtantia. Itaq; cùm pro rei veritate,canonumq; cenſura,quis vtitur pane, cum ipſum edendo conſumit, & ſua quoq; re vtitur quis ſicut aliena, eam ob rem latiùs ſumẽdus eſt vſus,vt ſcilicet eſt ius, ſiue poteſtas vtẽdi rebus, ſuis,vel alienis, ſiue vſu conſumptibilibus, ſiue non. Vſus autem aliquando dicitur nudus, aliquando non. Vſus nudus bipertitus eſt. Quidam enim eſt facti ſolùm, quando quis re aliqua vtitur ſine iure vtẽdi, vt fur, qui re vtitur omni iure nudatus. Alius eſt vſus facti & iuris ſimul, qui fit, cùm habetur ius vtendi. Et hic quidẽ duplex eſt, quidam eſt reuocabilis, qui ſcilicet reuocari poteſt: alius eſt irreuocabilis, quando vſus conceſſus reuocari non poteſt. His itaque prælibatis, dicamus peculiariter, quænam ex his, quę dicta ſunt, à ſe reijciat paupertas votiua, & quæ nõ. Enimuerò omne ius ſimpliciter, ſiue dominiũ plenum tollit. Similiter omne proprium, ſiue proprietatem omnẽ ita abdicat, vt ſecum nullo modo pati poſſit. Itidem & omnem poſſeſſionẽ, quæ priuato nomine atq; authoritate fit, inhibet: ſed poſſeſſionem ſeu retentionem, nomine communitatis, permittit. Pecunias tamẽ habere ſeu poſſidere Cartuſianus non poteſt, vt eis pro ſuo voto vtatur, quoniam legibus ſuis interdictus eſt. Inſuper vſumfructũ abijcit ipſa religioſa paupertas: nõ enim ſinit monachũ propriè vſufructuariũ eſſe. Deniq; vſum nudũ facti, qui ſcilicet fit per omnis iuris nudationẽ, ſecũ non patitur. Non. n. licitè quis vti re aliqua poteſt, qui omni iure nudat⁹ eſt. Itẽ vsũ nudũ iuris irreuocabilẽ abigit hæc paupertas. Sed vſum nudũ diſcretè conceſſum reuocabilẽ ad nudũ Superioris

con-

concedit in rebus, quæ ipſo vſu non ſtatim conſumuntur. Concedit, inquam, vſum nudum, per totius proprietatis,ſiue pleni dominij, ac iuris ſimpliciter,excluſionem, ſed non per totius iuris nudationem. De his autem rebus, quæ ſtatim ipſo vſu conſumuntur, vt ſunt panis & vinũ (quia vſus licitus nõ poteſt à proprietate ſeu dominio ſeparari, cùm ꝑ vſum proprietas ipſa ſeu dominium, ita res tota conſumatur, quẽadmodum Ioan.22. cõtra Fratricellos declarauit) eam ob rem, quando vſus rerum huiuſmodi Monacho conceditur, conceditur & aliquod ius ſeu dominium in re ipſa, quòd ſ. in rebus huiuſmodi non poſſit haberi licitus vſus per totius proprietatis ſiue iuris excluſionẽ, nec etiam nudus vſus in eis eſſe valeat. Quod intellige, dum res ipſæ conſumuntur. Antequàm enim vſus ſit inchoatus, poteſt Superior rẽ ad vſum conceſſam reuocare, eapropter Monachus ſimpliciter dominus vel proprietarius dici non poteſt. Sed dicis: Prælati religionum ſunt domini bonorum conuentualium. Non enim videtur, ad quos ſpectet alios dominium huiuſmodi bonorum. Similiter & officiarij inferiores, vt ſunt Procuratores, domini eſſe videtur, quippè qui & emere, & vẽdere, & diſponere ad votum de rebus poſſe putãtur. Itidem, videtur ſimplicem clauſtralem proprium ſeu dominium habere poſſe, quandoquidem ius habet petendi neceſſaria vitæ. Similiter in rebus, quæ vſu non conſumuntur, ſibi conceſſis, habet ius vtendi. In talibus enim vſus licitus, non poteſt à iure vtendi ſeparari. Similiter in rebus vſu conſumptibilibus, quantum de vſu, tantum de proprietate ſibi conceditur. Igitur in hoc caſu poteſt proprietarius eſſe. Deniq;

Monachos non poſſe ſimpliciter dici dominos.

Supe-

Superioris ſaltem authoritate, peculium habere Monachus poteſt. Reſpondemus: In Conuentu treſgradus monachorum inuenire ſolere. Primus eſt Prælatorum, qui nullum in ipſo Cōuentu ſuperiorem habent, vt ſunt Abbates, & multi Priores conuentuales. Secundus eſt aliorum Officialium, Prælatis ipſis ſubiectorū, vt ſunt Procuratores, alijq; id genus rerum adminiſtrationem habentes. Tertij ſunt clauſtrales, ſiue Monachi ſimplices, qui nullam rerum adminiſtrationem habent. Quantum ad primos, diximus, eos non eſſe Dominos ſimpliciter, nec plenum habere dominium rerum conuentualium. Ille enim Dominus ſimpliciter eſt, ſiue ius, aut dominium plenum ſeu abſolutum in re aliqua habet, qui poteſt licitè re illa vti ad omnem vſum, qui circa rem ipſam eſſe natus eſt. At verò Prælati huiuſmodi proprium habere non poſſunt. Non ergò Domini ſunt abſolutè, nec ad eos rerum ipſarum proprietas pertinet. Quæris igitur: ad quem? Nempè ad totum conuentum, ſiue cōmunitatem abſolutè. Ad Prælatum tamen dominium rerum ipſarum principaliter pertinet, tanquam ad principalem adminiſtratorem & diſpēſatorem, qui & aliquo modo Dominus eſt, ſed non abſolutè, vt diximus. Siquidem tota poteſtas monaſterij ad Superiorem pertinet. 12. q. 2. Nullum. Ea de re plus iuris, ac dominij habet, quàm cæteri: vtpotè cuius nutu & voluntate omnia in monaſterio fieri, ac diſtribui habēt. Cęteris autem per accidens, ac ſecundum quid, ius quodammodo pertinet, vt ſunt partes communitatis, quibus licèt debeatur ſuſtentatio vitæ, non tamen poſſunt agere ad diuiſionem bonorum, nec dicere quoq; poſſunt vnam partē vni, &al-

Tres gradus Monachorū.

Dominus quis.

& alteram alteri pertinere. Vides igitur vt bona ipſa ſint totius communitatis ſimpliciter, & nullius particularis abſolutè. Quibus animaduerſis, facilè eſt conficere, Prælatos in huiuſmodi negotio grauiter errare poſſe. Inprimis quidem, ſi ſe dominos ſimpliciter, ſeu plenum in rebus cõuentualibus dominium habere vel putent, vel dicant, vel hoc modo vtantur. Sic enim proprietatis vitium admitterẽt. At verò extra materiam hanc proprietatis, nonnunquam eos peccare vſu venit: vtpotè ſi infideliter, ſeu indecenter, ac iniuſtè bona ipſa diſpẽſent. Quod quidẽ vno modo cõtingere poteſt, ſi denegẽt ſubditis ea, quæ regularis Inſtitutio, ac neceſſitas miniſtrari flagitat: hoc enim modo inhumanam faciunt iniuriam. Alio verò modo contingere poteſt, ſi è diuerſo ea tribuant, quæ vel ordinationes regulares prohibent, vel ratio ipſa vetat. vtpotè ſi tribuantur, quę ad ſtatum non pertinent, vel etiam nimium ſuperflua, vel deniq; ea, quibus ſubditus malè vti putatur: hoc enim pacto liberalitas liberalitate perit. Hinc Hieronymus in regula dicit: Præter victum, & veſtitum & manifeſtas neceſſitates, nihil cuiquam tribuas. Quod intellige, cùm dantur ad peculiarem vſum. Poſſunt enim multa nomine communitatis ſeruãda monacho fideli tribui, qui in eo caſu ſuperfluũ habere minimè putandus eſt. Multa quoque tribui poſſunt monachis, quibus vel pro ſua neceſſitate, vel vtilitate religionis, ſeu Reipublicæ, opus eſt, vt ſunt libri, qui viro docto tribui in multa copia poſſunt, quando eis diſcretè ad communẽ vtilitatem vti nouit. Quod enim hoc modo tribuitur, ſuperfluum dici non debet. Videant igitur, qui monachis ſuperflua petentibus innuũt,

Monacho quæ tribuenda. Hierony.

in ſuam, petentiumq́; perniciem. Superfluum enim vel dare, vel accipere noxium eſt, imò verò (ſi Hugoni creditur) mortiferum. Quod tamen ipſe viderit, cùm ſatis in hoc leuiter loqui videatur. De cæteris autem officiarijs breuiter dicamus, eos nihil facere licitè poſſe, niſi quantum ſtatuta regularia, vel Superioris concedit authoritas. Eam ob rem recurrere debent ad Superioris arbitrium in his, quæ expreſſa non ſunt. Cùm ergò per ſtatuta ipſa non datur ſufficiens poteſtas, quæ ad exequenda huiuſmodi officia exigitur, opus eſt, vt eam à Superiore habeant. At quoniam cum abſentes ſunt, interdum multa contingunt, quæ præuideri non poſſunt, ſi vrget neceſſitas, poterunt negotium neceſſarium expedire, modò fideliter ac decenter faciant, proponantq́ue habita opportunitate, ſe Prælato dicturos, quæ vel fecerint, vel quantum ſufficere videbitur. Alioqui præuaricantur. Eapropter videant, quid agant, qui vel pro ſe, vel alijs (quibus afficiuntur) emunt, vel tradunt, quæ ex ſtatuto non debentur, inconſulto ſuo Superiore, aut inuito. Itidẽ, qui ædificant, aliaq́; faciunt, quæ ſatis nôrunt Superioribus grata non fore, vbi reſcita fuerint. Denique de alijs Monachis, ſcil. clauſtralibus, dicimus, eos nihil habere poſſe proprietatis ſimpliciter. Proprium enim habere, eſt contra ſubſtantiam Monachatûs. Habent tamen quandam proprietatem ſecundùm quid, in rebus quas conſumunt, ſed Superioris authoritate cum vſu habent, quæ non derogat ſtatui monachali, quandoquidem neceſſariò ad vſum licitum cõſequitur. Item habent ius quoddam naturale, in petendis accipiendiſque neceſſarijs, vtendiq́; eis. Sed hoc non conficit, eos

ius

ius vel dominium ſimpliciter habere, ſeu proprietarios eſſe, vel etiam peculium habere poſſe. Siquidem peculium etiam iure Canonico prohibentur habere Monachi, niſi pro iniuncta adminiſtratione, Extrà de ſtatu mon. c. Monachi. Peculium autem eo in loco dicitur proprium, ſiue proprietas, quemadmodum Panormitanus exponit. Cæterùm ad vitium propietatis tranſeamus. Qua in re duo nunc diſcutienda ſunt; primum, quonam pacto vitium ipſum admittatur: Alterũ, quæ inducere nos debeant ad vitandum tam deteſtabile crimen. Primum aggredientes, dicimus proprium, pro ſententia Ioannis Andreæ eſſe quicquid cælatur Prælato, vel tenetur contra voluntatem eius. Verùm hoc dicere non ſufficit, cùm & ipſe Prælatus (vt diximus) vitium proprietatis admittere poſſit. Panormitanus autem ſecutus Ioannem, aliosq; Canoniſtas, dicit, Monachum habere proprium, cum non habet adminiſtrationem, & aliquid tenet, illud celando Abbati. Sed hoc quoq; dicere non ſatis eſt. Nonne & ij, qui adminiſtrationes habẽt, vitio proprietatis infici poſſunt? Poſſunt ſanè, vel potiùs inſanè poſſunt. Eam ob rem his prætermiſſis, dicamus vitium proprietatis trifariam in genere committi poſſe. Primò quidem, interiùs ſolo corde, cùm ſcilicet proprietas, dominium plenum, aut aliquid eorum, quæ paupertatem votiuam refugere, & Monachis prohibita eſſe, ſuprà diximus, in rebus communibus etiam ſolo corde prætenditur. Hoc enim ſi deliberato, plenoq; conſenſu interius admittatur, lætale piaculũ eſt, alioqui non oportet mortiferum eſſe proprietatis vitium. Qui hoc modo duntaxat peccat, pœnitentia quidẽ illi opus, ſed

De vitio proprietatis.

Ioannes Andreæ.

Panormitanus.

Proprietas voluntatis quãlo eſt mortalis.

ſed in pœnas iuris poſitiui ob mentalem non incidit proprietatem, quæ & voluntatis proprietas nuncupatur, quę fit, vt iam diximus, cum voluntas plenè conſentit in his, quę votiua paupertas ſecum non patitur. Tametſi proprietas voluntatis interdum generaliùs dicitur mala voluntas, ſeu affectio malæ voluntatis, quæ Deo ſe non ſubijcit vt decet, quomodo capit D. Bernardus, cùm dicit: Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit. Sed in propoſito non tam latè capitur. Deindè poteſt admitti vitium proprietatis voce, ſiue ore, cùm aliquid eorum, quæ dicta ſunt, voce prætenditur, ſiue aliquid ſuum, aut ſibi proprium à quouis eſſe dicitur. Qui igitur verbis proprietatem ſonantibus vtitur, perperam agit, vtpotè cùm dicit: Hic liber eſt meus, hæc veſtis mea eſt. Quod accipiendum eſt, cum de rebus temporalibus, in quibus propriè vitiũ proprietatis admitti poteſt, agitur. In alijs tamen rebus, vt rerum, ita & verborũ communitatem quidam Nouitius obſeruabat, qui ſcilicet à præceptore ſuo imbutus, vt nihil ſuum eſſe diceret, cùm febre laborans interrogaretur à patre, quomodo ſe haberet: malè, inquit, quia febris noſtra me grauiter vexat. Cui Pater: Noli fili dicere noſtra febris, ſed mea. Tibi enim propria eſt, nihilque in ea commercij vult Conuentus habere. Sed quærit quiſpiam: Si quis verbis vtatur proprietatis, an lætaliter peccet? dicimus, eum, ſi id faciat ex contemptu, mortaliter agere, maximè ſi induſtria animoq; aſſertiuo hoc faciat: ſin ex inaduertentia, aut leuitate, veniale duntaxat committere. Conſuetudinem tamen ipſam omninò cauendam eſſe, nullus eſt, qui hæſitet. Denique opere ipſo (quod grauius eſſe ſolet)

Bernard.

Proprietas vocis quãdo eſt mortalis.

vitium proprietatis admitti poteſt. Quod generatim fieri poteſt accipiẽdo, retinendo, emẽdo, alienando, ac demùm rebus communibus tanquàm proprijs temerè ac propria voluntate vtẽdo. Accipiendo inprimis indebitè, vtpotè quando propria authoritate ſubditus recipit, ſiue hoc fiat clanculum, ſiue (quod peius eſt) apertè, contra Superioris voluntatem, quod & proprietatis, & inobedientiæ crimen eſt. Sed quid? Si Prælato vel Superiore abſente quicquam muneris ſubdito monacho pręſentetur, nonne capere poterit? Videtur inprimis, ſi res dilationem ferre poſſit, differendum eſſe. Nam in capitulo, Cùm ad monaſterium, Extra, De ſtatu mo. dicitur, ſi quicquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatũ, non præſumat illud accipere, ſed Abbati vel Priori, vel cellario aſſignetur. Sin verò recuperari poſtmodum nequeat, aut fortè monacho extra clauſtrum conſtituto aliquid donatur, recipi quidẽ tum poſſe, ſi tamen duo fideliter obſeruentur. Primum, vt probabilis coniectura de Superioris voluntate habeatur, vtpotè quia res vtilis atque honeſta eſt, & Prælatus ipſe rerum huiuſmodi recipiendarum facultatem impertiri ſolet. Alterum eſt, vt aſſit bona voluntas oſtendendi ſcilicet, ac exponendi voluntati Superioris cùm aduenerit, ſi tamen res ipſa conſeruari illucuſque in ſua integritate commodè poſſit. Hæc eſt licentia præſumpta, quæ ad vitandum proprietatis crimen ſufficere interdum putatur. At verò recipere, cum veriſimile eſt, Prælatum nunquam eſſe permiſſurum, itidem cùm res ſic recepta aduentũ Superioris expectare poteſt, ſed fraudulẽter ſtatim abſumitur, ne Superiori relinquatur libera diſponẽdi facultas, quis

hæſitát, huiuſmodi receptionẽ & paupertati votiuæ,& ſtatutis regularibus aduerſam eſſe, quæ nõ modò citra Superioris autoritatem recipere, ſed etiã quicquam à ſecularibus petere vetãt? Et rectè ſanè. Ex his enim petitionibus contra pudorem, diſciplinamq́; regularem factis non parùm ſecularibus ipſis (à quibus petitur) ſcandali datur. Quapropter non deberent Superiores, vbi aliquid impudenter fuiſſe petitum reſciuerũt, petẽtibus ipſis cõcedere, ſeu ad vſum dimittere. Sed reliqua proſequamur. Retinẽdo quoq; propria authoritate vitium proprietatis cómittitur, ſiue clanculum, ſiue apertè hoc fiat, quemadmodum de receptione dictum eſt. Contingere enim poteſt, vt res non malè accepta, perperàm retineatur, cùm ſcilicet contra voluntatem Superioris poſſidetur, vtpotè ſi inferior quicquam vel deſerere, vel alteri tradere iuſſus, hoc ipſum facere detrectet. Itidem ſi fraudulẽter aliquid occultet, ne Superior ſupellectilem eius viſitãs, forſan ab eo auferat, ſi reperiret. His enim caſibus vitium proprietatis retinendo cómittitur. A quo vitio immunis prorſus non eſt, qui nihil quidẽ occultat, vehementer tamen deſiderat aliquid, quod ſibi gratum eſt, à Superiore viſitante non videri, ne fortaſſe auferatur ab eo. Debet enim religioſus (niſi pręuaricator eſſe velit) animum ſemper habere paratum ad reſignanda omnia quę tenet, ad Superioris arbitriũ. Alioqui nec ſe, nec ſua plenè reliquit. Sed quæris: ſi quiſpiam ea ſit mentis affectione, vt ei graue ſit & difficile, rebus gratis viduari, malit tamen hoc fieri, quàm fœda vel inobedientiæ, vel proprietatis labe contaminari, an propterea ſuæ profeſſionis præuaricator dicendus ſit?

Reſpondemus, præuaricatorem non eſſe, ſed illam, quàm patitur, difficultatem ſatis conficere, eum à rerum terrenarum amore prorſus defœcatum non eſſe. Eum verò, qui libens hoc permittit, paupertatẽ habere ſyncerior ẽ. Porrò in emendo propria authoritate, vitium proprietatis à ſubdito committi poteſt. Qua in re diligẽter animaduertẽt Procuratores, qui aliquid pro ſuis vel alienis vſibus extra ordinarium, ſiue à ſtatutis non conceſſum, citra facultatem emere præſumunt. Enimuerò non ſunt à proprietatis fęditate immunes, quando ſine generali vel ſpeciali Superioris facultate hoc faciũt. Niſi forſan contingeret, eos quicquam huiuſmodi emere, ꝙ Superiorem eſſe probaturũ, bona fide putarent. In his enim alijsq; id genus multum facit bona fides, bonaque voluntas. Sed de his iam dictum eſt. Adhęc vitium proprietatis per alienationem ab inferiora ſua authoritate factam cõmittitur. Capimus autem alienationem in propoſito latiſſimè, vt complectitur vendicationem, donationem, permutationem, locationem, & emphiteoſim. Item commodationem, mutuationem, & hypothecam. Nihil enim horum ſubdito propria authoritate facere licet. Sed quæris, an Subditus ſit ſemper apud Deum ſecurus, quando habita ſuperioris facultate aliquid prædictorum facit? Dicimus, non ſemper ſecurum eum eſſe. Inprimis ſi Superior patenter, enormiterq; abutatur poteſtate ſibi conceſſa, neuter ſecurus eſt. Deinde ſi mendaciter, fraudulenter aut aliquo tali modo facultatem huiuſcemodi inferior adeptus ſit: vtpotè mendaciter dicendo, quæ Superiorem ita mouerit, vt ſine eis poteſtatẽ facturus nunquam fuiſſet, vel tacendo ea, quæ ipſum

pror;

prorſus auocaſſent, ſi ab eo cognita fuiſſent, inferior ipſe tutus non eſt. Sed vltimum proprietatis exterioris modum tangamus, dicentes, vitiũ proprietatis etiam admitti, quando quiſpiam profeſſus rebus ſibi ad vſum conceſſis, tanquam ſuis, vel ſibi proprijs vtitur. Qui in re diligenter conſiderent quid agant hi, qui demoliuntur arbores, parietes, & cætera, quæ interdum ſumtuosè facta ſunt, & è diuerſo, qui ædificant, aut alia ſumptuoſa vel apertè, vel clãculum faciunt, nulla quidem habita facultate, ſed propria authoritate, & bona communitatis pro ſuo voto alienant, atq; partiuntur, quibus volunt. Nonne cum proprietate, etiam inobedientiæ vitium quandoque admittunt? præſertim cùm ſtatuta *24. ſecun. par. an. 6.* Cartuſiana dicant, eum, qui per profeſſionem ſuſceptus eſt, deinceps ita ab omnibus, quæ mũdi ſunt, alienũ eſſe, vt nullius prorſus rei, nec ſui quidem ipſius, ſine Prioris licentia poteſtatem habeat, & talia quoq; fieri ſine Superioris facul- *22. eiuſ. par. §. 25.* tate non ſinant. Itaq; debent omnes, qui ſuæ ſalutis curam gerũt, ab huiuſmodi proprietatis vitio, quã poſſunt diligentiſſimè ſeipſos elongare, quandoquidẽ vitiũ impensè fugiendũ eſt, quod multifariam oſtendere certum eſt. Ad ipſum ſiquidem crimen prorſus fugiẽdum, quemuis religioſum quatuor generatim incitare debent: ſcilicet peccati grauitas, prohibitio multiplex, exempla multa, & pœna deniq; grauiſſima. Inprimis grauitas hui⁹ criminis prorſus ipſum deteſtari ſuadet. Eſt enim peſſimum auaritię vitiũ, eſt furtum ingens, quòd contrectatio ſit rei alienæ inuito domino. Eſt dirum Sacrilegiũ, vtpotè furtum rei Sacræ. Eſt peccatum turpis proditionis: quandoquidem proprietarius totam prodit com-

Ioan. 12. Communitatem, cuius ſcil. loculos inſtar Iudæ Scariothis depilat. Eſt & peccatum quodāmodo *Eccle. 5.* infidelitatis, Deo quàm ingratiſſimum: quippè cui vehemẽtiſſimè diſplicet infidelis promiſſio. Eſt enim apoſtaſia apud ipſum Deum, apud quẽ ſcilicet plùs habitus interioris, quàm exterioris dimiſſio ponderatur. Eſt quoque crimen, & turbatiuum communitatis, & religionis eneruatiuum. Quid enim magis cõturbat religionis ſtatum, quã proprietas? Quid, inquam, plùs ſubuertit religiones, easque diſſolutas fecit, quàm hoc deteſtabile crimen? Denique horrendum portentum eſt, quippè quòd proprietarium ad nihilum penè redigit, eumque nullius momenti ef-*Hierony.* ficiat. Siquidem vt ſacer Hieronymus ait, Monachus habens obolum, non valet obolum. Sed iam alterum tangamus præcipuum, quod ipſum proprietatis vitium omnibus (vt aiunt) pedibus fugiendum eſſe conficit, hoc eſt, prohibitio multiplex. Siquidem prohibetur inprimis lege diuina, quæ præcipit ac cenſet, vota Deo red-*Num. 30.* denda eſſe. Prohibetur & lege Canonica, quæ *Pſ. 49. 75* hoc crimen interdicit, potiſſimum. Extra, De *Eccle. 5.* *Naum. 1.* ſtatu monachorum, capitulo, Monachi, vbi dicitur: Monachi non pretio recipiantur in monaſterio, nec peculium permittantur habere. Et capitulo, Cùm ad monaſterium, eodem titulo, hoc modo dicitur: Perhibemus quoque diſtrictè in virtute obedientiæ ſub obteſtatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat, ſed ſi quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti reſignet. Adde quòd legibus Cæſareis crimen furti ac ſacrilegij grauiter punitur: at proprietas eſt furto, ſacrilegioq; immanior. Deniq; prohibetur legib.

par-

particularibus, præſertim regulis ac ſtatutis religioſis, in quibus ſunt Cartuſiana, quæ multis in locis vitium ipſum deteſtantur, grauibusq; pœnis in proprietarios animaduertunt. Cæterùm exẽpla multa declarant, ipſum proprietatis flagitiũ, prorſus eſſe fugiendum. Etenim tempore Ioſuę, propterea quòd Achan ſacrilega manu quædam de anathemate furtim vſurpare, & nefas in Iſrael admittere præſumpſit, totus Iſrael anathemate pollutus fuiſſe, & propterea ante hoſtes ſuos ſtare non poſſe, ac denique Achan ipſe populi turbator, quia turbauerat Iſrael, in valle Achor exturbatus, lapidibusq; confectus, ſuæ temeritatis pœnas dediſſe Ioſu. 7. refertur. Deinde tempore Apoſtolorum (quemadmodum cap. 4. Apoſtolicorum Actuũ pater) Ananias cum Saphira vxore ſua, propter fraudem de pretio agri factã, præſenti morte conſumptus fuit. Quæ res præſentibus immenſum timorẽ incuſſit, & poſteros (vt Caſſianus ait) tanto timore compreſſit, vt quandiu illius durauit memoria, nullus hoc vitiũ admittere auſus fuit. Inſuper cùm frater quidam, referente Hieronymo, parcior quàm auarior, centum ſolidos (quos texendo acquiſierat) in morte reliquiſſet, ſancti Patres (in quibus erant Macharius, Pachomius, & Iſidorus) inito cõſilio decreuerũt, cenſueruntque, eos in terra cum eo infodiendos. Hinc tantus terror cunctos AEgypti monachos inuaſit, vt clanculum vel ſolidum habere ingens crimen putaretur. Alijs demùm exemplis ac experiẽtijs permultis ſatis monſtratum eſt, huiuſmodi peccatum omninò cauendũ ac euitandum eſſe. Denique, vt pœnæ tangantur, quæ ad vitium huiuſmodi fugiendum concitare debent, tùm in vita tùm in morte, tùm

Ioſue. 7.

Actor. 4.

poſt mortem, hoc crimen grauiter, multifarieque punitum legitur. In vita enim, qui de proprietate fuerit conuictus, pro Iuris Pontificij cẽſura, debet ab altaris miniſterio remoueri, Extra. de ſtatu monachorum, c. Monachi. Debet & à monaſterio expelli, queadmodum eodẽ titulo, Capitulo, Cùm ad monaſteriũ, cauetur. vbi ſic habetur: Si proprietatem aliquam fuerit deprehenſus habere, regulari monitione pręmiſſa, de monaſterio expellatur, nec recipiatur vlterius, niſi pœniteat ſecundùm monaſticam diſciplinam. Vbi nihilominùs gloſſa putat, eũ in arctius monaſteriũ retrudi, vt pęniteat potius, quã quòd euagari permittatur. Quod & mihi honeſtiùs ſecuriuſq; videtur, præſertim cùm præuaricatores monachi expulſionis pœnam interdum paruipendentes, euagationis cauſam lætantur ſe inueniſſe. Quantum verò ad Cartuſianũ ſtatum ſpectat, olim qui de proprietatis crimine conuicti fuerant, de Ordine expellebantur, ſi vltra valorem trium ſolidorum aliquid occultandi animo retinuiſſent, vel dando aut alienãdo domum grauaſſent. At quoniam his temporibus nullus Monachus (& rectè quidem) ab Ordine expellitur, ſed pro qualitate criminis alia pœna mulctetur, eam ob rem nec ipſi proprietarij expelluntur, ſed in carcerem conijciũtur, qui modo prædicto exceſſerint, aliâs Prioris arbitrio rigidè puniuntur. Adde, quotannis ſententiam excommunicationis maioris fieri in proprietarios ipſos, qua ligantur, qui crimen furti, vel alienationis commiſerint, vel proprietarij vltra valorem triũ ſolidorum, ſimul vel per partes extiterint. Sed curnam (dices) magis excommunicantur proprietarij huiuſcemodi, quàm cæte-

Ca. 22. ſecund par. an. §. 19. 20.

9. ſecun. 10. §. 5.

cæteri criminoſi ? Nempe quia hoc deteſtabile crimen ſit,& religionis diſſipatiuum,& mirum in modum periculoſum. Ea de re pœna hæc ſpiritualis(quæ valdè timenda eſt,vtpotè quæ multos miſeros habeat effectus) à patribus adiecta eſt,vt magis ac magis à tanto flagitio monachi arceantur,vt qui corporalibus pœnis cohiberi palam non poſſunt,putà qui clanculum vitium ipſum admittant, hac ſaltem animaduerſione ferirētur,etiam qui occultè delinquerent, vt ſic ſaltem à ſua inſania reſipiſcerent. Ad hæc proprietarij in morte puniuntur, vtpotè qui interdum ſubita inopinataque morte pereunt. Aliquoties quoque ita obſtinati ſunt, vt nec confiteri,nec ſacramenta ſuſcipere velint. Aliquando mente capti fiunt, vel (quod grauius eſt) furia correpti inſaniunt. Nonnunquã in deſperationem incidunt. Denique alijs miſeris modis animam agunt. Quibus exemplis ac detrimentis non ſolùm antiqua,ſed etiam præſentia tempora,nimis,prô dolor,referta fuēre.Deniq; poſt mortem punitur,& proprietarij corpus, & anima.Corpus(ſiquidem,quòd inter fratres capere ſepulturam non debet:Extra,de ſtatu monachorum,capitulo,Monachi.Sed & non tãtùm Chriſtiana ſepultura priuandum eſt,verùm etiã ſi in Eccleſia vel cœmiterio ſepultum fuerit (ſi ſine maximo ſcandalo fieri poteſt (eijci debet, eodem titulo,Capitulo,Super quodam. Denique, quod adhuc grauius eſt,debet extra monaſteriũ in ſterquilinio cum ſua proprietate ſepeliri, quod in cap.Cum ad monaſteriũ, hoc modo cauetur: Quod ſi proprietas apud quenquam inuenta fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra monaſterium in ſterquilinio

Sepultura proprietariorum. ſubterretur, ſecundùm quod beatus Gregorius narrat in dialogo ſe feciſſe. Vides, vt iura proprietarium cenſeant turpiori, quàm aſinum, ſepultura dignum. Quibus ſtatuta Cartuſiana conſentiunt, cum ita dicunt. Defuncti in furto, vel *31. 2. par. ca. 9.* proprietate, tam duodecim denariorum, quàm infra, in cœmiterio non ſepeliantur, & etiam ſepulti extrahantur, vt à cæteris crimen furti & proprietatis cautius euitetur. De anima verò proprietarij dubium non eſt, eam grauiſſimis pœnis, & eis quidem ſempiternis, iugiter cruciari: quod & exemplis monſtratum eſt, quæ breuitatis cauſa reticeo, & iuſta de cauſa ſuffragijs viduari. Nam pro miſero proprietario nec oblatio quidem fieri debet, ſi in extremis peculiũ inuentum fuerit, niſi dignè pœnituerit, Capitulo, Monachi. Adde, pro cenſura Cartuſianorum *1. ter. compi. 33.* ſtatutorum, nullum officium proprietarijs deberi, poſtquàm crimen eorum detectũ eſt. Quibus animaduerſis, planè infœlices ſunt Monachi proprietarij, qui pro rebus labentibus tantis ſe diſcriminibus exponunt. Sed, quid dico pro rebus labentibus? imò verò pro vaſculo, pro libello, pro vtenſili paruulo, aut demùm pro re quauis futili, nulliuſq; penè momenti, tanta ſubire detrimenta non trepidant? Nonne obſecro inſani videntur, qui interdum multa magnaque bona in ſeculo deſerentes, pro exiguis rebus, perpetuis ſe tormentis obnoxios faciunt? Haud dubiè pluſquàm inſani ſunt. Reſipiſcant igitur miſerrimi, qui eiuſmodi ſunt, & veram amplecti paupertatem ſtudeant. Sed iam ſatis de ipſa paupertate, vitioque proprietatis aduerſo dictum eſt. Itaque reliquum eſt, de ſtabilitate breuiter ſubnectere.

CA-

CAPVT V.

Quotuplex ſit ſtabilitas,& quid ſibi velit: deinde quot modis contra eam agatur. Poſtremæ cauſæ ſubnectuntur,quæ ad eam fixe tenendam concitare debent.

DE ſtabilitate igitur breuiter dicamus,quid ſibi velit:deinde quomodo per inſtabilitatem ſibi aduerſam peccetur:poſtremò quid ad ipſam retinendam, & inſtabilitatem vitandam mouere debeat.Primùm aggredientes,dicimus, ſtabilitatem ipſam (quæ interdum perſeuerantia dicitur)bipertitam eſſe: quædam enim eſt ſine voto,altera autem votiua eſt.Quæ voto deuincta non eſt,animi virtus eſt:qua in cœpto opere (quamdiu ratio dictauerit)fixè perſeueratur. At verò ſtabilitas religioſa eſt, per quam in ſtatu religionis aſſumpto iugiter,ac perſeueranter ad finem vſque vitæ Dei contemplatione ſiſtitur. Hæc igitur monachatum,ſiue ſtatum monachalem principaliter reſpicit.Reſpicit & nihilominus locum ſiue habitaculum.Etenim qui ad ſeruandam ſtabilitatem ſe voto aſtrinxerunt, imprimis tenentur, nunquam monachatum propria authoritate vel deſtituere,vel etiam deſerere velle.Diximus,propria authoritate ,vt intelligeres,monachum ſummi Pontificis authoritate, pro grandi cauſa Rempublicam tangente (non autem pro quacunque cauſa(monachatum deſerere poſſe: licet quibuſdam videatur , nec ſummum quidem pontificem in ipſo religionis voto diſpēſare poſſe.Sed vtcūq; res habet, tenetur monachus ſtatū aſſumptū(vt diximus)perſeuerāter tenere,nec ei licet ab eo reſilire.Deinde tenetur,nunquam propria temeritate ſepta monaſterij , ſeu terminos ſibi præfixos egredi, nec

Monachus an poßit monachatū deſerere.

nec de monaſterio quoq; in monaſterium aliud voluntate ſua transm grare, nec denique per licitam Superioris facultatem in itinere conſtitutus, notabiliter à recto itinere ſcienter diuertere. Sed iam dicamus, quomodo lædatur votiua ſtabilitas, & inſtabilitatis vitio laboretur. Inprimis, qui monachatum vel ſua propria authoritate, vel etiam aliena, atque ſuprema (ſi fortè fieri poſſit (ſine rationabili atque vrgēte cauſa deſerunt, grauiſſimum inſtabilitatis flagitium cōmittunt. Qua in re videant, qui diſpenſationes ſibi procurant, vt vitam monachalem probè obſeruatam deſtituant, & laxiorem vitam arripiāt. Non enim tuti ſunt apud Deum. Vbi enim fortaſſe monaſticum pondus ferre nequeunt, poteſt per Superiorem rigor mitigari, prorſusque aliter conſuli, vt non ſit mutatione opus. Itaq; ſuis diſpenſationibus, qui tales ſunt, non innitantur, ſi ſapiunt. Qui autem prorſus regularem vitam deſerunt, & ad ſecularem redeunt, quis dubitat, eos turpiſſimorum canum inſtar ad vomitū rediiſſe? Sed ad alios properemus. Alij offendunt, qui non reipſa, ſed mente propoſitū ipſum monaſticum deſtituunt, & inſtar filiorum Iſrael in AEgyptum reuertuntur, ſuſpirātes ad ollas carnium. Hi etenim mundanas delitias, quas miſſas fecerant, deſiderantes, ac ſtabilitatis præuaricatores nunquam in religione proficiunt. Sunt autē alij, qui pericula difficultatesq; religioſæ vitæ conſiderantes, vellent tanto iugo colla nunquā ſubmiſiſſe, quos ſi tales ob tentationes, ſuſcepti propoſiti omninò pœniteat, præuaricantur. Sin verò ea ſint affectione, vt ſi liberum eſſet, non ſuſciperent, ex quo tamen ceruicem ſuppoſuerunt, perſeuerare intendunt: tolerabiles quidem

Exod. 16.

ſunt,

ſunt,ſed ad altiora tendant, operepræcium eſt. *Fugitiui.*
Alij inſuper ſunt,qui terminos ſibi præfixos temerè prætergrediuntur,quos fugitiuos vocant, qui peccatum furto grauius admittunt, videlicet corpus,fortunæ bonis dignius (in quo nihil huiuſcemodi iuris habent)inſtabilitatis aura cōmoti,à monaſterio tollunt,& hi planè inſtabiles ſunt.Sed & ſi extra monaſterium temerè habitū *Apoſtatæ.*
dimittant,apoſtatæ fiunt. Qui omnes grauibus pœnis ſubijciendi ſunt, quemadmodum & iure communi, & ſtatutis Cartuſianis ſatis cautum eſt.Alij verò,qui de loco ad locum habita Superioris(in cuius hoc poteſtate eſt) licentia ſeu facultate migrant,ſed quia perperam ac mendaciter obtinent,eam ob rem quoad Deum inſtabiles iudicantur:nulla(fateor)in hoc caſu pœna ab homine imponitur,quippe, qui cor non intuetur,ſed ipſe *ſcrutans corda & renes Deus*, dignum *Pſal. 7.*
(niſi reſipiſcant)eis ſupplicium parat. Hic animaduertant, qui indignatione, tædio, leuitate, aut alia quauis inepta cauſa vehementer permoti,ſuas domos,in quibus ſi rectè viuere licet, reipſa deſerunt,ac importunitate nimia ſe aliò cōferendi poteſtatem obtinent,vel etiam hoc ſolo corde ac animo, pleno tamen conſenſu pertractant,an ſint ab inſtabilitatis vitio immunes? Minimè quidem.Sed huiuſmodi malè proficiētes monachi(præſertim quando in odium Superiorum ſuorum,vel vt lautius viuant,omniaque pro voto faciant)domos quaſdam, in quibus nō ſatis obſeruatur vita regularis,etiam obtenta facultate adeunt, de inſtabilitate plurimum notādi ſunt. At verò ſi per Superiores mittātur,ſecus ſentiendum eſt. Hoc etiam loco diligenter aduertant officiales, qui ſuarum obedientiarum
præte-

prætextu, pro nulla, vel leui cauſa contra mentem Patrum, domos terminoſque egrediuntur,
4. ſecũdæ en. 4. interdumque multas faciunt impenſas quibus domos ſuas grauant. Itidem qui pro alienis negotijs tractandis ſub quodam miſericordiæ velamine foràs proficiſcuntur contra ſtatutorum cenſurã, & cæteris non exemplum ſtabilitatis, ſed murmurationis cauſam præbent, alijs quidem proficientes, ſed ſibi nocentes. Denique qui foras profecti moras longas plus debito protrahunt, & quàm fieri poteſt tardiſſimè ad conuentum redeunt, an ſint ab inſtabilitatis vitio immunes? Non puto immunes eſſe, cùm nonnulli eos quoad Deum fugitiuos eſſe arbitrentur. Quod an verum ſit interim pendeo, cęteriſque diſcutiedum relinquo. Sed de his hactenus. Iam verò breuiter ſubnectamus cauſas, quæ ad ſtabilitatem iugiter amplexandam, & fugiendũ inſtabilitatis ſpiritum concitare debent. Inprimis ſunt authoritates id ſuadentes, in quibus eſt
Matt. 10. illa Saluatoris dicentis: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et è diuerſo, *qui mittit manum ad aratrum, & reſpicit retrò, non eſt aptus regno*
Luc. 9. *Dei.* At verò inſtabilis monachus non perſeue-
Hier. 14. rat, ſed iuxta dictum Hieremiæ, *dilexit mouere pedes ſuos, & non quieuit, & Domino nõ placuit.* Exemplis quoque ſatis oſtenditur, ſtabilitatem eſſe
Gen. 4. tenendam. Nam Abel in agrum egreſſus à fra-
3. Reg. 2. tre occiſus eſt. Semei quamdiu in Hieruſalem ſe continuit, vitam ſeruauit. At vbi exiuit, ſtatim morte conſumptus fuit. Dina egreſſa, vt re-
Gen. 34. gionis filias videret, rapta & compreſſa eſt. Similitudinibus quoque, ſiue comparationibus hoc idem conficitur. Arbores enim quæ frequenter tranſplantantur, nunquam fixas radices agunt.
Vinum

Vinum quoque,quod frequentius de loco in locum mutatur,facilè corrumpitur. Piſces qui ſæpè transferuntur,nunquam proficiunt. Scholaſtici inſtabiles nunquam literarum peritiã conſequi poſſunt. Denique nihil operis ad finem deducere poteſt quiuis artifex, niſi perſeuerantia comes affuerit.Ea de re monachus nunquam proficiet,niſi ſtabilis fuerit.Hinc Apoſtolus rogat fratres,vt operam dent,vt quieti ſint, Et Seneca quoq; probè admonet, cũ ait: Vt animum poſſis cõtinere, primũ corporis tui fugam ſiſte. Quibus Bern.aſſentiens inquit. Impoſſibile eſt hominẽ fideliter figere in imo animum ſuum, qui non priùs in aliquo loco perſeueranter affixerit corpus ſuum.Nam qui ęgritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur, ſic eſt, ſicut qui fugit vmbram corporis ſui, ſeipsũ fugit,ſeipſum circumfert,locum mutat, non animum,eũdemq; ſe inuenit, niſi quòd deteriorem facit ipſum mobilitas,ſicut lædere ſolet ægrum,qui circumferendo concutitur. Enimuerò ſi diligenter aduertere volueris, non inuenies,quempiam eorum,qui leuitatis ſpiritu perciti locũ mutant, profeciſſe. Sunt enim ſydera errantia,quæ plerumque fiunt ſydera cadentia. Adhęc,ipſius ſtabilitatis dignitas atq; neceſſitas, & è diuerſo inſtabilitatis grauitas ad id, quod diximus,concitare debet, Siquidem ipſa ſtabilitas tantæ æſtimationis atque neceſſitatis putatur, vt in monaſticæ profeſſionis forma prima collocetur.Sed cur ita? Nempe vt inſinuetur, eã eſſe petram ſolidiſſimam,ſuper quam totum religionis ædificium fundari, extrui, conſeruarique habet. Nam, teſte Gregorio,virtus boni operis eſt perſeuerantia. Ipſius quoq; leuis inſta-

1. Theſſ. 4 *Seneca.* *Bernard.* *Gregori⁹.*

bilita-

Inſtabilitas quam graue ſit vitium.

bilitatis indignitas, quæ tantæ virtuti aduerſatur (ad eam vitandam incitare debet. Enimuerò graue flagitium eſt inſtabilitas, vtpotè quæ inprimis ſit contra votum Deo factũ, deinde monachum ſæpius apoſtatam facit. Denique eum vitijs obnoxium, conuentui odioſum, ac iniurium, quippè cuius bona ineptè conſumit, & ipſis quoque ſecularibus ſcandaloſum, ac contemptibilẽ reddit. Denique pœnæ variæ (& illæ quidẽ acerbæ) debent ad ipſum vitium fugiendum incitare, quas in præſentiarum nihil afferre neceſsè eſt, prꝫſertim cum inſtabiles monachi (maximè fugitiui) eas ſatis per experientiam compertas habeant. Sed & ſi plenè caperent, quid agant, ipſi inſtabiles monachi (præſertim qui per ſeculum vagantur) quantiſque ſe diſcriminibus exponant; vitijsque inuoluant, haud dubiè nunquam tantam temeritatem attentarent. Sed iam de morum correctione tandem agere operæpretium eſt.

CAPVT VI.

Præmittitur, quid ſit correctio morum: deinde declaratur, quod per huiuſmodi votum non vouetur regula: poſtmodum oſtenditur, quibus modis contra correctionem morum peccetur: denique ſubnectuntur quæ ad correctionem morum inducere queant.

IGitur de correctione morum (quam nobis Dominus largiri dignetur) ſubnectere quicquam cupientes, dicamus primùm, quid & ſibi quærit, & quid virium habet. Deinde quot modis contra eã peccetur, poſteà quibus modis impediatur. Denique quæ ad eam ſectandam impel-

impellere queant. Primum adorientes, dicimus correctionẽ morum bifariàm accipi poſſe, vno quidem modo generatim pro cõmutatione morũ in melius, quæ per dignam pœnitentiã effici ſolet, cui morum peruerſitas atque impœnitentia aduerſa eſt. Altero verò modo peculiariùs pro conuerſatione votiua, per quam ſcilicet Monachus ſe aſtringit ad ſecularem vitam deſerendam ac euitandam, ad mores componendos, conuerſationemq́ue dirigendam ſecundùm regularem, quam aſſumpſit, inſtitutionem. Hæc igitur correctio, de qua agere certum eſt, tria reſpicit, ſcilicet conuerſationem, regulam quoque ſeu regularem inſtitutionem, & vitæ perfectionem. Qui enim huiuſmodi voto ſe obnoxium facit, debet non ſolùm deſerere mundanam vitam, quę ſcilicet voluptatibus, delitijs, vanitatibusq́ue indulget (ad hoc enim omnes tenentur) ſed etiam ſecularem cõuerſationem deſtituere, veſtem mutare, & ſub habitu regulari regularem vitam agere. Deinde debet regulam, ſiue regularem, quam ſuſcepit, inſtitutionem obſeruare, & ſecundùm eam mores componere, actusq́ue ſuos ac vitam dirigere. ¶ Hîc quæris, an huiuſmodi voto profiteatur Monachus regulam, ad eamque ſeruandam ſe per ipſum aſtringat. Reſpondemus, Monachũ in profeſſione ſua regulam, ſiue regularia inſtituta directè non vouere, ſed profiteri regularem vitam, hoc eſt, vouere ſe directurum mores, ſeu conuerſationem ſecundùm regulam, aut ſaltẽ ad hoc eniti. Aſtringit tamẽ indirectè ad regulam non cõtemnendam, ſiue ad non ſpernenda ea, quæ in regula poſita ſunt. Huiuſmodi enim contẽptus profeſſioni aduerſus eſt, & propterea lætalis eſſe

putatur. Quòd ſi præcepta contemnantur, grauius quidem eſt, & quodammodo peccatum duplex: cùm tunc peccetur contra obedientiam, & morum correctioné. Nec te moueat, quòd obedientia, & morũ correctio ſimul reſpiciant ipſa inſtituta regularia. Siquidem duo vincula in eadem materia concurrere diuerſimodè poſſunt. Eapropter quòd generatim ac vniuerſaliter obedientia reſpicit, hoc peculiariter morum correctio conſiderat. Sed ad inſtituta reuertentes, dicimus, monachum non vouere regulam ſiue ſtatuta regularia, alioqui faciendo cõtra vnumquodque eorum, læthaliter peccaret, imò voti ac profeſſionis ſuæ tranſgreſſor eſſet. Quod erroneum eſt ſentire. Igitur vouet conuerſionem ſecundùm regulam monaſticam. Cui profeſſioni ſi ſatisfacere vult, nihil eorum quæ in regulari inſtitutione ponuntur, debet contemnere, nihilque per contemptum agere. Ac deinde debet niti ad mores componendos ſecundùm ipſa ſtatuta quamdiu in vigore perſeuerauerint, & à regula vel Superioribus impoſita permanſerint. Ex quibus conficere potes, facere contra profeſſionem, & facere contra regulam, ſiue ſtatuta regularia, eo modo & idem non ſignificare. Facere enim contra profeſſionem, ſeu profeſſioni contrarium eſt, cùm vota franguntur. Quod deliberatè facere damnabile eſt. Quod quidem generatim fit, quãdo vota franguntur, quãdo præcepta violantur, quando aliquid ex contemptu agitur, quando demùm regularis inſtitutio contemnitur. Hæc enim in profeſſione ſanè intellecta cõtinentur. Sed facere cõtra regulam, eſt cũ aliquid eorũ non obſeruatur, quæ in ea ſtatuuntur, ꝙ quidem non ſemper eſt profeſſioni contra-

Monachus quid voueat.

trarium, ſed nec mortale quidẽ peccatum, quandoquidẽ non omnia quæ ibi cõtinẽtur pręcepta ſunt, & propterea ſub voto directè non cadunt, nec profeſſionis votiuæ obiecta ſunt. Hinc frequenter cõtra regulam agitur, nec tamen mortaliter peccatur. Quæris ergo, quando facere cõtra regulam, ſit lætale piaculum? Nempè (vt nuper diximus) quãdo id, ꝙ ſub voto vel præcepto cadit, violatur. Similiter quando aliquid ex contemptu agitur, vel deniq; cùm ipſa regularis inſtitutio contemnitur: aliàs cõtra regulam mortaliter non peccatur. Sed reuertamur vnde digreſſi ſumus, dicentes eum, qui morũ correctionem vouit, debere conari ad perfectioné vitæ aſſequendam, ſic ſcilicet, quòd ad eam tendere non contemnat. Nolle enim eſſe perfectũ, quando ex contemptu procedit, mortale eſt, quod & profeſſioni in hac parte aduerſum eſſe videtur. Non enim perfectè conuertitur qui perfectam conuerſionẽ, ſimul & conuerſationẽ vel nõ aſſequitur, vel aſſequi non conatur, vel ſaltem non deſiderat, ſed contemnit. His animaduerſis, in promptu videre eſt, quot modis peccetur cõtra hanc profeſſionis partẽ, quæ morum correctio nuncupatur. Contra eam enim agunt, qui indumenta irreligioſa ſibi prohibita temere geſtant, vel mores ſeculares ſemper tenere volunt, conuerſationem ſuam mutare detrectantes. Similiter qui lupinum cor ſub ouina pelle tegentes, & animum ſecularem ſub habitu religioſo geſtantes, diſſolutosq; geſtus ac ſenſus habentes, ſuorum morum conuerſioni incumbere vel prorſus negligunt, vel deſpiciunt. Ipſa enim mentis ac vitæ commutatio eſt idipſum, quod potiſſimum à religioſo quæri debet. Inſuper qui

ſtatuta deſpiciunt, & quaſi vilia aut parui momenti forent, ea vel legere, vel diſcere contemnunt, aut prorſus negligunt, præuaricatores sũt, atque etiam corruptores votiuæ conuerſionis. Non enim poteſt votiua morum cõuerſio fieri, niſi ragularis inſtitutionis notitia habeatur, eapropter ad eam habendam pro virili Monachus aſtringitur. Porrò qui aliquid ex contemptu vel Superiorum, vel Statutorum efficiunt, cæremonias prorſus negligunt, & quoſdam inſuetos, & peregrinos ritus pertinaciter obſeruant, tranſgreſſores quoque fiunt. Denique qui vitæ perfectionem nihili faciunt, ad eamque ſuſpicere omninò nolũt, prẹuaricatores eſſe putantur. Non enim perfectum non eſſe, mortiferum eſt, ſed deliberato animo hoc nolle, damnabile eſt. Cæterùm ea ſubijciamus, quæ monachum abducũt, ne morum correctionem, ſeu vitẹ commutationem aſſequatur. Inprimis hoc facit longa vitæ mundialis conſuetudo, quæ quaſi in naturã verſa eſt. Eſt enim difficilè admodum aſſueta relinquere. Itaque difficultatem huiuſmodi ſuperare non contẽdentes, morum conuerſioné nunquã aſſequuntur. Deindè hoc idem efficit diſſolutio monaſterij, defectuſque obſeruantiæ regularis. Etenim cùm regularia ſtatuta paſſim violantur, cum nulla per ſuperiorem fit correctio, cum nulla diſciplina viget, nulla bonæ vitæ exempla vel à ſenioribus præbẽtur, nulla demùm eruditio impertitur, mirum non eſt, ſi correctio morum nulla ſequatur. Porrò hoc etiam facere aſſueuit frequens cõfabulatio ac cõmixtio cum ſecularibus ſeu mũdialibus viris. Enimuerò qui picem tangis, inquinaberis ab ea, & cum ſancto ſanctus eris, & cum mundano mundanus eris. Et

Correctio nem morũ quæ impediant.

Eccleſ. 13.

com-

commixti ſunt (inquit Pſalmiſta) *inter gentes, & didicerunt opera eorum*. Sunt enim quidam vani Monachi, quibus nihil gratius eſt, quàm cum ſecularibus viris commercium colloquiumq; frequenter habere, vtpotè quibus plus afficiuntur, quàm fratrib⁹ ſuis. Inſuper deuotionis defectus hoc quoque efficere conſueuit. Cùm enim intus conſolatio nō habetur, ad externa ſolamina recurritur, quæ quia in clauſtro pro voto non inueniuntur, ſecularia expetuntur. Deniq; voluntatis virilis, ac diſcretæ perſeuerantiæ defectus hoc ipſum ſimiliter facere ſolet. Sunt enim qui principio feruentes ſunt, at vbi deuotionis feruor (qui nonnunquam ad tempus iuſte ſubtrahitur) tepuerit, mox lenti & frigidi penitus fiunt. Alij verò vbi quicquam laboris aut doloris in obſeruantia regulari, ſectandaq; vitæ aſperitate ſenſerint, habenas nimis laxant, dicentes, ſi in incœpto perſeuerarent, ſe dementiam incurſuros. Itaque de extremo ad extremum tranſeuntes, nullum virtutis medium, ac prudentiæ modum obſeruant, dum tamen ſi per imprudētiam nimiùm ſe attriuerint, deberent nō ita licenter agere, ſed ad temperamentum quoddam (diſcretione comite) redire. Alij denique omni timore Dei abiecto, delicias corporis pro viribus ſectantur, quantùm poſſunt genio indulgent, opiparè viuunt, nec aliquid demum aſperitatis regularis obſeruare volunt, & hi quidem à vera morū correctione plus cæteris ſeiugati ſūt. Quibus omnibus peiores ſunt incorrigibiles, qui nullam quantumuis dulcem correctionem ferre volunt, ſed (quod peſſimum eſt) interdum tanta ſunt dementia, vt corripientē (etiam ſi Prælatus ſit) perpetuo odio propterea proſequātur, quas

Pſal. 105.

poſſunt inferunt moleſtias, alios in eum concitant, & demum nunquam ceſſant, quoad ſuis peſſimis votis potiti ſint. O caſſa nomina monachorum. Sed breuiter tandem ſubnectamus, quę ad plenam morum correctionẽ accendere poſſunt. Inprimis diuina, iuſſio quæ multis in locis conuerſionem præcipit, monachum ad plenam morum correctionem incitare debet. Plena autem eſt, quæ fit toto corde, iuxta illud: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, Ioel. 2. Plena, inquit, eſt, quæ fit & interiùs, & exteriùs. Interiùs quidem, vt omnis mala affectio deponatur. Exteriùs quoque, vt ſenſus cohibeantur, vt mala cõſuetudo tollatur, vt geſtus incompoſiti arceãtur. Deinde ad hoc concitare monachum debet regularis profeſſio, per quam ad morum ſe ligauit correctionẽ. Quantum autẽ periculi ac mali ſit votis non reſpondere, nemo eſt qui neſciat. Porrò ad hoc ipſum impellere debet ſcandali timor. Quantum enim ſcandalum faciat, quamq; fœdè ſeipſum ac religionis ſtatum contaminet inficiatq; Monachus ſeculariter viuẽs, facilè dici non poteſt. Inſuper ratio ipſa ſuadet, vt qui habitum ſuſcepit religioſum exteriùs, etiam regularem intus habitũ mentis ſuſcipiat, ne ſit velut Lupus ouina pelle tectus. Ne ſit, inquam, velut portentum quoddam, extrà ſplendidum, intrà verò teterrimum. Nihil enim prodeſt, imò verò plurimum obeſt regularis habitus in corpore, quando deeſt habitus virtutis in mente. Hinc Bernard. ait: Magna abuſio & noxia cura, vt corpus regulariter induatur, & contra regulam ſuis veſtibus anima nuda deſeratur. Cur obſecro tanta cura capiti cuculla, corporiq; tunica procurantur, vt, cui deſint, Monachus nõ putetur,

Ioel. 2.

Mens ſecura ſub habitu regulari.

tur,& menti puritas, humilitas, aliaq; ſpiritalia indumenta non prouidentur. Denique pęnæ variæ, quibus afficiuntur, qui ſeculariter viuere, & religioſæ morũ correctioni incumbere nolunt, concitare monachum debent. Siquidem nullam veram pacem, tranquillitatemq; habent. Etenim qui cõmunitatem perturbat, fratribus moleſtiã affert, omnibusque ſcandaloſus malæ vitæ exemplum præbet. Etiam conturbatur, ac regularibus pœnis frequenter afficitur, & deniq; poſtquam infęlicem animam egit, ſupplicijs deputatur æternis. Sed de his hactenus. Iam enim de his quinq; votorum verbis ſatis verba fecimus, quæ ſanè pluris videntur, quàm aliorum verborum millia quinque. Reliquum igitur eſt, eas obiectiones, quæ primo huius nouiſſimi tractatus capite propoſitæ fuerant, diſſoluere: quæ ſcilicet necdum ſolutæ ſunt. Illæ etenim, quæ peculiariter Cartuſianam profeſſionem tangebant, dilutæ ſunt. Eamobrem ad alteras accedamus, quæ generatim totum religionis ſtatum tangũt, prorſusque eneruant, quæ ex quadam epiſtola, ſeu potius libello famoſo, cuiuſdã adoleſcentis decerptæ ſunt. Quarũ quidem nõnullæ regularẽ profeſſionẽ improbant, aliæ verò vota religionis ſpeciatim conuellunt. At verò ſi forſan duriora quædam videantur quæ dicentur, non putet quiſpiam, me cõtinuò authorẽ ipſum, ſed errorem vellicare duntaxat voluiſſe. Nec enim vel ipſius adoleſcentiæ, vel Patris illius, ad quem ſcribit, nomen compertum habeo. Vnde ſuſpicatus ſum, ſub nomine Cartuſiano, taxare alios voluiſſe: forſan arbitratus, Cartuſianos vel incurios, vel ignaros ita eſſe, vt illatas contumelias negligerent, aut nihil reſponſionis adhibere

A religioſo quid maximè requiritur.

poſſent, ſicque ſcriptor improbus quaſi victoria potitus, ſecurius inſultaret, ſimulque exultaret. Verùm vtcunque res habeat, ne ipſum peſtiferũ epiſtolium quenquam inficeret, reſpondere curauimus. Cæterùm prudens lector attendat, inſanum ipſum adoleſcentem primùm in eo libello ſtatum religioſum vellicaſſe, quòd diſtet à communi vita, veſte, preculis, & hoc genûs (vt ait) cæremoniolis hominum ingenio confictis. Deinde ſolitudinem taxaſſe, dicendo perpaucos ſolitudinem probauiſſe. Denique ad profeſſionem, votaque religioſa deſcendiſſe. At verò hìc nihil de cæremonijs, aut ſolitudine agere conſtitui. Quandoquidem de cæremonijs ſuprà dictum eſt, vbi & breuiter huius adoleſcentis temeritas reprobata eſt. De ſolitudine quoque ſatis eſt dictum primo libro. Quoad preculas, hoc eſt, orationes, quas verbo diminutiuo ridet, nõ eſt reſponſione, ſed verberibus atque flagellis opus, quibus erudiendus eſt vberiùs, ne ſacra rideat. Itaque reliquum eſt, ad ea, quæ profeſſionem votaq; religioſa tangunt, reſpondere, quod hic facere certum eſt.

CAPVT VII.

Reſpondetur inprimis obeictionibus cuiuſdam adoleſcentis, quæ ab eo fiunt contra profeſſionem monaſticam. Deinde peculiariter reſpondetur ad obiectiones, quæ religioſa vota improbant, & conſequenter derogant ſtatui monachali.

IGitur ad illas inſanias, quibus primùm adoleſcens ipſe non ſatis ſanus (ſi tamen adoleſcens, & non potiùs vetulus quidam delirus ſit) religioſum profitendi modum improbat, eoque

eoque tendit, vt modum illum ineptum ac inutilem eſſe conficiant, ſeriatim reſpondeamus. Quòd igitur improbat modum illũ, quo hodie vulgò ſe deuouent religionibus pueri, cùm in lege Moſaica (vt ait) ſoluebatur voto muliercula, quæ citra patris aut mariti authoritatem quidpiam vel in pauculos dies vouiſſet, & fuerunt etiam Nazaræorum deſtinata tempora: reſpondemus inprimis, hæc nihil ad Cartuſianum ordinem pertinere, vtpotè in quo pueri non admittantur. Ita enim cenſuerunt Cartuſij patres, intelligentes multa alijs religionibus detrimenta propter leuem puerorum admiſſionem olim contigiſſe. Deinde dicimus, bipertitos eſſe pueros. Quidam enim impuberes vocantur, & hi quidem citra patris vel tutoris authoritatem nihil vouere poſſunt, quod reuocari non poſſit: Extra de regul. Siquis. Alij verò ſunt puberes, qui iam pubertatis annos, hoc eſt, quartumdecimum ætatis annum expleuerunt, & hi ſi poſt annuam probationem liberè profeſſionem fecerint, perpetuum aſtringũtur obſeruare, quod promiſerunt. Hoc & iura dicunt, & omniũ Doctorum vnanimis habet ſententia, quod & ratio ſuadet. Si enim corporali matrimonio ſe iũgere tum poſſunt, cur non etiam ſpiritali connubio ſe poterunt ſociare, & vinculo perpetuo ſeipſos aſtringere, cùm longè melius ſit ſpiritale, quàm corporale coniugium? At verò dicis: Puellæ ſub patris aut viri poteſtate conſtitutæ, vota in lege Moſaica ſoluebantur. Verum quidem dicis (niſi vel expreſſus vel tacitus patris aut viri conſenſus acceſſiſſet) ſed fundamentum non capis. Idcirco enim vota huiuſmodi ſoluebantur, vel potiùs irrita declarabantur, quòd ab his fa-

Pueri qui nõ poſſunt vouere.

Num. 30.

his facta eſſent, qui libertatis vouendi facultatē non habebant. Mādauit enim Dominus (vt Auguſtinus ait) fœminam ſub patre eſſe antequam nubat, & ſub viro nuptam. Noluit itaque Lex aliquid vouere eam aduerſus animam ſuam, id eſt, in rerum licitarum abſtinentia; vt in eiſdem votis fœminea valeat authoritas, ſed virilis. Ita & adhuc innuptæ iam conceſſerit, pater vota perſoluere, ſi antequàm perſoluerit, nupſerit, & viro eius hoc cognitum non placuerit, non perſoluat, & ſit omnino ſine peccato. Hæc Auguſtinus in quæſtionibus, quæ & in gloſſa Ordinaria numeri 30. ponuntur, & 33. q. 5. Capitulo, Nouit, recitantur. Quæ profectò ita adhuc locum habent, non inquantum veteris legis iudicialia, quæ vim amiſerunt, ſed authoritate Eccleſiaſtica, vt non poſſit vxor ſine viri authoritate abſtinentiam, peregrinationem, aut religionis ingreſſum vouere, quinetiam ſi abſtinētiæ votum aut matrimonium fecerit, poterit vir huiuſmodi votum irritare, ſi ei graue ſit. Quæ cùm ita ſe habeant, inaniter & inſciolè Moſaicæ legis iudicialia deprompſiſti, præſertim cum nihil ad rem. Nec religioſa puberum vota, poſt legitimam probationem licitè diſcreteque facta, ſolui vnquam poſſe conficiunt. Nec illud quoq; alicuius eſt momenti, quòd de Nazaræis attuliſti. Inprimis quidem, quod non ſolùm fuerunt Nazaræi votum ad tempus habentes, ſed etiam perpetui, qui expreſſiùs ac perfectiùs religioſorum Euangelicorum figurā retulerunt. Deinde non inficiamur vota, quæ ad tempus dūtaxat fiunt, expleto tempore nihil amplius virium habere. At verò quæ in perpetuum fiunt, ab his, qui liberam vouendi facultatem habent, dicimus,

Gloſ. ord. 33. queſt. 5. Cap. Nouit.

Num. 7. Iud. 13.

mus, caſſari non poſſe, quemadmodum eſt de perpetuis religionis votis, quibus nemo inuit°, ſed ſpontaneus dũtaxat obnoxius efficitur, idq; in ea ætate, in qua iam vtcunq; noſſe poteſt, quid difficultatis habeat continentia. Neque verò opus eſt omnem difficultatis acerbitatem tum exploratam habere, cùm nec hi planè, qui matrimonio iunguntur, omnes connubij difficultates principio compertas habeant. Sed alia tangamus. Quòd deinde aſſeris, primos religioſos nullis ſe votis obſtrinxiſſe, ſed ſua ſponte vixiſſe, debueras vel vnum tuæ temeritatis aſſertorẽ in medium protuliſſe. Itane iuuat, citra vel authoritatem vel rationem tam audenter loqui? Itane putas, tuis ineptijs ac meris nugis fidem tam leuiter tribuendam? At verò ne tui ſimilis videar, & authoritate & ratione conficiam, eos, qui monaſticam olim vitam egerunt, non ſine votis omninò vixiſſe, aut certè ab omni religioſa obligatione immunes non fuiſſe, vt tu impudenter aſſeris. Inprimis Apoſtoli Domini religioſæ monaſticæque vitæ fundatores, non ſine votis quibuſdam vixerunt. Nam, vt cætera taceam, paupertatis votũ (teſte Auguſtino de Ciuitate Dei) fecère, quando Petrus pro omnibus dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* *Matt. 19.* Qui & poſt aſcẽſionem dominicam ſimul tẽpore quodam viuẽtes, omnia habuere communia. *Act. 2. & 4.* At verò non ſolùm Apoſtoli ipſi paupertatis votum, ſed & omnes, qui in ipſo naſcẽtis Eccleſiæ principio credentes cum Apoſtolis ipſis vi-ctitarent, itidem fecerũt, qui nihil ſuũ eſſe dicebãt. Quod potiſſimũ conficitur ex capite quinto *Actor. 5.* Actuum Apoſtolorũ, in quo Ananias cum vxore ſua propter fraudẽ de pretio agri factã morte con-

conſumptus legitur, qui pro Hieronymi ſententia, votum paupertatis fecerat. Ita enim Hieronymus ait. Vnde Ananias & Saphira diſpenſatores timidi, imò corde duplici, & ideo condemnati, quia poſt votum abſtulerunt, quaſi ſua, & non eius cui ea vouerant, partemque ſibi iã alienæ ſubſtantiæ reſeruârunt, metuentes famem, quam vera fides non timet, & præſentem meruêre vindictam, non crudelitate ſententiæ, ſed correctionis exemplo. Cui Rabanus conſentiens, dicit Ananiam & vxorem eius fuiſſe mentitos, quia totum vouerant. Similiter Lyranus aſſerit, omnes de ſocietate illa Deo promiſiſſe ſine proprio viuere. Adhæc ipſe ſacer Hieronymus alibi dicit, talem fuiſſe Hieroſolymis primariam fidelium turbam, quales monachi eſſe nituntur. At verò ſui & noſtri temporis monachi, à promiſſionibus immunes non vixerunt. Denique ſi nulla fuit obligatio ſeu promiſſio, nulla quoque fuit transgreſſio: ſi nulla præuaricatio, nulla pœna inferri debuit. At verò textus Euangelicus patenter refert, Ananiam & Saphiram vxorem punitos fuiſſe, quòd de pretio agri fraudauerant, fraudemq; ſuam vel adiũcto mẽdacio occultare volebant. Igitur promiſſione aliqua ſe aſtrinxerant, alioqui tàm grauiter, & in promptu in eos non animaduertiſſet Petrus. Iam verò probemus, eos, qui poſt Apoſtolorũ diſceſſum, ſtatim monaſticam vitam egerunt, non ſine votis ſeu promiſſionibus aut vinculis quibuſdam religioſis vixiſſe. Inprimis Apoſtolorum diſperſione facta, cùm multi ex fidelibus tepeſcere, laxiusque viuere cœpiſſent, hi (quibus adhuc Apoſtolicus inerat feruor) ſeipſos ſequeſtrantes, & monachi ſiue monozentes (vt Caſſianus

Hieron.

Rabanus.

Primitiui fideles quales erant

Actor. 5.

nus teſtatur)propterea nūcupati,à votis ſeu vinculis quibuſdam religioſis immunes prorſus nō fuerunt. Quod vt plenius probetur, afferamus eos qui ſub Marco Euangeliſta apud Alexandriam(adhuc viuentibus Apoſtolis) monaſticā vitam egerunt. Enimuero Philo Iudæus diſertiſſimus(qui mirandam eorum conuerſationem vidit)de eis verba faciens aſſerit, quòd primò omnium renunciârint cunctis facultatibus ſuis, qui ſe ad huiuſmodi philoſophiam dederunt. Poſtmodum dicit, eos continentiam, velut fundamentum quoddam primò in animo collocaſſe. At contendis, eos ſine votis hæc feciſſe, ſi tamen contendis, de his enim nihil expreſsè agis. Igitur ſi fortè contendis, contendis (fateor) ſed temerè, quod ex Euſebio confici poteſt, qui libro ſecundo de Eccleſiaſtica hiſtoria de his agens, & Philonis dicta referens, hoc modo ait. Tali quippe ordine calore fidei incitati hi, qui primitùs credebant, vitam duxiſſe memorátur, ſicut euidenter in actibus Apoſtolorum legimus ſcriptum. Et ſubdit: Quia ergo & hic ſimilia ſcribit geri ab his, qui apud Alexandriā credebant, ſicut illi qui in Hieroſolymis antè crediderunt, certū eſt, quòd idem actus, eademque inſtitutio, eandem ſine dubio & religionis fidē deſignet. Cui aſtipulatus ſacer Hieronymus De viris illuſtribus ſic ait: Denique Philo Iudæus diſertiſſimus Iudæorum, videns Alexādriæ primam Eccleſiam adhuc Iudaizātem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum conuerſatione ſcripſit, & quomodo Lucas narrat Hieroſolymæ credentes omnia habuiſſe communia: ſic ille quod Alexandriæ ſub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Vides ex his omni-

Philo Iudæus. *Euſeb. li. 2. Eccl. hiſt.* *Hieron.* *Actor. 2. & 4.*

omnibus,primos monachos eandem vitæ conuerſationem tenuiſſe, quā & diſcipuli Domini primiq; credētes tenuerunt. At illi votū paupertatis fecerunt,vt probauimus. Forſan mihi reſpondes, ac dicis, eos vitæ qualitatem tenuiſſe, ſed minimè ſe votis cōſtrinxiſſe. Verùm hoc eſt euadere,non ſatisfacere, cùm dicant Euſebius & Hieronymus,eos omnia habuiſſe communia inſtar eorū,qui Hieroſolymis vixerunt. Itaque temerarium eſt,eos dicere à votis prorſus fuiſſe immunes. Quod & iterum cōficere vel ratione poſſumus. Siquidem illi patres vetuſti, qui ſub veteri lege viuentes, peculiarius religioſorum Euangelicorum formam præfigurârunt,nō fuerunt à votis ſeu promiſſionib⁹ immunes, quemadmodum de Nazaræis luculenter conficitur. Igitur cùm figuratum ſuæ debeat reſpondere figuræ, religioſos nouæ legis per eos figuratos, ſine votis vixiſſe,minimè credendum eſt. Porrò ſi omnes prorſus voti ſeu obligationis expertes fuerint,conſequium erit.ſtatum religionis tam perfectum tunc fuiſſe, quàm nunc eſt, quandoquidem ſtatus ille,qui regularem vitam ſine votis obſeruat, non ita perfectus eſt cenſendus, quemadmodum ille,qui eandem cum votis obſeruantiam ſectatur, quod ſuo loco probabimus. At verò quàm abſurdū ſit ac impium, hoc ſentire,nemo vel parum doctus ignorat. Conficeretur enim ex hoc,ſtatum aliquem perfectum vniuerſali Eccleſiæ aliquando defuiſſe, quem nunc habet. Adhæc nulla eſt congregatio,quę ſine quibuſdam vinculis, etiā ſponte ſuſceptis,rectè cōcorditerque viuere poſſit. Inſuper ſi nullæ tum erant promiſſiones ſeu obligationes,igitur nullæ erant præuaricationes. At verò legimus,

Num. 7.

Stat⁹ vitæ perfectior quis.

mus Monachos, qui ante Hieronymũ vixerunt, & ab illis primis deſcenderunt, interdum propter vitiũ proprietatis graui pœna affectos fuiſſe. Quod factum non fuiſſet, ſi nullum delictum fuiſſet admiſſum. Denique quomodo (precor) diuus Benedictus aliiq; ſancti Patres tentaſſent illa vota ſuis imponere? Quomodo, inquam, ſancta Concilia hæc probaſſent, ſi non intellexiſſent, olim à primis monachis ita inſtitutum fuiſſe? Itaque magna temeritas eſt, dicere primos Monachos ab omnibus votis ſeu vinculis religioſis immunes prorſus fuiſſe, & ſua ſponte ac libertate prorſus vixiſſe. Quòd autem poſtmodùm multis interpoſitis ais, illud genus vitæ melius eſſe, magisque deligendum, quo tutiùs ad Chriſtum peruenitur, planè conficis, religioſum ſtatum communi planaque vita prorſus ſuperiorem, præſtantioremque eſſe, vtpotè per quem tutiùs ad Chriſtum peruenīri poſſit. Nam ibi omnia impedimenta, quę hominem illuc tendentem retinere ſolent, prorſus tolluntur. Et adiumẽta quoq; illa, quibus citiùs faciliusque perueniretur illuc, planè tribuũtur, quemadmodum docti, ſanctiq; viri aſſeuerant, qui de religione meminerunt. Quòd inſuper ita dicis: Nulla ratio ſuadet, vota perpetua facere, quòd ſtatum faciant periculoſiorem, minusque expeditum: iam diximus, religionis ſtatum magis expeditum eſſe. Quòd ſit minus periculoſus, ſatis de Cartuſiano peculiariter anteà probauim⁹. Generatim ergo probem⁹, religionis ſtatũ (probè obſeruatũ) minùs periculoſũ eſſe. Etenim cùm tres ſint hoſtes humanã vitã oppugnantes, ſcilicet mundus, caro, dæmonia: longè ſecuriùs deuitantur eorũ fraudes in religioſa, quàm

Monachi ante Hieronymi tempora.

ſa,quam plana ſeu cõmuni vita. Inprimis quidẽ probus religioſus in clauſtro latitans, & velut auicula quædam in monaſterij nido ſe continens,nullis mundanarum pomparum atque vanitatum (quæ infinitæ ſunt) pulſatur illecebris: quippè quas non tangat,ſed nec videat quidem. At verò in eis communis vita iugiter verſatur, *Eccle. 13.* eamq; ob rem vix immunis ab eis eſſe poteſt. Cũ vix poſſibile ſit tangere picem,& ab ea nõ inquinari. De carne autem non attinet multa dicere, quandoquidem religioſus tùm extrarijs, tum intrarijs adiumentis facilius continentiam ſeruat,adeò quidem, vt tentationes quas aliquando patitur,plus ei proſint,quàm officiant. Denique ſuperſunt dæmonia tentantia,quæ tum conſortio bonorum,tùm cuſtodia patris,tùm iugi oratione,tum gratia Dei peculiari(quæ his ſolet cumulatiùs conferri, qui propter Chriſtum ſe & ſua reliquerunt)tùm denique alijs religioſis exercitijs faciliùs reijciuntur. Sed & ſi forſan pro humana fragilitate quandoque peccetur,faciliùs in religione reſurgitur. Quapropter ineptè putas,ſtatum religionis(benè ſeruatum) periculoſiorem eſſe. Vbi autem diſſolutus eſt,non ineptè exiſtimatur eſſe periculoſior. At non ſtatus, ſed lapſus:non Ordo, ſed deordinatio potius dici debet. Idcirco nihil ad rem. Quibus animaduerſis,optima ratione mouentur, qui ſeculari conuerſatione dimiſſa,religioſum ſtatum(benè obſeruatum)ſuſcipiunt,ſperantes diuina ope & faciliùs,& cumulatiùs,ſalutem perpetuam ſe cõſequi poſſe. Quòd rurſus dicis his votis nihil in Chriſtianiſmo profici, puto te ignorare quid hoc vocabulum Chriſtianiſmus non ita tritum, ſibi velit. Dicis quidem rem eſſe immenſam,

ſed

ſed quid ſibi quærat, non aperis. Fortè verbo parum vſitato nobis illudere tentas. Aperiam igitur, & dicam, vt re patefacta, faciliùs tua refellatur inſania. Eſt igitur Chriſtianiſmus interdum profeſſio illa, quam vniuerſi per nos, vel alios in baptiſmate facimus, & ad ea implenda quæ promittuntur, eaque ſeruanda quæ cōferuntur, perpetuo vinculo aſtringimur, & de familia Chriſti efficimur. Tum enim omnibus dæmonis pompis abrenuntiamus, Chriſtianam fidem profitemur, virtutes theologas, fidem, ſpem, charitatem ſemper obſeruandas ſuſcipimus, & denique indelebili charactere inſignimur, quo ab infidelibus ſeparamur. Interdum verò capitur Chriſtianiſmus pro ipſa religione Chriſtiana, quæ cultum Deo exhibet ſecūdùm traditionem Euangelicam, vniuerſaliſque Eccleſiæ inſtitutionem, & hæc quidē in præceptis ſeu mandatis ad ſalutem neceſſarijs conſiſtit. Denique Chriſtianiſmus pro tota Chriſtianorum familia, ſeu fidelium Eccleſia, quæ diuerſorum filiorum, graduum, ac ſtatuum varietate ornata eſt, quorum nonnulli ſola generali, ſeu baptiſmali profeſſione, ac quorundam præceptorum (quæ profeſſionem illam latiùs, peculiariuſque declarant) obligatione contenti, nulliſque votis (ſaltem religioſis) deuincti liberè viuunt. Alij verò vltrà ea quæ prædicta ſunt, illa quæ vocantur religionis vota ſuperaddere volunt, vt facilius quæ promiſerunt ac ſuſceperunt, obſeruare queant, & fructum cumulatiorē ex ipſis operib⁹ votiuis conſequantur. Et hæc ſignificantia ex prima dependet. Itaque ſi de prima fuerit diſcuſſum, de alijs ſatis dictum fuiſſe putatur. Quòd igitur ais, nihil ex religioſis votis profectûs Chriſtianiſmo ad-

Chriſtianiſmus quid ſit.

ijci, hoc non modo temerarium, ſed ſcandaloſum quoque ac iniurium planeque erroneum eſt. Quis enim paterfamiliâs non plus eum dilexerit filium, qui non ſolum eius mandata, ſed etiam conſilia diligenter fecerit, quàm eum, qui duntaxat neceſſarijs ei⁹ præceptis audierit? Quis inquam, cenſor æquus non pluris fecerit eũ, qui cum fructibus totam quoque arborem dederit, quam qui duntaxat quoſdam arboris fructus obtulerit? Quis denique dominus ſeruum illum vehementiùs nõ amabit, qui peculiarius ſuo ſeruitio deuinctus eſt, quique amore illius plura ei obſequia fideliter impendit ac libenter, quã qui pauciora? At religioſus præcepta conſiliaque dominica obſeruat, arborem totam, ſcilicet voluntatem, cum fructibus offert, dominico ſeruitio peculiariùs dicatus eſt, & demum maiora quoque obſequia impertitur, quam qui à votis immunis eſt. Adde ſi præuaritor exiſtat, grauiùs eum peccare ſolere, quod Auguſtinus Armentario ſcribens teſtatur, cum inquit: Modo (quod abſit) tanto miſerior eris, ſi fidem Deo fregeris, quanto beatior ſi perſoluerit. Cur obſecro non etiam ſi probè agat, maiori laude, ac præmio dignus erit? Denique votum de meliori bono eſt. Eſt, & actus latriæ, quæ ſanè conficiunt, opus ab eo perfectum, melius eſſe. Verum cum hæc paſſim ab omnibus doctis (ne dicam aſellis) extra omnem controuerſiam admiſſa ſint, nõ ſunt caſſo labore plenius improbanda. Cæterum hic inſanus adoleſcens nõ contentus, ſtatum monaſticum generatim improbare, ad oppugnanda religionis vota ſpeciatim deſcendit. Imprimiſque continentiam adoritur, quam licet fateatur difficiliorem atque conſultã eſſe, non tamen

Auguſt.

Opus ex voto factũ melius eſſe.

eſſe

eſſe coniugio præferendã ſed parem vel inferiorem. Non vides aſelle bipes, & tua dicta pugnare, & planè hæreſim damnatam te inſtaurare? Cùm enim aſſeris, continentiam conſultam atque difficiliorem eſſe haud dubiè eam coniugio præfers. Siquidem ea, quæ cõſulta ſunt, meliora ſũt. Item quæ ſuaptè natura difficiliora ſunt, maiorẽ palmã merentur. (Hoc eſt vt ſchlaſticis verbis vtar) difficultas, quæ ex parte operis cõſurgit nõ minuit, ſed auget meritum. Cùm igitur continẽtia ex ſe difficilior ſit, planè coniugio anteferenda eſt. Et tamen poſtmodum eam ſubijcis, vel ęquas. Qua in re prorſus à ſanctis Eccleſiæ doctoribus turpiter ac infideliter diſſentis. Inprimis ab Hieronymo, qui contra Iouinianum dicit, triginta referri ad nuptias ſexaginta ad viduas, centum ad virgines. Cui aſſentitur Auguſtinus De bono coniugali dicẽs. Ego quidem nõ ſum melior quam Abraham, ſed melior eſt caſtitas cælibum quam caſtitas nuptiarum. Et rurſus: Res ipſas ſi comparemus, nullo modo dubium eſt, meliorem eſſe caſtitatem continẽtiæ, quã caſtitatẽ nuptiarum. Aſtipulatur & Ioannes ad Paſmachiũ: Eccleſia inquit Dei nõ dãnat matrimonia, ſed ſubijcit, non abijcit, ſed diſpenſat. Sed quid nũc in riuis ſiſto? Ex Euãgelio enim & Apoſtolo apertè colligitur, matrimonio continentiam eſſe præferẽdam. Quod & S. Cõcilia declararũt, & Iouinianũ damnauerunt à qua Iouiniana hæreſis dicta eſt. Quapropter vel hæreticũ, vel de hæreſi damnata vehementiſſimè ſuſpectum te palàm mi adoleſcens, oſtendis. Reuocas quidem atque aſſeris, hæreſim ab hæretico iampridem cõfictam à ſacro Hieronymo prorſus expugnatam, & à ſacris patribus damnatam. Non vis tamẽ

Hierony. *Auguſt.* *Mat. 19.* *1. Cor. 7.* *Hæreſis Iouiniana.*

vt Iouinianos, aut Chriſtianos Epicureos exclamemus. Cui in hac parte morem ſcilicet gerentes, non Iouinianum, ſed Iouiniani diſcipulum, præceptoreq; ipſo longè peiorem clamabimus, quippè qui hæreſim ſecteris damnatã, quæ tempore Iouiniani nec tam aperta, nec ita damnata erat. Dicemus quoque (ſi pertinacia comes aſſit) planè hæreticum te eſſe: ſi non aſſit, de hæreſi vehementiſſimè ſuſpectũ, dignumq; propterea, qui de fide optimo iure interrogari poſſis. Poſtmodum dicis, à Paulo cœlibatum diſſuaſum eſſe. Videte, obſecro, pernicioſum adoleſcentem, cui nõ ſatis eſt hæreſes damnatas inſtaurare, niſi & iniuria Apoſtolum afficiat, blaſphemiamque adiungat. Dic inſanè, vbinam Apoſtolus cœlibatum damnauit, cùm de Vidua dicat: *Beatior erit, ſi ſic permanſerit*. Fatemur quidem, Paulum in ſpiritu præuidiſſe quoſdã hęreticos futuros, qui legitimas nuptias, thorumque immaculatũ prohibituri eſſent. Sed quid ad rem? Nos enim nuptias non prohibemus, ſed legitimum connubiũ probamus, ita tamen, vt continentiã ei præferamus, præferendamque prædicemus, dicentes, oẽs qui tecum aliter ſentiũt, inſanos hæreticos eſſe. Qua in re non improbatione, ſed deteſtatione opus eſt. Adhuc nõ contentus, ſed in veſania tua perſeuerans, eos vocas tyrannos, qui cenſuerunt ſacerdotes debere continenter viuere. Quos & dicis ipſam continentiam induxiſſe, vt prodigioſo luxui via fieret. O infœlix, eone dementiæ progreſſus es, vt blaſphemiam blaſphemiæ iungens, ſanctos Patres, ſanctaque Concilia tyrannidis incuſes, & deteſtabile crimen impingas, quod vix lenonibus improperandum ſit? Quòd autẽ quærimoniam facis, & ais, cœlibem animũ paucis

cis verè contingere: qui ſcis, paucos huiuſmodi eſſe? quis Deus reuelauit. Neſcio ego an melius cõiugati fidem thori ſeruent, q̃ continentiã cœlibes. Multi in vtroque ſtatu præuaricantur. Vterque ſtatus periculis multis abundat. Vterq; variarum difficultatum plenus eſt. Nam de coniugatis ait Apoſt. *Qui eiuſmodi ſunt, tribulationem carnis ſuſtinebunt*, qui tamen nihil tale de continentibus ait. Non tamen inficior, continentiam periculis obnoxiam eſſe, verùm multa ſunt adiumenta, quibus reddatur ſecurior, quàm inexperti autumant. Sed hæc miſſa faciamus. Denique quaſi per febrem ſomnians hæſitat, vnde profectus ſit cœlibatus, cùm tamen antè ſic dixiſſet: non inuitus dederim, ampliorem, & ſplédidiorem cœlibatum eſſe, nempè cuius grauiſſima habebimus exempla, Chriſtum, Ioanné, Mariam, vt innumeros alios prætercam: dabis & tu mihi, conſuli, non præcipi cœlibatum. Hæc ille. Qui cùm his in verbis dixerit, cœlibatũ ſplédidiorem eſſe, poſteà in calce epiſtolæ ipſum per ſe cœlibatum ita probat, vt nó patiatur præferri matrimonio. Quibus animaduerſis, prudens lector videre poteſt, quàm conſtanter iuuenis hic inconſtans ſuis in ſententijs perſeueret, vt nihil leuius, ac mutabilius eo dici poſſit. Poſteà tranſit ad paupertatem, vt nullum ſit genus inſaniæ, quod à fętido pectore non euomat. Vbi & dicit, paupertatem, quam religioſi profitẽtur, non eſſe Euangelicam, ſed poſt Auguſtini tempora exortam eſſe, Cuius tempore quidam ſimul collata in communi pecũnia viuebant, ſed illum conuictum paupertatem non vocabant. Poſt Auguſtini tempora donãrunt pij quædam Monachis vnde viuerent. At hæc paupertas Euange- 1. Cor. 7.

angelica non eſt. Euangelica enim paupertas potiùs in dando, quam accipiendo eſt, nec paupertas dici poſſit, vbi bonorum omnium abundè ſatis ſit, idque aliena beneficentia. Itaq; nec Euangelicam, nec veram eam eſſe patitur hic adoleſcens. Denique pauperiores rectiùs eos eſſe ait, qui cum egenis ſua habent communia. Hæc ſunt huius miſeri pauperis argumenta, quibus religioſam paupertatem expugnare nititur: quibus ſeriatim reſpōdentes, dicimus in primis hūc inſanū iuuenē prorſus ignorare, quid Euāgelica paupertas ſibi velit. Quod palā cōſtat cum dicat Euangelicā paupertatem potiùs eſſe in dando, quā accipiendo. O inſanū caput, quis vnquā vel Philoſophus dixit, paupertatem in dando cōſiſtere? Dicunt philoſophi Ethneci, liberalitatem in dādo eſſe. Dicunt & Catholici, cùm aliquid piè datur, opus liberalitatis ac miſericordię eſſe. At verò quis liberalitatem vnquam vocauit paupertatem. Latent te, aſelle, termini, & ipſum quid nominis ignoras. Eapropter ſatiùs eſſet inprimis durioribus te virgis docere, quam tecum verbis contendere. Si paupertas in dando ſit, ergo nec Chriſtus (qui non habuit vbi caput ſuum reclinaret) nec Apoſtoli (qui omnia reliquerant) nec
Matth. 8. demum cæteri viri Apoſtolici, qui omnia ſua
Matt. 19 propter Chriſtum miſſa fecerunt, veri pauperes fuiſſent? Nullus igitur Euangelicus pauper eſſe potuit, poſtquam pro Chriſto omnia dimiſit? Noli miſer fruſtra errare. Illa enim paupertas

Paupertas Euangelica, quæ.

Euangelica eſt, cum quis non ſolum affectu, ſed etiā effectu, ſiue reipſa diuitias propter Chriſtū cū habēdi volūtate miſſas facit, nihilq; ſibi pro-
Mat. 19. priū retinet, quod maximè in Euangelio Ma. 19. patet, vbi adoleſcēti quęrēti quid boni faceret vt vitam

vitam æternam haberet, & à Chriſto reſponſum fuiſſet, *ſerua mandata*, & demum dixiſſet, ea ſe à *Ibidem.*
iuuentute ſeruaſſe, Chriſtus Euangelicam paupertatem, perfectionemq; ei conſulens, ſubiunxit: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ ha-* *Marc.10.*
bes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Et paulò pòſt dicitur Apoſtolis, quòd eſſent iudicaturi duodecim tribus Iſrael, quia omnia reliquiſſent, & Chriſtũ ſecuti fuiſſent. Promittiturq; omnibus, qui reliquerint domos vel agros propter Chriſtum, quòd centuplum accepturi, & æternam vitam poſſeſſuri ſint. Hæc eadẽ apud Marc. cap. 10. habentur. Denique in Apoſtolicis Actibus ſatis patet, quid ſit Euangelica paupertas, quam Apoſtoli reipſa docuerunt. Etenim eſt *Actor.4.*
omnia propter Chriſtum, & reipſa, & affectu relinquere, & nihil ſuum ſiue proprium dicere, quę & ſine voto eſſe poteſt. At verò ſi diſcreto voto firmetur, melior eſt atque perfectior. Siquidem ea quæ ab animo in bono magis firmato proficiſcuntur, per ſe meliora ſunt. Non negamus tamen, aliam eſſe paupertatem ſpiritus, quæ humilitas dicitur, ſed illa beatitudo eſt, quæ neceſſaria potiùs quàm conſulta videtur. At verò paupertas conſiliaria, ea eſt, quam diximus, quæ patitur ſecum multam rerum copiam, modò communis ſit, non autem cuiquam propria. Quod inprimis patuit in Chriſto ſummo paupere, qui cum diſcipulis loculos communes habuit, vnde viuerent. Itidem in *Ioan.12.*
Apoſtolis poſt aſcenſionem Domini, quando *13.*
ex venditione agrorum ac poſſeſſionum, pecu- *Actor.4.*
nia in communi erat, ex qua cuique tribuebatur quod eſſet opus, nec quiſpiam egens inter eos erat. Quo nimirum exemplo ſatis conficitur,

Euangelicam veramq́; paupertatem communes poſſeſſiones ſiue labore acquiſitas, ſiue ab alijs acceptas, ſecū pati poſſe ſine perfectionis detrimento. Conficitur, & tres gradus paupertatis veræ ac probatæ reperiri. quorum primus ac ſupremus eſt paupertas conſiliaria ac votiua. Secūdus, eſt paupertas conſiliaria, ſed ſine voto. Tertius ac infimus, eſt paupertas mētalis ſolùm. Sed alia tangamus. Dicit poſteà, paupertatem religioſorū poſt Auguſtini tempora exortam fuiſſe. Miror quo pacto non formidet, tam apertè ac impudenter ſuam imperitiam oſtendere. Nonnè ante Hieronymum (qui maior natu Auguſtino fuit) cœnobitæ, ac monachi magnæ virtutis viri paupertatem Apoſtolicam in Syria & AEgypto ſectati ſunt? Ita ſanè, dicēte Hieronymo, in AEgyptijs & Syrijs moris fuiſſe, vt qui ſe Deo vouerant, ſeculo renuntiantes, omnes ſeculi diuitias conculcarent. Qui & tria in AEgypto monachorum genera referens, inter eos Cænobitas fuiſſe dixit, ex quorum deſcriptione videri poteſt, eos paupertatem maximam ſectatos fuiſſe. Quem imitatus Caſſianus, de tribus quoq; Monachorum generibus differēs, ait cœnobitarum diſciplinam à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſiſſe exordium. Dicit quoque hoc genus Monachorum per annos plurimos inuiolabile vſque ad Abbatis Pauli, vel Antonij duraſſe ætatem. Cuius etiam ſuo tempore adhuc cernebantur in diſtrictis cœnobijs reſidere veſtigia. Hæc aūt quæ ante Antonium fuerunt, haud dubiè ante Auguſtini tempora contigerunt. Sed ais tēpore Auguſtini (quod vel ipſe fatetur) aliquos in cōmune contuliſſe copias familiares, qui ſuis quidem impenſis viuentes, pecuniam in cōmuni con-

Tres gradus veræ paupertatis.

conferebant. Et poſteà (quibuſdam interiectis) quendam ordinem facis eorum, qui in commune vixerunt, dicens in primis Chriſtianorum temporibus quoſdam ſuis manibus victum quęrentes, in deſertis vixiſſe. Deinde ſecuta eorum collegia, qui collatis in commune pecunijs vixerunt. Poſteà (vt ais) cœperunt condi monaſteria, in quibus viuebant nullis obnoxij votis. Denique poſtremis (vt ais) temporibus plures Monachorum ſectæ factæ ſunt, addita vota, atque adeò Chriſtiana libertas extincta. Hæc ſunt tua, miſciole, dicta pulchra ſcilicet, & obtuſi nimiũ ingenij argumenta, quibus & paupertatem religioſam improbare caſſo labore conaris. Conaris & aſſerere, monaſteria cœpiſſe lõgo pòſt Auguſtinum tempore, quod falſum eſſe, ex ipſomet Auguſtino liquet: quippè qui in Retractatione in librum de opere Monachorum, ita expreſsè ait: Vt de opere Monachorum librum conſcriberem, illa me neceſſitas compulit, quòd cum apud Carthaginem monaſteria eſſe cœpiſſent, alij ſe ſuis manibus tranſigebant, obtemperantes Apoſtolo. Alij verò ita ex oblationibus religioſorum viuere volebant, & cætera quæ ſequuntur. Vides vt monaſteria ſuo tempore apud Carthaginem eſſe cœperant. Nec tamen vult aſſere, tum primùm abſolutè incœpiſſe, ſed apud Carthaginem. Quoniam ante eius tempora, alibi eſſe cœperant, quod ſatis ex Hieronymo confici poteſt. Fatetur etiam ingenuè, aliquos non Monachos, collatis in commune pecunijs vixiſſe, & quidem ante Auguſtinum, quod negare nõ potes, cùm Pythagoras diſcipulos huius generis habuerit. Fatemur & monachos nonnullos, præſertim qui in deſertis victitârunt, tribus ali-

Monaſteria non incœpiſſe poſt Auguſtinum.

quando votis non fuiſſe obnoxios. Verùm ij nec propriè Monachi, nec (quoad ſtatum) perfecti fuerunt, ſed aliqui ſemper reperti ſunt à tempore Apoſtolorum, qui perfectiores (de ſtatu loquor) ſe votis obligârunt. Sed his admiſſis, quid conficere vis, non video. Si putes hanc conſequentiam alicuius eſſe momenti: Nonnulli tempore Auguſtini collata in commune pecunia vixerunt: igitur religioſa paupertas cœpit tempore Auguſtini vel circiter: planè ridiculus es, & artis Dialecticæ prorſus ignarus. Nō enim hæc cauda ex illo eſt vitulo. Fieri enim poteſt, vt tempore Auguſtini quædam viuendi communitas ſine votis cœperit, ſed hoc nō conficit, quin ante eius tempora exorta ſit religioſa viuendi communitas. Vtrunque enim vel hoc tempore ſimul videmus. Quòd deinde quendam ineptum ordinem facis, eorum qui in communi vixerunt, prorſus illis Patribus, qui de re monaſtica ſcripſerunt, diſſentis, nihilque vel authoritatis, vel rationis afferens, das ſine mente ſonum. Planè igitur & ineptus & ridiculus es, quippè qui ſomnia vel mendacia perperàm excogitata duntaxat profers in medium, quæ nec reſponſione digna ſunt. Denique quòd ait, rectiùs eos pauperes eſſe, qui egenis ſua diſtribuunt, mentitur planè infœlix adoleſcens, qui vſqueadeò inſanus eſt, vt non ſatis ſit Iouinianum ſuſcitaſſe, niſi & Vigilantium, imò verò Dormitantium, hæreticum à ſacro Hieronymo confutatum, excitet ac referat. Dicebat enim Vigilantius idipſum, quod inſanus
Hierony. adoleſcens aſſerit. Cui reſpondet Hieronymus in hunc modum. Quòd autem aſſerit, eos melius facere, qui vtantur rebus ſuis, & paulatim

latim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus diuidant, quàm illos, qui poſſeſſionibus venundatis ſemel omnia largiantur, non à me ei, ſed à Domino reſpondebitur. *Si vis eſſe perfectus, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis patrem, nauiculam & rete dimittit. Iſte quem tu laudas, ſecundus & tertius gradus eſt, quem & nos recipimus, dummodò ſciamus, prima ſecundis & tertijs præferenda. Vides vt ſint præferendi, qui omnia propter Chriſtum miſſa fecerunt, eis qui bona retinent, licet benè vtantur. Quod & Auguſtinus in libro de Eccleſiaſticis dogm. teſtatur, cùm ait: Bonum eſt enim facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare, melius eſt pro intentione ſequendi Dominũ inſimul donare, & abſolutum ſolicitudine egere cum Chriſto. Concordat Chryſoſtomus in Homilia, dicens: Et quia de pecunijs erat ſermo, à quibus denudari admonuit, oſtẽdit, quòd ampliora his retribuat. Aſtipulatur & gloſſa Ordinaria Matth. 19. dicens: Qui reliquerit omnia & ſecuti ſunt Dominum, hi iudices erunt: qui licita habentes rectè vſi ſunt, iudicabuntur. Duo enim ſunt ordines bonorum. Ex quibus omnibus colligitur, quam ineptè putet eos rectiùs pauperes eſſe, qui diuitias habent, de quibus dicitur, quòd diuites difficilè intrabunt in regnũ cęlorum. Non negamus tamẽ, eos poſſe intrare, modò illud Pſalmiſtæ obſeruẽt: *Diuitiæ ſi affluãt, nolite cor apponere.* Quod quia difficilè eſt, eapropter cum difficultate magna regnum cœlorum adire poſſunt. Denique ad obedientiam tranſit, quam vltimo loco collocat, quamuis ſit digniſ-

Matt. 19. *Auguſt.* *Chryſoſt.* *Matt. 19.* *Pſal. 61.*

digniſſima omnium. Qua in re primum increpat religioſos, quòd publicis magiſtratibus non pareant. Deinde dicit, obedientiam eſſe eandem in his, qui communi vita ſine votis viuunt, & in religioſis voto aſtrictis. Qua in re breuiter reſpondemus, nos principibus tũ ſpiritalibus, tũ temporalibus parêre ſolere, quando opus eſt: Verum vltra eos habemus capitula generalia, habemᵘ & Viſitatores ſeu prouinciales noſtros, habemus denique Priores & prælatos quibus obedimus. Non tibi tanta Superiorũ ſarcina fragilibus humeris ſufficere videtur? Obedimus ergò noſtris Superioribus, ſed præſtantiori modo, quàm ſeculares ſuis Magiſtratibus. Illi enim quibuſdam in rebus duntaxat, nos autem in omnibus. Illi etiam ſuam retinent voluntatem, nos autem abnegamus prorſuſque deſtituimus. Itaque magna eſt inter obedientias huiuſmodi diſparilitas. Quamobrem cùm in religioſis, & alijs, qui non vouerunt, obedientiam æquale dicis, neſcis inſane, quid conſiliaria, neſcis quid votiua obedientia ſibi velit. Illa enim obedientia, quæ omnibus communis eſt, neceſſaria eſt. At verò altera eſt ſublimior quæ conſulitur, & interdum voto firmatur, qualis eſt religioſorũ obedientia, quippè qui voto ſe obſtringunt, & quod in homine difficillimum eſt (voluntatem ſcilicet ipſam) deſerunt, alienæq; prorſus ſubijciunt, vt ſemetipſos abnegantes, Chriſtũ ſequantur, qui fuit obediens vſque ad mortem. *Phil. 2.* Quæ omnia conficiunt, obedientiam in religioſis maiorem, ſplendidioremque eſſe. Quod quia paſſim admiſſum eſt, & à nullis niſi hæreticis impugnatur, eam ob rem receptui canendũ eſt. Quòd tandem totum tuæ veſaniæ venenum ſimul diffun-

fundis,& omnes inſanias tuas ſimul colligens, aſſeris monaſticam viuendi rationem non eſſe optimam,nec communi vitæ pręferendam,licet in ſuperioribus ſatis reſponſum ſit, breuiter tamen dicimus, tria Chriſtianorum genera eſſe. Primum eſt ſupremum,ſcilicet Prælatorũ: Alterum eſt medium, quod & ſtatus perfectionis ſuo modo dicitur,videlicet religioſorum votis aſtrictorum: Tertium eſt infimum,eorum ſcilicet,qui religioſis votis deuincti non ſunt, quos (vt obſecras)patimur,imò verò deſideramus vehementer Chriſtianos non ſolùm dici,ſed etiam re ipſa eſſe. At non patimur eos,quoad ſtatum,ęquales religioſis eſſe.Nam vt ſacer Hieronymus ait,quando minora maioribus coæquantur, inferioris comparatio Superioris iniuria eſt. Taceo quòd blaſphemiam euomis in ſanctũ Thomam Aquinatem virum doctiſſimum, quem ineptum fratrem vocans carpis, quòd dixerit in profeſſione religioſa,omnia delicta condonari. Hoc fateor nulla ſcriptura diuina expreſsè dicit, ſed ratio ſatis conficit. Si enim cũ dedicatur materiale templum,datur venia: nonne par eſt, vt cũ ſpiritale dedicatur,etiam venia detur? Si plena contritio atque conuerſio omnium veniam quandoque promeretur flagitiorum, cur profeſſio(quæ miranda prorſus eſt conuerſio) non etiam merebitur? Denique profeſſio ipſa quoddam genus eſt martirij. At in martyrio peccata omnia condonantur. Sed de his aliâs. Itaque mi adoleſcens,ſi ſalutis tuæ curam geris,ſi ſapis,reſipiſce,palinodiam cãta,& inſanis erroribus profligatis, ad rectam veritatis ſemitam ſapienter redi. Alioqui ſi perſeueraueris,& poſt funus torqueberis gehenna,& interim Eccleſiaſtica cenſura

Tria Chriſtianorũ genera.

Hieron.

ſura tibi parabitur. Cæterùm iam ſupereſt de alijs exercitijs Cartuſianis, quæ poſt vota præceptaq; ſunt præcipua, vel breuiter quicquam ſubnectere, videlicet de ſtatutorum obſeruantia. Speciatim verò de ſilentij cenſura, de cellæ obſeruantia, de perſeueranti vitæ aſperitate, & demum de corporali labore. His enim breuiter diſcuſſis, negotio finem imponere certum eſt.

CAPVT VIII.

Præmiſſis obiectionibus, ponuntur quæ ad ſeruanda generatim ſtatuta impellere debeant, deinde quæ ad ſeruandum ſilentium: Item quæ ad cuſtodiam cellæ obſeruandum concitare ac iuuare poſſint, vbi & delectione ſiue ſtudio aliqua inſeruntur: Inſuper quæ ad perſeuerantiam in rigore vitæ tenendam ſuffragari poſſint, & denique quibus de cauſis & quomodo ſit corporaliter laborandum.

Oblocutor.

Certum eſt & nobis, antequam negotio finis imponatur, quicquam adhuc afferre, quod in Cartuſianam vitam iuſtè obijci poſſit. Inprimis quoad ipſa ſtatuta, palàm eſt, vos ea perperam obſeruare ſolere. Sed quid mirum vſque adeo? Sunt enim tam multa, tamque variè diſperſa, vt nulla quantumuis fœcunda, memoria poſſit ea retinere. Deinde quantùm ad ſilentiũ ſpectat, multi ex vobis ipſum obſeruant, vt cribrum aquam. De cellæ quoque obſeruãtia, non attinet multa dicere. Videmini enim mihi aſſiduè per clauſtrum curſitare, aut certò gratia confabulationis in alienis cellis iugiter verſari. De vitæ aſperitate iam ſatis multa ſuperiùs memini

Ca. 9. 3. tract. l. 2.

mini me dixiſſe. Adhuc tamẽ dicere iuuat quoſdam ex vobis nimium habenas laxare, nullamque vitæ aſperitatem ſectari. Alios contrà per indiſcretionem ſe conficere, qui propterea plenè dementes, vel ſemiſtulti efficiuntur. Itaq; nec modum, nec medium tenetis. Denique quoad laborem corporalem pertinet, nihil vtilis laboris ſumere ſoletis. Qui enim clauſtrales ſunt, non ſcribere, non vtiliter laborare, non demũ quicquam pro re communi facere volunt, ſed aut prorſus nihil operantur, aut curioſis laboribus incumbunt, aut demum artificioſa quædam efficiunt, quibus ſeculares donent, vt ab eis viciſſim deſiderata munera accipiant. Qui verò officiales ſunt, laborant (fateor) ſed in proceſſibus ſuſcitandis, agitandiſque, & immenſis opibus congerendis. Litibus enim vſque adeò dediti eſtis vos Cartuſiani, tantamq; acrimoniam in eis habetis, vt iam nullus ſit, qui vobiſcum litigare non formidet. Terrenis quoque opibus, non autem cœleſtibus diuitijs congerendis, acquirendiſq; ita eſtis intenti, vt omnia penè conquiratis. Si quid venale eſt, protinus ad vos concurritur, quippe quos omnes nôrunt pecunijs infinitis refertiſſimos eſſe. Itaq; nihil poſſeſſionis iuxta vos acquiri poteſt. Nullus inquam, propterca viciniam veſtram expetit. Mali enim vicini eſtis. Nunquid nam vos ſoli terram poſſidebitis? Patimini alios propè vel viuere, qui debuiſſetis olim omnia hæc terrena deſpexiſſe. Denique omnes quidem laboratis, ſed labiorũ, auriumque labore. Siquidem multùm in murmurationibus, querimonijs, oblocutionibus, alijsq; vanis curioſiſque verbis laboratis. Laboratis & ſæpenumerò in ſciſcitandis audiendiſ-

que

que rumoribus ſæculi, qui apud vos longè melius, quàm in plateis aut palatijs frequentur ſciũtur. Hic eſt labor veſter, qui, iuxta Pſalmiſtæ verbum, operiet vos, niſi meliùs laborauerítis.

Pſal. 139 PETRVS. Iam ſatis ſuperque laboraſti. Iam te caſſo labore nimium fatigaſti? eam ob rem tẽpus eſt, vt à labore (præſertim inani) temperes. Tempus, inquam, eſt vt & nos à labore ceſſemus, quem hactenus in tuis oblocutionibus ferendis ac refellendis perpeſſi ſimus, ſi priùs tamen tuarum nouiſſimarum oblocutionum iacula contriuerimus. Quod quidem vt breuiter faciamus, ab ipſorum ſtatutorum obſeruantia primum exordiamur, dicentes multa eſſe, quæ nos ad ſtatuta ipſa diligentiùs obſeruanda concitare debeant. Inprimis ea ipſa ſunt lex, forma ſeu regula, qua religiosè viuitur, ac ſine qua decentem agere vitam non valemus. At verò ſuam legem ſeu viuendi formam quiſq; ſectari debet, alioqui præuaricatur. Sed forſan dicis. Nunquid ſufficere poterat lex ſeu regula Chriſti generalis ad benè viuendum? Dicimus eam per ſeſe ſufficientiſſimam eſſe ad benè catholiceque viuendum, ſi homines decenter viuere, treſq; virtutes theologicas ſectari vellent. At tanta eſt hominũ inſolentia, vt niſi alijs ſit conſtricta lupatis, cohiberi à noxijs nõ poſſit. Porrò multa ſunt, quæ in lege vniuerſali ſtatum omnem concernente peculiariter explanata non ſunt, quæ tamen neceſſaria videntur: eam ob rem non ſolùm in religioſo, ſed etiam in quouis alio ſtatu, multa ſtatuta porrò addita ſunt. Cernere enim eſt, nullũ eſſe gradum vel ſtatum, quin inſtitutiones ac regulas habeat, quibus parere habeant, qui ſtatum illum profitentur. Sic videmus in Collegijs Ecle-

De Statutorum obſeruantia.

cleſiarum facultatibus, Vniuerſitatibus, gymnaſijs, alijsque hoc genus communitatibus ſtatuta eſſe permulta, quibus vel iuramentis, vel pœnis adiectis, ad ea ſeruanda impelluntur, qui in eis viuere volunt. Sic in Curijs, Parlamentis, alijsq; foris cauſidicis multa eſſe inſtituta (quæ ſtylum vocant) quæ practicos ipſos ad vnguem obſeruare neceſſe eſt. Sic in re literaria, ſic in re militari, ſic demũ in omnibus artibus præcepta quædam inuenire eſt, quę rerum ipſarum cultoribus obſeruāda præcipiuntur. Deniq; nullum eſt genus hominum, quod à legibus, ſtatutis, ſeu quibuſdam vitæ inſtitutis immune, prorſusque liberũ inueniatur. Nihil igitur eſt, quò monachis de ſuis ſtatutis legi diuinæ ſuperadditis, quæratur aut turbetur. Deinde ſtatuta ipſa ſunt quædam via compendioſa rectaque ſemita, quibus meliùs ſecuriusque ad finem itineris peruenire poſsit. Solent enim viatores ad ſemitas breuiores diuertere, quò citiùs ac rectiùs iter ſuum cõficere queant. Itaque Monachus longiore via dimiſſa, debet alacriter rectiorem ſuorũ ſtatutorũ ſemitam obſeruare, quam ſibi pro omnibus delegit. Porrò ſtatuta ipſa ſunt velut inſtrumenta quædam, quibus religioſum opus decentiùs aptiusque confici poteſt. At verò nullus eſt, qui ſuę artis inſtrumenta diligentiſſimè non curet. Penicillos enim pictor, malleos faber ferrarius, bipennem lignarius, nouaculam tonſor, aratrum incuruus arator, miles equos & arma, venator canes & aues, piſcator hamos & caſſes, lyrã citharœdus, & demum ſua quiſque ſimiliter curat. Cur ergò Monachus non etiam ſua inſtrumenta curabit diligenter? ſua videlicet ſtatuta, quibus (vt diximus) religioſum opus perficitur, hoc

 eſt,

eſt, religioſa vita agitur. Inſuper ad ea ſolicitè obſeruanda ſeipſum aſtrinxit, quando vitã agere regularem ſecundùm ipſorum ſtatutorum tenorem pollicitus eſt. At turpe eſt, fidem ſoluere, iuſtiſque promiſsis minimè reſpondere. Deniq; magna parantur præmia his, qui diligẽter ea ſeruauerint, vt è diuerſo magna ſupplicia manent eos, qui neglexerint. At verò cùm ſtatuta dicimus obſeruanda, intelligimus planè omnia, quãdoquidem pars vna ſine alia nequaquã ſatis eſt. Vt enim ſatis decorus eſſe non putatur, qui barbam ſemiraſam geſtat, ita nec Monachus, qui ſuarum inſtitutionũ partem vnam duntaxat obſeruat. Adde quòd ſint ſpeculũ vitæ monaſticæ: ea de re contentus eſſe non debes, vnã duntaxat partẽ cõſiderare. Siquidem in ſpeculo corporali teipſũ cõtẽplans, contentus nõ eſſes ſolùm vnã faciei partẽ ſpeculari. Sunt ergò oĩa planè ſeruãda. Sunt deniq; etiam purè obſeruanda, vt ſ. nullæ extraneæ, ſeu peregrinæ obſeruãtiæ miſceantur. Quod tamen interdũ faciunt nonnulli, qui aliis cæremoniis aſſueti, eas dediſcere negligunt,
2. *Eſd.* 13. aut deſerere nolunt, qui ſimiles ſunt illis ipſis, qui partim Iudaicè, partim Azoticè loquebantur. Similes, inquam, reſarcitoribus, qui in eodem indumento varia fruſta ponunt. Similes denique illis, qui bicolores veſtes gerunt. At verò dedecus eſſet religioſo, bicolorem veſtẽ ferre. Eapropter cum obſeruãtiis Cartuſianis quaſdam extraneas admiſcere, pudendum quoque cenſeri debet, maximè cùm hoc non laudem, ſed vituperationem: non meritum, ſed inobedien-
Ca. 6 2. tiæ pœnam mereatur. Adde quòd nihil frugis
pa. no. ſ. 5. refers ex labore, quem in aliis obſeruãdis habes. Denique extraneorum rituum caſſa obſeruatio

ſtatu-

ſtatutis ipſis interdicitur, quibus ſancitur, vt qui obſeruantiis ordinis ſe noluerint cõformare, ad profeſſionem nullatenus admittantur. Sunt igitur ſtatuta omnia diligenter ac purè obſeruãda. Nec te abducere debet, quòd non omnes ſtatutorum ordinationes præcepta ſint. Hoc, inquã, te à plena obſeruantia dimouere nõ debet, quãdoquidem nullũ eſt, quod contemnere citra culpam grauiſsimam poſsis. At verò mala conſuetudo facilè contemptũ inducit. Nullum, inquã, eſt, quod per negligentiam impunè præterire queas: aut enim in hoc ſeculo, aut in futuro negligentia huiuſmodi pœnas dabit. Adde quòd meritum obedientiæ perdis. Deniq; fratribus tuis & ſcandalum facis, & moleſtia afficis, cùm te vident palàm regulares obſeruantias non curare. Sed iam peculiariter ad ſilentij cẽſuram accedamus, dicamuſq; ſilentium multas ob cauſas iugiter obſeruandum eſſe. Inprimis quòd inter obſeruantias Cartuſianas vna de præcipuis reputatur, vſque adeò vt nihil vel parum æſtimetur Monachus, qui ſilentiũ non ſeruauerit. Deinde per ſtatuta ipſa ſtrictè iniungitur, grauiq; pœna mulctatur ipſius fractor ſilentij. Etenim culpam *17. ſe. par.* ſuam clamare & diſciplinam capere in proximo *an. 4.* capitulo debet, cùm tamen aliarum obſeruantia- *4 ſecũdæ* rum præuaricatores virgis paſsim cædi non ſo- *par. no. 12* leant. Turpem igitur culpã arbitrati ſunt patres, *4. 2. par.* qui puerili diſciplina expiandam cenſuerunt. *no. §. 15.* Cenſuerũt & eum grauiori pœna afficiendũ, qui aſſuetus fuerit in frangendo. Porrò innumera linguę vitia, quæ vix etiã à perfectis viris poſsũt deuitari, quibus tamen loqui nonnunquã pro neceſsitate incumbit. Deniq; pacem mẽtis ac puritatem parit conſeruatq; fidelis ſilentij cenſura.

Vbi enim ſeruatum fuerit ſilentium, in magna conſcientiæ viuitur tranquillitate. Non enim Deus ipſe, non proximus, non ipſius elinguis ſeu muti pectus offenditur. Itaq; faciliter conſcientia, dum tempus adeſt, diſcutitur, breuis aut nulla confeſſio exigitur, ad rem diuinam faciũdam promptiùs acceditur, & denique bona alia innumera iuge ſilentiũ impertitur, quod & tandem copioſa conſequetur præmia, quibus fractor ſilentij non ſolũ viduabitur, ſed malis etiam multis afficietur. At dicis. Si bona ſalutariaq; verba duntaxat depromere voluero, nõne licebit? Dicimus tibi facultatem non habenti minimè licere, niſi fortè pauca verba, eaque neceſſaria, quæ ſcilicet differri aliâs non poſſit. Ea enim quę per ſeſe bona ſunt, interdum licita non ſunt, quod in propoſito contingit. Etenim interdictus nõ poteſt verba, quantumuis bona (niſi vt diximus) cũ fratribus facere. Eſto enim bona diceres, non tamen benè. Itaque ſi tanti res eſt, petito facultatem, ſi culpam deuitare cupis. Cæterùm ad cellæ custodiam tranſeam⁹, dicamusq; inprimis, quid ad eam obſeruandam concitare debeat. Deinde, quæ ad id nos iuuare queant. Inprimis ad eam fideliter cuſtodiendam impellere te debet multa eius dignitas, de qua diximus primo libro, cùm de ſolitariæ vitæ laudibus ageremus. Item hoc ſecundo libro in principio ſatis diximus. Deinde multę eius commoditates (quas ſuis veris cultoribus affert) vt ibi tetigimus, & ad quindecim vſque progreſſi ſumus, ad hoc ipsũ penitus concitare debent. Poſtmodùm te quoque impellere habet obligationis neceſſitas quam tibi ex libertate feciſti. Etenim cum ſacro religionis habitu donatus es, tibi peculiariter iniuncta eſt per Superio-

De Cella. (margin, beside "tem, ſi culpam deuitare cupis")

Ca. 17. tract. 3. tract. 1. c. 2. & 3. (margin, beside "de ſolitariæ vitæ laudibus" … "toribus affert")

periorem cellæ obſeruãtia in remiſſionem peccatorum, quam ipſe ſarcinam liberè ſuſcepiſti. Nemo enim te cogebat. Adde cum morum correctionem promiſiſti, teipſum ad cellam obſeruandam feciſti obnoxiũ. Porrò vitæ ipſius qualitas, ſiue propoſitum, quod libẽs ſuſcepiſti, hoc prorſus flagitat, quippè quod ſuaptè natura ſolitarium eſt, nec à cæteris monaſticis ſtudijs magis diſtare putatur, quàm iugi cellæ ac ſilentij obſeruantia, per quam & diſcrimen potiſſimum habet, & prẹſtantiam. Hoc enim exercitio (quod difficillimum eſt) cæteris omnibus præſtat Cartuſiana vita. Itaque ſi cellam, ſilentiumq́ue decenter non ſeruaueris, quo pacto ab alijs Monachis diſtes, præter veſtem (quæ parum facit) non video, quos tamen omnes in hoc ſuperare debes: quippè qui omnium (ſi ita loqui licet) ſis monachiſſimus, quòd præ cæteris ſolitudinem colere debeas. Ad hæc infinita proborum Monachorum exempla concitare debent ad cellæ ſolitudinem iugiter obſeruãdam, qui propterea multis laudibus ac præmijs digni habiti ſunt, quibus & te quoque dignabitur is, qui veros ſolitarios affatim præmiare ſolet, ſi fideliter eos ſectatus fueris. Denique detrimenta multa, tùm præſentia, tùm futura, quibus affici ſolent præuaricatores monachi, qui cellam fideliter cuſtodire non curant, te plurimùm mouere debent. At quoniam diximus perſeuerantem cellæ ac ſilentij cenſuram eſſe obſeruatu difficillimam, ea de re nonnulla ſubnectamus, quæ ad id iuuare poſsint. Primùm ac præcipuum ſecundùm Petrarcham remedium cellæ conſeruatiuum, eſt cellæ aſſuefactio, qua ſcilicet à primordijs homo conſueſcit in cella ſecum morari. In ea enim

Ca.31.§.1. quantò diutiùs, vt Guigo noſter ait, tantò libentiùs habitabit, & eam, ſi frequenter & leuibus de cauſis exire inſueuerit, citò habebit exoſam. At quoniam conſuetudo ipſa non ſtatim, aut feſtinanter fieri ſolet (imò verò principia ſoleāt dura aſperaque videri) eapropter vincenda paulatim erit huiuſmodi difficultas, quæ lapſu temporis mitior fiet, tandemque ſuperabitur. Alterum remedium ſiue adiutorium eſt, vt nec occaſiones egrediendi quærantur, nec tentationes ad id concitantes admittantur, ſed cum primùm ſe offerunt, viriliter repellantur. Hinc probè noſter Guigo admonet, ne occaſiones huiuſmodi quærantur, vel recipiantur, cùm ait: Cellæ incola diligenter ac ſolicitè decet inuigilare, ne quas occaſiones egrediendi foras vel machinetur, vel recipiat, exceptis iis, quæ generaliter inſtitutæ ſunt, ſed potius ſicut aquas piſcibus, & caulas ouibus, ita ſuæ ſaluti & vitæ cellam deputet neceſſariam. Benè quoq; ſacer Hieronymus admonet, non ſtatim ad primam tentationem exeundum eſſe, cùm inquit: Non ſemper cùm tentaris, egrediendum. Nunquam enim occaſio deerit egredi volenti. Hæc ille. In iis aūt tentationibus quædā callidiores ſunt, quæ ſub vmbra alicuius boni operis aut bonitatis ſpeciem habentis, facilius incautos decipiunt, quas vaferrimus hoſtis ingerit, vt cellam ipſam velut carcerem quendam per deſuetudinem reddat exoſam, & alienæ viſitationis prætextu aſtutè impellat ad murmurationes, detractiones, aliaque inepta verba, quæ ſæpè contingunt, quando cella temerè deſeritur. Igitur cùm tentationem ſentis, noli ſtatim exire, ſed protinùs tùm mentis, tùm corporis greſſum ſiſte, tecumq; prudenter

Non egrediendum ad quamlibet tentationem.

ter diſcutè, quęnam ſit exeundi neceſsitas. Quam cùm nullã eſſe animaduerteris, ipſa tentatio vel à te recedet, vel faciliter ſuperabitur. Inſuper aliud antidotum eſt, diligens cõſideratio eorum, quæ ad cellam obſeruandam inducere queant, quorum nonnulla paulò antè tetigimus. Itaque vel mente, vel etiam lectione ſæpè reuoluenda tibi erunt, quæ ſolitudinis amorem excitare, augereque poſſunt, quæ à nonnullis ſolitariæ vitæ amatoribus memoriæ prodita ſunt, quorum & nos ſectati veſtigia, multa primo lib. attulimus. Ergò ſi faciliùs cellam obſeruare cupis, piis conſiderationibus bonisq; meditationibus incumbe, præſertim illis (vt diximus) quæ amorem cellæ excitare, & timorem etiam incutere, teque ab exeundi leuitate arcere queant, vt ſunt meditationes de morte, de extremo iudicio, de pœnis inferni. Quæ ſi diligenter imò pectore condideris, facilè ſatis laborioſum cellæ tędium perferes. Porrò aliud remediũ eſt, otiũ vitare, ſeu (ꝙ idem ſibi vult) ſeipſum iugiter occupare. Non.n. poterit diutiùs in cella manere, qui otioſus eſt: Vnde obſecro tam frequẽter, tamq; faciliter nõnulli à cella exeũt, niſi quia inerti otio vacant, bonisque occupationibus intenti nõ ſunt? Ergò remedium bonum eſt, te iugiter occupat. Quod quidẽ vt fiat aptiùs, & cellam quoq; faciliorẽ ac iucundiorẽ reddat, opportunum eſt, diuerſitati exercitiorũ prudenter incumbere. Si enim vnigeni panis tędio affici ſoleant homines, haud dubiè poterũt quoq; faciliter vnius generis exercitia fieri ingrata. Natura enim ſolet diuerſis oblectari. Itaq; vtendũ erit diſcreta laborum ſiue exercitiorũ varietate, & modò corporalibus, modò ſpiritualibus occupationibus incumbẽdum.

Exercitia ſpiritalia. Sed & alternatim ipſis ſpiritualibus exercitijs vacandum erit, quantum per facultatem licebit. Hæc autem ſunt quatuor, ſcilicet lectio, oratio, meditatio, ſiue conſideratio, & ſublimis cōtemplatio, de quibus omnibus, præter quam de lectione, in ſuperioribus diximus. Quia igitur de lectione, ſiue ſtudio nihil penè tetigim⁹ (nequid huiuſmodi exercitiorū prorſus euadat in actū) vel parum aliquid tangamus, dicamusq́; lectionem debere eſſe proportionatam, hoc eſt, ne quis id legat quod ſit viribus impar, & ingenioli metas tranſcendat. Quod tamen faciunt præſumptuoſi quidam, qui ea lectitant, quæ capere non ſufficiunt, immemores illius dicti vulgatis

Eccleſ. 3. *Altiora te ne quæſieris.* Deinde opus eſt lectionem eſſe diſcretam, ne vel vltrà quàm par eſt ſit productior, vel tempore non apto fiat, putà cum orandum, dormiendū, aut aliquid alterius operis neceſſarij faciendū eſt. In quo nonnulli grauiter errant, qui lectioni vacant dum orare debent. Maledictū enim eſt ſtudiū, propter quod intermittitur diuinum officium. Alij verò cum ſomnij refectionem ſumere habent, aliquid vel legunt, vel ſcriptitant, non aduertentes, dæmonem ſibi illudere, quippè quos ad hoc vehementiùs accendit, vt poſtmodùm in officio diuino ſomnolentos reddat, aut eos cerebro vacuet, vel demùm hebetes ſeu dementes prorſus faciat. Alij deniq; ita hallucinantur, vt cum aliquid neceſſariè faciendū eſt, illo poſtergato, lectioni operam dare malunt. Hæc autem omnia temeritatis ſeu imprudentiæ argumenta prorſus refellenda ſunt, magnaq́; diſcretio adhibenda eſt, ne lectio (quæ pro quodam orationis adiumento, præſertim à Monachis accipi debet) noxia fiat. Porrò

lectio

lectio ſtabilis,non aũt vaga aut inſtabilis eſſe debet. Ineptũ enim eſt, nunc in vno, nũc in alio libro, modò in vna parte, modò in alia legere. Hæc enim lectio nihil penè frugis afferre ſolet. Quod vt vitetur, duo duntaxat de armario dantur libri, ne ſ. vagæ lectioni occaſio detur. Denique operęprętiũ eſt, lectionẽ piam vtilemq; eſſe, vt ſ. & aliquid orationis interponatur, quæ ipſi lectionis condimentũ & adiumentum eſt, & legantur volumina, quæ vtilitatis ac pietatis multum afferre poſsint. Quæ, inquam, ad ſtatum legentis pertineant, eumq́ue imbuere in rebus ſibi conducentibus queãt. Itaq; legenda ſunt inprimis illa, quę diuinorum mandatorũ ſenſa cõplectuntur. Deindè quę ad religionis vota pertinent. Inſuper ſtatuta ipſa, quæ religiosè viuere docent, ſunt nocturna verſanda manu, verſanda diurna. Porrò illa, quæ ad propoſitũ aſſumptũ, tùm intelligendum, tùm obſeruandũ conducere valeant, etiam diligenter explorãda ſunt. Adhæc ſcripta illa, quæ vel feſtis occurrẽtibus, vel tempori congruunt, minimè ſunt negligenda. Deniq; alia pia vtiliaq; volumina, quæ mores ædificant, & ad probam vitam concitare ſolent, maximè quæ ſancti probatiq; Doctores ediderint, voluenda ſunt. Reiicienda ergo ſunt futilia, vana, curioſa, extranea, & quæ nihil vtilitatis lectori afferre ſolent. Sed de iis hactenus. Ad inſtitutum igitur redeuntes, dicamus, in ipſis exercitiis varietatem quandam obſeruandam eſſe, vt cella obſeruatu facilior iucundiorq; efficiatur. Seruandus tamen in omnibus modus, ſeruanda quoq; diſcretio. Vt videlicet præcipua cura ſit de cultu diuino perſoluendo, quod cæteris omnibus præferendũ eſt. Deinde curandum, vt alia,

Libri legẽdi, qui.

 quæ

quæ pro neceſſitate faciunda incumbunt, omninò fiant. Hæc enim ſecũdum locum ſibi vendicant. Quibus expletis, alia prudenter addi poterunt. Porrò vt aliud remedium pro conſeruãda fideliter cella ſubnectam⁹, quod facilè eſt & cõmune, ad orationem confugere opus erit, maximè verò cùm tẽtatio cellicolam pulſare incipit. Sed & precib⁹ aſſiduis pro debita cellæ cuſtodia conſequenda, diuinum auxilium implorandum
Matt. 7. eſt. *Petenti enim dabitur, & pulſanti aperietur.* His autem exercitiis diligenter intentus, non ſolùm exteriorem cellæ cuſtodiam, ſed etiã bonam mentis ſolitudinem (quæ præſtantior eſt) facilè obſeruabit. Facilè, inquam, noxias cogitationes vitabit, dum tamen meminerit, quando de vno ad alterum tranſitur, cauendam eſſe verſuti hoſtis calliditatem, quæ ſolet in ipſo tranſitu noxias cogitationes afferre, quas homini occupato nõ ita poteſt. Sed iã quæ pro vitæ aſperitate perſeuerãter obſeruanda valeãt, breuiter dicam⁹. Inprimis .n. ſinceritas intẽtionis neceſſaria eſt, quã & in omnib⁹ exigi, nemo prudẽs hęſitat. Niſi .n. ea aſſit, ipſe rigor vitę nihil proderit, nec perſeuerãter obſeruari poterit. Nam fatuę virgines, hoc eſt, ſe ab illicitis cõcupiſcentiis propter
Matt. 25. humanam laudẽ continentes, tandem à Dño reprobantur, quia oleum rectæ intentionis nõ habuerũt. Ergo non poterit opus diu perſeuerare, quod ſincera intentione caret, ſed tandem decidat neceſſe eſt: nec tandẽ aliquid præmij, ſed potiùs criminationis multum habebit. Deinde ad perſeuerandum, obſeruandũ eſt: Ne quid nimis. Quod fiet, ſi primùm per diſcretionẽ caueatur, nec vſus rationis euertatur. Deinde ſi nõ reddãtur ſenſus hebetes, ſiue ſtolidi, & ad vſum ſuũ inepti.

epti. Poſtmodum ſi propterea nullum impedimentum fiet iis negocijs; quæ pro ſtatu obſeruãda ſunt. Denique ſi mentis puritati continuò nihil officiatur. Horum enim obſeruatione vitabitur. Ne quid nimis, fietq; vitæ ipſius rigidæ perſeuerantia facilior, quæ tam ardua res eſt, vt nihil ſit difficilius in religioſis exercitijs, quàm iugem cellæ cuſtodiam, cũ aſſidua rigidæ vitæ perſeuerantia, obſeruare. Hæc enim omnia alia ſua difficultate ſuperant. Quam ob rem diligẽter ea ſeruãda ſunt, quæ ea facilia, grataq; reddere queant. Inſuper ad perſeuerãtiam habendam reuoluenda ſunt, quæ ad rigidioris vitæ perſeuerantiam conducere queant, puta diuinam admonitionem dicentem: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*. Exempla quoque innumera, etiam fœminarum, quæ perſeuerauerunt in vitæ aſperitate. Similiter breuẽ eſſe vitam, ſtatimque labores finiendos, præmia autẽ manere perpetua. Nihil quoq; prodeſſe præterita omnia, niſi perſeueretur, & alia demùm id genùs permulta. Denique ipſa varietas exercitiorum (quam diximus cellæ cuſtodiæ neceſſariam eſſe (ipſius vitæ perſeuerantiæ plurimùm conducere poterit. Quæ nihilominùs malè proficientes monachi nec curantes nec difficultatem huiuſmodi ſuperare conantes ad vitæ laxitatem, vel ſtatim, vel tandẽ dilabuntur, & qui principio feruentes ſpiritu cęperant (ſi tamẽ cęperant) carne cõſummãtur. At qui mèdia vita ingreſſus fuerit, & tut⁹ erit & in aſſũpto propoſito faciliter perſeuerare poterit. Cæterùm ad laborem corporalẽ, quẽ in numero Cartuſianorũ exercitiorũ poſuim⁹, & neceſſariũ quoq; in multis eſſe dixim⁹, tandẽ accedamus dicẽtes inprimis, quib⁹ de cauſis monachi

Ad perſeuerantiã quæ cõducunt.

Matt. 10.

De labore corporali.

labori

labori corporali incũbere debeant. Deinde quid in ipſo labore ſeruandum ſit. Verum mihi in cępto pergere cupienti, occurrit aliquis & dicit, ſatis eſſe bonorum in monaſterio, ea de re ſuperuacaneum eſſe labori manuum incumbere, cum labor manuum ad quærendum victum neceſſarium ordinetur. Deinde alter conqueritur, & ait, ſe vel debilem, vel valetudinarium, vel ieiunijs exhauſtum eſſe, eam ob rem laborare non poſſe. Dicit mihi & alius, ſe melioribus occupationibus, putà ſpiritalibus, incumbere, quæ propter minus vtiles deſerendæ non ſunt. Reſpõdemus primò, rerum copiam non prorſus excuſare monachum, quin laborare teneatur. Quod vt fiat apertius, dicimus quenpiam ad laborandum manualiter multifariam aſtringi poſſe. Inprimis cùm aliundè non habet, vnde ſufficienter viuere poſſit. Eo enim caſu tenetur quiſque labori incumbere, qui laborare poteſt. Deinde cùm aliâs aut iuſtè, aut aptè vitam agere non valet: vtpotè cum nec ſanitatem habere, nec otium vitare, nec carnem domare, nec furta, calumnias, fraudes, turpiaque negotia cauere, ſine huiuſmodi labore poteſt. His enim caſibus labori manuum opera danda eſt. Porrò cum ſufficienter non habet, nec aliâs habere poteſt, vnde extremæ neceſſitati vel ſuorum, vel pauperum conſulere poſſit. Hoc enim caſu, ſi fieri poteſt, corporaliter laborandum eſt. Denique cum peculiari vinculo ad hoc ſeipſum obſtrinxit, vel propoſitũ aſſumpſit quod id ipſum flagitat. Non igitur ſola rerum penuria ad laborandum impellit, ſed aliæ quoq; cauſæ (vt diximus) aſtringunt. Eam ob rem multa bonorum copia non excuſat prorſus monachos à labore præſertim Cartuſianos. Enimuerò

Conuer-

Conuerſi Cartuſiani, qui rebus diuinis non dant operam vel clerici laborare corporaliter pro viribus tenentur. Ad hoc enim ſuſcipiuntur. Adde quod otioſè viuerent, quippè qui ſpiritalibus exercitijs iugiter non incumbant, vt clerici. Nec ea quoque intentione admittuntur, ſed vt ſtatui ſuo reſpondentes, labori manum dēt operam. Alioqui præuaricantur, ſuntque grauiter increpandi, & velut ſui ſtatus transgreſſores diſciplinis regularibus ſubijciendi. Si enim carpi ſoleāt (nec iniuria quidem) diuites ſeculares, qui ſuis opibus viuentes otioſi ſunt: nonnè multo grauiùs inſimulandi ſunt otioſi, religioſi præſertim, qui ad laborandum peculiariter aſtricti sūt? De clericis autem Cartuſianis ſtatim dicemus. Quod autem alius quærebatur dicens, laborare ſe non poſſe: Reſpondeamus quoſdam à labore corporali propter impotentiam, alios verò propter iuſtam occupationem excuſari. Is ergo qui ita affectus eſt, vt nullo modo laborare ſine detrimento poſſit, ad laborandum nec aſtringi, ſed nec incitari quidem debet. Nam vt clariſſimus Medicus Hyppocrates habet: Vbi fames laborādum non eſt. Sanis enim exercitatio ſimul cū inedia præcipienda non eſt. Aegris autem nulla violenta commotio ſimul cùm inedia imperāda. Non ſanguinis miſſio, nō purgatio nō vomitioneque multa fractio, aut in totum vehemens motio aut alteratio corporis. His enim ieiuniorum tempore corporis vires ſoluuntur. Impotentia igitur ab huiuſmodi labore, vel in toto, vel in parte pro ſui qualitate excuſat. Occupatio quoque iuſta & ſpiritalis, quæ & grauior, & melior eſt, excuſat eos, qui prc communi vtilitate ſpiritaliter occupantur, imò verò corporalis labor

Conuerſi Cartuſiani ad corporalem laborem tenentur.

bor ineptus eſſet, qui ſpiritalibus negotijs detrimentum afferret. Itaque excuſantur prælati & clerici ſaltem à iugi labore manuum, qui alienā curam gerentes, ſpiritalibus officijs incumbunt. Excuſantur & ab ipſo labore corporali, ſaltem aſſiduo religioſi, qui ſatis habent vnde viuere poſſint. Non enim aliter quam ſeculares laborare tenētur, niſi quantum eos ſtatus aſſumpſit, ſiue ſua flagitat profeſſio. Excuſantur & præceptores, qui publicè vel artes liberales, vel philoſophiam naturalem, vel diuinam ſapientiam, vel iura profitentur. Denique cæteri, qui vel ſpiritalibus exercitijs (cuiuſmodi ſunt lectio, oratio, contemplatio) vel etiam temporalibus operibus vtilioribus incumbunt, paſſim excuſantur à labore manuum aſſiduò, ſi modo nullus quatuor caſuum quos tetigimus aſſit. Extra quos nihilominus interdum expediret honeſto labori incūbere, qui præſertim nullum neceſſarijs ſeu melioribus exercicijs detrimentum afferret. Hoc enim modo plerumq; vitam iucundiorem vegetioréq; agerent, maioriq; ſanitate, ac diuturniori vita fruerentur. Sed dicis: labor corporis vires abſumit, nō igitur bonæ corporis valetudini cōducit. Dicimus cū quando moderatus eſt, licet corpus quodā modo cōſumat, multū tamē proficere: partim propter diſſolutionem humorum, qui ſolent propter defectū exercitationis in mēbris otioſis generari congregariq; ſupra modū, qui per laborem diſſoluuntur: partim propter quietem, ac deinde digeſtionem bonam inde ſequentem: partim propter caloris naturalis ac virium confortationem, inſtaurationéq; multam. Itaq; lōge plus reparat ac reficit, quam cōſumit. Corpus demū ipsū mūdiùs, agiliùſq; reddit. Eſt igitur

Labori interdum incumbere quā expeditum.

igitur humanæ vitæ admodum vtilis. Cæterùm ijs generalibus dimiſſis, accedamus ad Cartuſianos, dicamuſq; eos (quando commodè poſſunt, hoc eſt, dũ vires ſufficientes habent, nec vrgentioribus aut melioribus negotiis abducũtur) debere interdũ corporali labori operam dare, idque multis de cauſis. Inprimis vt antiquos ſolitarios referant, qui labori manuum incubuerũt, quemadmodum ſacer Hieronymus de patribus, qui in Aegypto vixerunt agens, in Epiſtola ad Ruſticũ monachum teſtatur, ita dicẽs: Aegyptiorũ monaſteria hũc morem tenẽt, vt nullũ abſq; operis labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſaria, quam propter animæ ſalutem. Ne vagetur pernitioſis cogitationibus mens, & inſtar fornicantjs Hieruſalem, omni tranſeunti diuaricet pedes ſuos. Quod fortè exemplum ſi quiſquam Monachus iners ſectari nolit, faciundum illi eſt quod patres nonnulli quibuſdam feciſſe dicũtur. Etenim cùm frater aliquis inſtar aliorum laborare detrectaret, & propterea ad refectionem cũ cæteris vocatus non eſſet, dictum illi fuit conquerenti quod vocatus non fuerit. Tu cibo non eges, eam ob rem laborare non curas, non indigemus, ea de re laboramus. Quo ſanè exemplo intellexit, eum cum aliis laborare debere, qui ſimul & refectionem ſumere cupit. Quod & alio exemplo aptiùs monſtratum eſt. Cuidam anim ſemper ſtudere, nunquam autem corporaliter laborare volenti, poſtquam cæteris fratribus cibi deti feiſſent, liber pro pitantia oblatus fuit, dictumque illi: Tu ſpiritalis es totus eapropter cibo corporali tibi opus non eſt. Quo facto, ille palam rubore ſuffuſus, intellexit, cũ cęteris apto tempore laborandum eſſe. Deinde Cartuſianus labori

Hiero. ad Ruſticũ.

Ezec. 16.

Paradigma.

labori debet corporis incũbere, vt ſanis doctorũm ſanctorum exhortationibus audiat, qui laborem induxerunt, in quibus eſt Apoſtolus di-
2.Theſ.3. cens: *Qui non vult operari, non manducet*, quod de labore corporali accipiendum eſſe, diffusè probat Auguſtinus in libro de opere monachorum.
1.Cor.9. Cui concordat Hieronymus, qui ad præfatum
2.Theſ.1. Ruſticum ſcribens, ita inquit: Fac & aliquid operis, vt te ſemper diabolus inueniat occupatum. Si Apoſtoli habentes poteſtatem de Euangelio viuere, laborabant manibus ſuis, ne quem grauarent, & alijs tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritalibus debebant metere carnalia, cur tu in vſus tuos ſucceſſura non præpares? Vel fiſcellam texe iunco, vel caniſtrum lentis flecte viminibus. Sarriatur humus, areolæ ęquo limite diuidantur, in quibus cum olerum iactata fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ, aquę ducãtur irriguæ, vt pulcherrimorum verſuum ſpectator aſſiſtas,

Ecce ſupercilio cliuoſi tramitis vndam
Elicit, illa cadens raucum per deuia murmur
Saxa ciet, ſcatebriſque arentia temperat arua.

Inſerantur infructuoſæ arbores gemmis vel ſurculis, vt paruo poſt tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare aluearia ad quas te mittunt Salomonis Prouerbia, & monaſteriorum ordinem ac regiam diſciplinam in paruis diſce corporibus. Taxantur & lina capiendis piſcibus, ſcribentur & libri, vt & manus operentur cibum & animus lectione ſaturetur. In deſiderijs eſt omnis otioſus. Hęc Hieronymus. Quibus & Auguſtinus ipſe aſtipulatus in præfato libro.
Auguſt. De opere monachorum vehementer quoſdam increpat monachos atque confutat, qui viuere ex ob-

ex oblationibus ſibi factis volebant, nihil operãtes, vnde neceſſaria, vel haberent. vel ſupplerent, ſed potiùs Euangelicum implere præceptum ſe exiſtimauerũt, quo dicitur: *Reſpicite volatilia cæli & lilia agri.* Vbi & probat propter lectiones, orationes, vel cantica monachos à labore corporali prorſus abſtinere non debere. Porrò debet laborare Cartuſianus quando per Superiorem iubetur. Et nihilominus, vt inſinuetur, eum ipſum de labore corporali, quando commode fieri poteſt, ſolicitum eſſe debere: per ſtatuta tempus præfigitur, quod labori corporali impendi poſſit, vbi dicitur, à tertia vſque ad ſextam ferialibus diebus, manus deputato operibus. Et rurſus. Spatiũ quod nonam veſperaſque diſterminat, manualibus deputatur operibus. Ad hæc propter vitandũ otium, melancholiam, vanas cogitationes, alia quoque hæc genus permulta, quæ paſſim non poſſunt in ſolitaria vita decenter ſine labore manuum deuitari potiſſimũ ab his, qui otio literario dediti aut aſſueti non ſunt, nec ſemper orare quidem poſſunt. Quomodo enim queunt huiuſmodi vtiliter ſine labore manuum tempus traducere, non video. Vt igitur hæc vitentur, commodiùs, & faciliùs ſolitudinis pondus feratur, laborandum eſt, præſertim his qui aliàs decenter viuere non poſſunt. Eapropter diuus Benedictus probè ait in regula, vt operis quippiam imponatur ei qui legere vel meditari non poteſt, vt non vacet. Deniq; bona corporis valetudo flagitat, vt labori manuũ nonnunquam incũbatur. Fieri enim non poteſt, aut vix poteſt, vt Cartuſianus eodem in loco ſemper habitans, citra huiuſmodi laborem diu viuat ſano corpore lætoque animo. Quod medicus prudens aſſerit, cum ait

Matth. 6.

Ca. 41. 1 par. an. 6. 17. Iu. 6 19.

Benedictus in regula.

Labor qui neceſſarius ſit.

Qui vult carere ſanitate, careat labore. Iam verò agendum, quomodo laborãdum ſit manualiter. Inprimis labor ipſe opportuno tempore fieri debet. Non enim quando vel orandum, vel legendum, vel quieſcendum eſt, ſed ſtatutis adhoc tẽporibus eſt ei incumbendum, ſcilicet poſt Tertiam & Nonam, vt dictum eſt. Aduertendum tamen poſt Tertiam aptiùs tempus eſſe, quòd digeſtio per noctem facta ſit. Poſt refectionem verò non protinus laborandum eſt (pro ſapientũ medicorum ſententia) tribus quatorve fluxis à ſuſcepto cibo horis, ne turbetur ſtomachus, ineptaque digeſtio propterea fiat. Idcirco qui poſt refectionem ſtatim laborant, præſertim graui labore, ipſi viderint. Sed de his ſatis. Deinde cum deuotione laborandum eſt, vt ſcilicet oratiunculæ quædam inter laborandum interponantur, quod ſtatuta Cartuſiana ſentiunt, cùm dicunt:

41. Pri. an. 17. Opera ſcilicet manuũ, ſaltem breuibus volumus orationibus interrumpi. Et paulò poſt. Semper-

Ibid. 10. que in operando ſaltem ad breues, & quaſi iaculatorias monemus orationes recurrere. Imo verò ſi ipſe labor manuũ ſecum omnes huiuſmodi priuatas ſine detrimento ſui patiatur, poterũt et-

Auguſt. iam adiungi, cùm dicat Auguſti. in præfato libro de opere monachorum. Cantica verò Dominica cantare etiam manibus operantes facere poſſunt, & ipſum laborẽ tãquam diuino celeumate conſolari. An ignoramus omnes opifices quibus vanitatibus, ac plerũq; turpitudinib⁹ theatricarũ fabularum donent corda & linguas ſuas, cùm manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit ſeruum Dei manibus operantem, in lege Domini meditari & pſallere nomini Domini altiſſimi? Ita ſane, vt ad ea diſcenda, quæ memoriter

riter recolat, habeat ſepoſita tempora. hæc Aug. Adde quod monachi Aegytij laborantes corporaliter, orationes labori iungebant. Deniq; cum diſcretione laborandum eſt, vt ſcilicet ſupra vires non laboretur. Eam ob rem conſideranda eſt corporis habitudo, an ſit ipſum corpus forte, vel debile: plenum, vel ieiunijs confectum. Ineptus enim eſſet labor, qui bonæ corporis diſpoſitioni aduerſaretur, cum pro bona corporis valetudine à monachis ſuſcipiendus ſit, Sufficit ergo ſi fermè ad ſudorem vſque, labor ipſe producatur. Quod & Marſilius probat, cum ait: Exercitationes corporis duæ (die ſcilicet) inſint poſt digeſtionem primã ad ſudorẽ quaſi productæ. Quod tamen accipe ſi corporis, tẽporis cultuſq; diuini ac aliorum id genus, hoc patiãtur. Itidẽ animaduertẽda eſt ciborum & qualitas, & quantitas. Vt enim ait idem Marſilius. Eatenus exercitationi corporis eſt addendum, & animi detrahendum, quatenus epulis, vt nullum fiat aliis melioribus exercitijs detrimentum. Labor enim corporalis extra neceſſitatem quærẽdi victus ſuſcipitur, nõ quia ſuapte natura bonus ſit, ſed vt & corpus fiat vegetius, & animus alacrior ad opera meliora reddatur. Item vt otioſitas vitetur aptiſſis, & deniq; ſolitariæ vitæ pondus facilius iucundiuſque feratur. Sed de his hactenus.

Labor corporalis à monchis quare ſuſcipitur.

CAPVT VLTIMVM.

Obiectionibus in præcedenti capite adductis reſpondetur, & finis operi imponitur.

IAM verò ad obiectiones, quæ in præcedentis capitis frõte depromptæ fuerunt tandẽ reſpõdeamus, dicamuſque ad primam iam ſatis de ipſis ſtatutis diſcuſſum ſuprà fuiſſe. Nihilominùs

nùs tamen eos flagitamus, quibus ipſorum ſtatutorum in vnũ comportandorum facultas, authoritasq́; adeſt vt tã pio tamq́; neceſſario negotio incumbant. Alioqui formidandum eſt, ne illarum præuaricationum, quarũ huiuſmodi diſperſio partim in cauſa eſſe videtur, participes ſint. Alios autem hortamur, vt interim hoc breui futurum ſperantes (quod & ſpero) quod ſuum eſt, faciant. Quod deinde ais, aliquos nec ſtatuta, nec ſilentium, nec cellam quoq; obſeruare, nec vitæ quoq; aſperitatem decenter ſectari: hoc profectò ipſis negligentibus, maleq́; proficientibus plurimùm, nihil autem ipſi propoſito, ſeu vitæ Cartuſianæ officit. Vt enim culpa non eſt Chriſtiani nominis (quòd Hieronymus ad Ruffinũ ſcribit) ſi ſimulator religionis in vitio ſit, quinimò confuſio gentilium, cum ea vident Eccleſij diſplicere, quæ hominibus bonis non placent: ita nec vituperium eſt Cartuſiani propoſiti, ſed potiùs oblocutorum confutatio cùm ea vident probis Patribus Cartuſianis ingrata eſſe, quę malè proficientes admittunt. Adde quòd ipſa vitæ aſperitas in ſuis exercitijs, tùm ſpiritalibus, tùm corporalibus, moderata eſſe debet. Nam & Hieronymus ad Ruſticũ vult ieiunia moderata eſſe, ne nimia (vt ait) debilitent ſtomachũ, maiorem refectionem poſcentia, erumpãt in cruditatem, quæ parens libidinum eſt. Sed & ipſe Apoſtolus anteà cẽſuerat obſequiũ rationabile eſſe debere. Quod poſtmodum taxas nonnullos, qui otioſè viuere, nec manibus operari volunt, taxamus & nos, modo propter quorundam inertiam ſtatus ipſe nõ vellicetur. Quomodo enim otium iners (vt de otio ſancto taceam) à nobis probaretur? Siquidem ineptum otium hoſtis eſt animæ, ingenium

Rom. 12.

Mali otij fructus.

genium obtūdit, obcæcat intellectum, affectum corrūpit, vires tùm mentis, tùm corporis emollit atq; eneruat, virtutibus nouercatur, aduerſatur literis, noxias cogitationes gignit: eſt parens nugarum vitiorumq; omnium, Venerem peculiariter excitat, omnia quoq; mala docet atque ſuggerit, & demùm, ſi quæ forſan bona inuenit, prorſus conſumit. Non igitur languidum otium probamus, ſed prorſus deteſtamur, omneſque ad laborem manuum (quantùm commodè ac decēter omnibus animaduerſis fieri poteſt) cohortamur. Specialiter verò conuerſos, qui plus cęteris aſtringuntur, quod ſtatum ſuſceperunt, qui id flagitat, eaque ratione admiſſi ſunt, tùm quòd alias inutiles eſſent, panemque ſine cauſa comederent, tùm demùm, quod otioſè agentes, noxias cogitationes alioqui vitare non poſſent, cū ſpiritalibus operibus nec valeant, nec debeant ita iugiter incumbere. Quod autem poſtea contendis, alios quidem corporaliter laborare, ſed curioſè ac ineptè: dicimus, eos tolerabiles eſſe qui per Superioris facultatem negotiola quædam faciūt, vt inde (modo ſemper ſeruato) quas ſuppleant neceſſitates, quas alioqui habere non poſſent. At putamus illos eſſe carpendos, qui propter curioſitatem, aut voluptatem, aut demū vt ſuperflua, quæ deſiderant, conſequantur, id faciunt. Quod deniq; alios (præſertim officiales) incuſas quos quidē laborare, ſed in litibus agēdis, opibꝰ acquirendis congerendiſq; pecunijs innumeris aſſeris: Reſpondemus primùm quoad lites, illos monachos infelices eſſe, qui lites ſuſcitant, vt occaſionem proficiſcēdi foras habeāt, vt cultum diuinū conuentumque fugiant, vt iugiter extra conuētum ſuum ſub vmbra proceſſuum manētes, pro

Conuerſos plus cæteris ad laborem aſtringi.

voto viuant. Dicimus & eos quoque taxandos eſſe, qui pro exiguis rebus litigant, quando præſertim veriſimile eſt, plures impenſas eſſe faciundas, quam res ipſa valeat, de qua agitur controuerſia. Quibus non ita diſſimiles ſunt, qui pro rebus maioris momenti lites mouent, & tamen cum aduerſarijs ſine multo detrimento pacem habere poſſunt, ſumentes quidem pro argumento defendenda eſſe bona Eccleſiæ, ſed non aduertentes, modum eſſe ſeruandum: non aduertentes, inquam, in litibus agitandis multos labores, & eos quidem ſæpè inanes capeſſendos, pecuniaſque ſuprà modum effundendas eſſe, & nihilominus exitus dubios atque incertos euenire ſolere. Non denique aduertentes, ſcandala nõnunquam oriri plurima, tempus inutiliter abſumi, conſcientiam lædi, famam denigrari, domos grauari, & demum permulta contingere detrimenta, ſicuti experientia probauit. Qua de re, niſi grandis vrgenſque neceſſitas impellat, non eſt (inquam) litibus incumbendum. Hinc qui prudentes ſunt Cartuſiani, lites (quò ad eius fieri poteſt) vitare ſolent, arbitrantes ſatius eſſe, aliquam in bonis facere iacturam, quam tot mala incidere, præſertim cum & ſtatuta Cartuſiana hoc ſanciant, & patres ordinis ita proſus expetant. Sed
3. Ter. Com. 14. quia tanta hodiè creuit hominum malitia, fraus, & aſtutia, vt nullus iam poſſit, præſertim iuxta magnas vrbes, aliquid poſſeſſionis ſine litibus habere: itaque operæpretium eſt, vel lites ſuſcitare, vel ab aliis ſuſcitatis reſpondere, vel poſſeſſiones ipſas amittere, & conſequenter cultum diuini diminuere, vel prorſ⁹ deſerere, fundatorumq; ſpem fraudare: non igitur imputentur Cartuſianis lites, ſed potius malis callidiſque

vicinis,

vicinis, qui vel cupiditate, vel inuidia agitati, conentur iugiter quo iure quaq; iniuria Cartuſianos ſuis viduare, aliiſque multis detrimentis afficere. Quò ad opes verò congerendas, videntur nonnulli (vt dicitur) modum excedere, qui huiuſmodi occupationibus ſub cuiuſdam pietatis vmbra nimis incũbunt, & quaſi vxores ac familiam multã haberent, nimium ſolliciti ſunt. Alij è diuerſo reperiuntur ſuprà modum negligentes, qui nullam penè curam de rebus temporalibus habentes, multa interdum perire ſinunt. At verò tantum poſſeſſionum vel pecuniarum Cartuſianis adeſſe, quantum eis vulgus mobile tribuit, planè falſum eſt. Falſum, inquam, & à neſcio quo Dæmone excogitatum, vt Cartuſianũ ordinem perturbaret, qui neſciẽs alio modo vulgus in Cartuſianos concitare, hãc inuenit inſaniam. Iam enim multas ordinis domos partim regendas, partim viſitandas ſuſcepi, quarum vna ad muros Pariſianos ſita eſt, in quibus quantùm pecuniarum inuenerim, dicerem, niſi aut fingere, aut mentiri putarer. Vtinam (ſi optare fas eſt) aut illis abundarent bonis Cartuſiani, quibus referti paſsim feruntur, aut cõpertæ vulgo forent eorum facultates. Quãtùm ad me pertinet, mallem in res noſtras corruere fulgura, tonitrua, tempeſtatesq; ſonoras, quàm tantis nos cum ſcãdalo publico bonis abũdare. Non enim neſcim', auiditatẽ habendi cõplures iam religiones eneruaſſe, & propterea finem, modũ, limitemque his eſſe adhibendum. Non ignoramus, inquam, ſtultum eſſe, multa quandoque propria in ſeculo reliquiſſe, & in ſtatu religioſo tam ardenter (vt fertur) multa congregare. At dicit aliquis: Vos & eſtis induti nutritique honeſtè, & templa,
 clau-

clauſtra, ædificiaq; veſtra bono in tenore conſeruātur,& demùm eleemoſynas multas impertimini, quæ omnia facere non poſſetis, niſi temporalibus bonis citra menſuram abūdaretis. Ergone de bono opere lapidamur? Hæc fateor fiūt apud nos, ſed non ita vt putatur. Quid igitur? Nempè quòd ea quæ habemus, diſcretè expendantur, quòd prælati noſtri pompaticè non viuant, quòd cæteri paruo contenti ſint, quòd nihil perire ſinatur, quòd ſupra numerum Monachi non capiantur, quòd omnia tempore ſuo expendantur, quòd parſimonia (quæ teſte Cicerone, magnum eſt vectigal) omnia regat, quòd deniq; Deo ſeruientes, pauca habentes, omnia poſſideamus. Hæc ſunt, quæ omnia noſtra in bono tenore conſeruent. Sed propterea taxandi non ſumus, quod ſatis intelligere puto eos, qui nullo liuore perciti, capiunt quæ recta ſunt. Cæterùm receptui canentes, quærimus tandem (mi Oblocutor) videturne tibi ampliùs mala vita Cartuſiana? Eſtne tibi aliud quicquam, quod in eam porrò obiicere aut poſſis, aut velis? Obl. Si rationis habeatur ratio, nõ eſt cur eam malam dicere poſſim. Nihil quoq; planè eſt, quod in eam deinceps iuſtè latrare queam. At ſi liuoris furor pertinax ſpectetur, nũquàm te putes oblocutionum finem inuenturum. PET. Ergone tanti eſt æſtimata liuoris inſania, vt nec exēplis, nec ſententiis, nec rationib⁹ victa, quieſcere poſſit? Ob. Prorſus tanta eſt, vt nec funditus ſupplãtata, nec rubore multo ſuffuſa, cohiberi queat, quin vel optimè confutata, rurſus obiiciat, & noua quoque figmenta excogitet. PE. Miſera igitur pertinacium liuidorum conditio. OBL. Miſera, fateor, prorſusque miranda, vtpotè qui ſeipſos rodunt,

Cartuſianorũ frugalitas.

Liuoris conditio.

rodunt, vbi nihil aliud rodendum offendunt, qui etiam alios rodendo ſe corrodunt. PE. Anne cæteri Cartuſianæ vitæ impugnatores, quos cum liuidis retuliſti, vel tandem obmuteſcent? Non enim liuidorum tantùm, ſed ignorantium quoque, leuium, atq; imperitorum hominum perſonas egiſti. OBL. Obmuteſcent, ne dubites, vbi & hunc dialogũ noſtrũ lectitârint, & te intellexerint nõ ſine ratione agere, nec tuis quoq; adulari, ſed ita te tua defendere, vt pro ratione duntaxat foueas. PE. Non igitur penitus laborẽ officiumq; perdidi. OB. Non ſanè perdidiſti. Sed inſanos liuidos, ſi rationibus omnino cõpeſcere antehàc putaſti, ea parte falſus es. PE. Cùm igitur cæteris omnibus (præter obſtinatos liuidos) factum ſit ſatis, & liuidi ipſi nulla ratione prorſus cohiberi poſſint, ſed neglectu potiùs atque deſpectu vinci ſoleant: ob eam rem conficiamus, eos velut canes latrantes ſurda aure contemnendos, & patienti animo ferendos eſſe. Conficiamus, & Cartuſianam vitam, quæ velut ſignum eſt ad ſagittam, ſignum, inquam, cui contradicitur, debere alacriter imitari vitam eius, qui ſignum fuit, cui ab omnibus contradictum eſt. Eius, inquàm, qui per Apoſtolum ſuum dixit, hanc vitam tranſigendam per infamiam, & bonam famam. Eius denique, qui miſeros oblocutores tandem ſempiternis pœnis afficiet, & patientes Cartuſianos gaudiis præmiabit æternis, Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Cui cum matre ſua intacta Virgine Maria (quæ & Ordinis, & noſtra protectrix eſt) omnibusque Sanctis laus ſit gloria, & gratiarum actio in ſecula ſeculorum.

Amen.

Obſtinati qui optime vincuntur.

Luc. 2.

2. Cor. 6.

PERORATIO AD REuerendum Patrem, cæteroſque patres Cartuſianos.

HABETIS, Reuerende Pater, totius gregis Cartuſiani Paſtor digniſſimè, voſq; cæteri Patres noſtri propoſiti Cartuſiani cultores venerandi, Opus de Cartuſiana vita multis laboribus ab exiguo Cartuſiano tādem confectū. A quo quidē multa me primùm deterruerūt. Videbar enim mihi oleū (quod dicitur) impenſaſq; perditurus, ſi huiuſcemodi negotio incumberē, quod ſubdubitabā, nihil vel parùm frugis allaturū. Videbar quoq; prouinciam viribus imparem obire: quippè qui mala valetudine plerumq; affici ſoleam. Videbar demùm propter varias occupationes (quas partim Officij Diuini prolixitas, partim aliena cura afferre ſolēt) negotij finē inuenire non poſſe. E regione aūt alia permulta me vehementiùs cōcitarunt, quæ & officiū me nequaquā perditurum, & finem quoq; (ſuperis iuuātibus) conſecuturū eſſe, tandem perſuaſerunt. Animaduertens enim, nullū ex noſtris (quē certè viderim) hanc ſyluā vel penitus fuiſſe ingreſsū, vel certè funditus (vt par erat) ſecuiſſe, tentaui iuſtis, vt mihi quidē videtur, cauſis impulſus agi-

Cauſæ ſuſcepti huius laboris.

ſus agitare pleniſſime, vt ſcil. inprimis lubricæ nimiũ linguę, quæ interdum liuore, nonnunquam leuitate, aliquoties ignorãtia cõcitantur, aut prorſus obmuteſcerẽt, aut certè partim validis rationũ frenis cohiberẽtur. Deinde vt beneuoli noſtri, qui vel propoſitum ipſum ſuſcipere, vel beneficijs nos afficere deſiderant, vanis ſalſisq; oblocutionibus, quę paſſim ſparguntur in vulgus, porrò non abducerẽtur. Ad hęc vt propoſiti ipſius cultores, qui ſæpenumero nec originem, nec qualitatem, nec dignitatem, nec demùm commoditatem illius ad vnguem exploratam habent, nec continuò vanis oblocutionibus vel reſpondere, vel obſiſtere poſſunt, in promptu haberent, quò poſſent deinceps tùm pectus armare, tùm partes aduerſas prorſus vincere, aut certè longiùs profligare. Denique vt propoſitum ipſum luculentiùs intelligeretur, intellectum gratius fieret, obſeruareturq; diligentiùs, & demùm in ſua integritate ſuoq; tenore iugiter perſeueraret. Hæc enim pręſens opus me capeſſere impulerunt. In quo quidem multa ſunt (opinor) quę vel tetricus cenſor parũ, vel liuidus pertinax nihil probabit. Alius ſiquidem multa duriùs, nimisque licenter dicta queretur, non aduertens malo nodo malum cuneum fuiſſe quærendum, & contumelioſa inſanaque dicta, ſine quadam

dam acrimonia, ſatis planè refelli minimè potuiſſe. Alius verò contendet, nō oblocutorem, ſed diſcipulū, aut nouitium potiùs introduci debuiſſe, quod verbum oblocutoris aſperius ſit, & rationes, quæ adducuntur, non ſatis conueniant pertinaci oblocutori, quæ ampliſſimè nouitio ſatis eſſent. Verùm hic cenſor velim aduertat, Diſcipuli vel Nouitij perſonam negotio prorſus ineptam eſſe. Inprimis quidem, quòd ridiculum ſit inducere perſonā, ſtatum aliquem grauiſſimè vellicantem, quē minimè compertum habet. Deinde rationi conſentaneum non eſt, vt ille ipſe propoſitū aliquod improbet, cuius profeſſor eſſe vehementiùs cupit. Denique prorſus indecorum eſt, acerbas contumelioſaſque obiectiones eum proponere, cuius officiū eſt nihil, prorſus mutire, vel certè modeſtiùs interrogare. Quòd ſi fortè vocabulū oblocutoris delicatis, mundaniſque auribus putetur aſperius: profectò res ipſa, Superis probiſq; viris odioſa, debuerat mordaci linguæ aſperior inprimis videri. Hæc eſt iuſtitia Phariſæorum, vel potiùs mundanorum inſania, qui verba quidem aſpera plerumque abhorrent, at vitia ipſa longè aſperiora paſſim admittunt, proboſq; mores acutiſſimis verborum telis inſectātur. Denique ſi rationes depromptæ oblocutori pertinaci non prorſus obſiſtant, nihil ad

Phariſæorum iuſtitia.

hil ad rem. Non enim pertinacem oblocutorem, ſed Oblocutorem ſimpliciter introduximus. Neque enim neſcius ſum, nihil eſſe quod pertinacem vincere poſſit, non authoritates, nō exempla, non rationes, non ipſa demùm experientia: tanta eſt pertinacis animi inſania. At verò oblocutores multi ſunt minimè pertinaces, qui & authoritatibus, & rationibus à ſua poſſunt temeritate diuelli. Adde quòd noſter Oblocutor nō tantùm liuidorum, ſed leuium quoque, imperitorum, & ignorantium perſonas retulit. Non eſt igitur cur in hac parte labor noſter carpi iuſtè poſſit. Cæterùm his, alijsq; reprehenſoribus neglectis, vos optimi Patres (quorū æqua cenſura eſt) ſi quid in ipſo forſan opere vſpiam erroris offenderitis, mihi veniā obſecro non denegetis, animaduertentes, in humanis adinuentionibus nihil abſolutè perfectum eſſe. Dixi.

FINIS.

D. IO.

D. IOANNI PICO S.

FVIT *aliquando (Pice humaniſsimè) vt nonnullos audiremus malè feriatos homines, qui linguæ acerbitate Sutoris tui, viri vt ſapientiſsimi, ita certè doctiſsimi, opus idcirco parùm probarent, quòd ex ſanctiſsimi hominis dignitate non ſit, conuitijs & verbis parùm temperatis agere. Quæ verborum fulmina, quia ingenioſè admodùm retudiſſe mihi viſus eſt, non video maiore vi opus eſſe ad comprimendas linguæ peſtes, quæ omnia inficiunt, & quaſi ſanie quadam corrumpunt. Itaque probo Sutorem tuum multis de cauſis, vel inprimis, quia profeſsionem veſtram ornat, & exinanitæ priſtinum ſuum vigorem reſtituit, in qua profeſsione meæ conſanguinitatis permultos habeo, in quibus eſt Hieronymus Daniel, vir nomine veſtro non indignus. Itaque amo te plurimum, qui laboraueris huiuſmodi opus typis excudi, quod authori ipſi, vobisq́ omnibus ornamento, lectoribus vſui futurum ſit. Benè vale, & me in Chriſto ama.*

COLONIAE AGRIPPINAE,

Excudebat Stephanus Hemmerden, ſumptibus Bernardi Gualtheri.

ANNO M. DC. IX.

Digitized by Google

IHS